Latin
Cicero

DELECTUS COMMENTARIORUM

IN

M. T. CICERONIS OPERA OMNIA,

AD EDITIONEM

JO. AUG. ERNESTI

ACCOMMODATUS.

EX EDITIONE

JOSEPHI OLIVETI.

TOM. III.

LONDINI:
TYPIS EXCUDIT J. F. DOVE;
PROSTANT VENALES APUD R. PRIESTLEY.

MDCCCXIX.

JOSEPHUS OLIVETUS

LECTORI.

Quæ ab ipso Cicerone profecta hoc volumine continentur, ea præfationem, opinor, non requirunt. De cæteris vero, quæ annecti solent ad Ciceroniana, singuli, qui præfigentur iis, tituli satis admonebunt. Nunc igitur, priusquam vasa colligam, pauca de me. Respondendum est enim, non obtrectatoribus, quos quidem silentio ulciscerer; at probis et benevolis hominibus; qui mirari se aiunt, quod in hac adornanda editione tempus atque operam collocem, homo ex Academia Gallica, hoc est, ex illo virorum litteratorum cœtu, quorum labores omnes et industriam in lingua vernacula cum excolenda tum perpolienda occupatam esse oporteat. Illud sane, quod admiratores isti de nostro communi instituto memorant, secus interpretantur quam decet, si perinde intelligunt, quasi nobis omni veterum linguarum commercio interdictum sit. Qui si minus essent in principis Academiæ rebus peregrini atque hospites, scirent esse paucos admodum in ejus albo, qui litteras Gallicas cum Latinis, aut etiam Græcis, non conjunxerint. Ac de Latinis quidem id profiteri propemodum posse videor, quod Cicero *de philosophia: *nec subito* ad illas *cœpimus* appellere animum, *nec mediocrem a primo tempore ætatis in eo studio operam curamque consumpsimus, et, cum minime videbamur, tum maxime* id agebamus. Quid, si me nulla inde orta segnities retardavit a laboribus academicis: si et feci hactenus ut me scirent homines nos esse hujus tituli atqne officii immemorem, et deinceps facere sum paratus: tamen-ne vitio erit mihi, non iis cessasse horis, quibus impune poteram?

* *De Nat. Deor.* lib. I. cap. 3.

Quid, quod linguæ omnes commune habent vinculum, et quasi cognatione quadam inter se continentur? ita ut hæc ipsa nostris hominibus, ad Ciceronis familiaritatem perducendis, accommodata opera, adeo non aliena sit academicis muneribus, ut videri debeat vel maxime conjuncta. Ut enim nostræ vel ætatis vel gentis bona nolumus dissimulare, sic etiam cavere debemus, ne pravo usu ea inquinentur. Est nunc quidem lingua Gallica, neque inops, neque inculta, rebus omnibus proprie ornateque dicendis idonea: sed possent populares nostri eodem morbi genere laborare, quo Romani olim, ut naturam dedignati, non minus bene scribendi quam vivendi ducem, vellent ubique arguti esse, atque in profluentis, nitidæ, temperatæ orationis salubritate, quemadmodum in coloris ingenui ac vultus non fucati sinceritate, nausearent. Unde igitur, si nobis aliquid ejusmodi contigerit, peti auxilium præsentius, quam ab eo scriptore potest, cui seculorum adhuc omnium consensus recte scribendi principatum detulit? Neque vero nunc primum in hanc ego cogitationem veni, aut gratificari quidpiam æqualibus meis in hoc genere sum conatus. Nam quod olim Ciceronis libros aliquot expressi sermone patrio, si non quantum exprimere lingua ipsa poterat (quæ potest aptissime omnia) sed quantum mea ferebat mediocritas; Gallos ad ejus cognoscendi studium provocabam, ut ad ingenium, quo plurimum valent, ars etiam accederet, et cum haberent quem admirarentur, illius effici se quam simillimos vellent. Hoc agenti veniebat in mentem interim, quanto futurus esset ex ipsius Ciceronis usu fructus uberior, si quis in edendis illius operibus modum teneret eum, quem ipse monstravit * Cicero, ut *neque indoctissimis* scriberet, *neque doctissimis*. Illis enim nunquam tantum dederis commentariorum, quantum esse satis possit: propterea quod non is est Cicero, qui lectores ferat omnis litteraturæ expertes, ipse omni doctrinarum genere perpolitus. Hos vero, quamvis restricte facias et anguste, non effugies tamen quin satietate offendas: adeo sunt in iis, quæ scire se putant, fastidiosi. At vero

* *De Orat.* lib. II. cap. 6.

tertium est inter hæc duo interjectum genus, eorum scilicet, quos, primoribus jam litteris excultos plusculum quam intra modum, ad sapientiam et laudem allicit generosa indoles; nec libris tamen immersos vivere patitur aut natura, aut fortuna. Hoc ergo erat in votis, editio commoda, qua isti uterentur; sibique, compressa tot interpretum loquacitate, gratularentur ademptam partem laboris non modicam, utilitatis nullam. Quod animo mecum assidue, et crebris inter eruditos sermonibus agitaveram, id cum excellentibus viris aliquando communicavi, quibus commissa est prima SERENISSIMI DELPHINI ætas, moribus litterisque informanda. Hi, qui pro sua prudentia intelligerent, mancam fore et imperfectam regii juvenis instituendi curam, nisi Ciceronem nosset, atque *immortalis illius ingenii*, ut Quintiliani * verbis dicam, *beatissima ubertate* pasceretur; primum, quod maxime volebam, assentiri: deinde, quod neque metuebam, neque sperabam, neque vero prævideram, censere, non alium esse quærendum qui id operis efficeret, quam qui suscipiendi auctor fuisset. Ego statim excusare bona fide tenuitatem meam: orare etiam atque etiam, ne plus veteri erga me benevolentiæ suæ, quam mihi de me crederent. Ecce autem paucis post diebus ultro renuntiant, omnino admovendam operi manum: rem decisam: eductum iri ex arca regia quantum ad vulgares impensas æquum esset accedere, ut, qualem meditabar, talis editio instrueretur, nempe digna, quæ versaretur manibus gerendo sceptro destinatis. Quid plura? nihil ultra muginatus, malui subeundo onere homo non satis timidus, quam recusando civis parum animosus videri. Plus triennium est, cum nulla prælis datur cessatio. Varios interim Latinitatis flosculos carpit puer princeps, ad cujus ornandam amplificandamque dignitatem ea consensio est naturæ atque fortunæ, ut nescias plus-ne sit quod altera spondet, an quod tribuit altera. Poetice quidem, sed vere dixeris, Gratias in eo fingendo artes suas omnes, omnes leporum arculas consumpsisse, ut Musæ ipsum amarent: has vicissim, ut ipse eas redamaret, a quibus meras degustasset

* *Inst. Orat.* lib. X. cap. 1.

suavitates, atque ut olim tueretur quas haberet probe cognitas, nascenti plana omnia, aperta, expedita fecisse. Quod multo majus est, quippe hinc firmissima in omne hominum genus felicitas derivabitur; jam in illa ætate, et quasi aurora, igniculi acres emicant ac vividi, qui ad comprehendendam honesti formam, indagandosque officiorum fontes sua sponte currentem excitent. Quam ad rem cum ego ducem optimum fore Tullium non dubitem, nihil antiquius hoc opere habui, quod tantam publici boni sementem contineret. In eo qua sit labor meus fide, constantia, religione versatus, mihi conscius ipse sum: quo successu, viderint homines eruditi; quos ego universos, quod jam feci alias, quæso atque obtestor, ne recusent omissa suggerere, et male posita emendare. Audivi enim, et certis ad me nuntiis perlatum est, ubi nostratia e Parisiensium officinis exeunt volumina, hæc eadem a Genevensibus typographis instaurari. Atque utinam non instaurentur modo, sed curis opibusque doctorum virorum, qui et illic et ubicunque florent, aucta locupletentur. Una me et ad suscipiendum opus impulit, et inter continuas prosequendi molestias sustentavit communis utilitatis expectatio: qua item commoveri velim hujus editionis tum emendatores, tum perfectores. Obscuretur sane nomen meum, dum illustretur Cicero, ad eumque degustandum ii adjuventur, qui student recte sapere et scribere. Quod vero in hunc annotationum sive delectum, sive cinnum, admiscui nonnulla de meo, nihil ejusmodi pollicitus: pro gratia ac laude, quam profecto nullam ferunt tam pauca, tamque nihili, veniam peto, quod nec plura, nec meliora. Talibus excogitandis, describendisve moram non dabant SERENISSIMI, quem specto unice, DELPHINI tempora: cui propediem e Musarum complexibus abrepto vita alia alias curas allatura est. Opus fuit mature facto, ne muneris fructum tarditas corrumperet.

M. TULLI CICERONIS

EPISTOLÆ AD Q. FRATREM.

LIBER I.

MARCUS Q. FRATRI S. 1

ARGUMENTUM. Quintus Cicero ex prætura provinciam Asiam sortitus, annos jam duos continuos parum secunda fama eam administrarat. Cum in annum tertium prorogatum illi imperium fuisset, Marcus frater inde occasionem eum ad laudem cohortandi sumpsit, quod de accessione hac annua facere illum certiorem vellet. Est autem bipartita cohortatio: prior enim pars ad ea quæ rempub. attingunt; altera ad ea quæ privata et Quinti fere præcipua sunt, pertinet: nam in priore parte ea persequitur, quæ ad Quinti imperium ac provincialem administrationem spectant; de quibus quadripartite disputat. Primo igitur loco, de Quinto ipso præcepta dat: sed non ita quasi de Quinto ac cive Romano; verum ut de amplissimo populi Romani magistratu, Asiam provinciam cum summo imperio administrante. Altero loco, de iis comitibus præcipit, quos secum in provinciam imperii sui ministros, publicorumque negotiorum adjutores eduxerat. Postea de vitandis Græcorum et publicanorum nimiis familiaritatibus illum monet; utpote quibus imperii sui dignitas labefactari facile convellique possit. Postremo, etiam de servis cautionem adhibet; ejusque caput hoc esse voluit, ne quid iis, quod ad remp. ulla ex parte pertineat, committatur. Altera pars ea, ut ante dixi, quæ privata magis sunt, id est, quæ Quinti personam atque officium præcipue attingunt, complectitur. Nam primo loco, de moderanda acerbitate, qua usus in suppliciis antea fuerat, deque retinenda in jure dicendo æquabilitate præcipit; secundo, de sublevandis provinciæ oneribus, minuendisque sumptibus et jacturis; tertio, de conciliandis cum publicanorum ordine sociis, constituendaque inter illos concordia; postremo, de coercenda iracundia et naturæ impetu moderando, ita luculenter et prope diviniitus disputat, ut hanc epistolam non Quinto fratri scripsisse, potius quam omnibus provinciarum gubernatoribus præclaram quandam imperii recte administrandi normam ac regulam præscripsisse videatur. *Anno* U. C. 693. HOTOM.

Cap. 1. *A prætoribus*] Contendentibus obtinere provinciam Asiam. JAC. FACCIOLATUS: cui debentur uni cæteræ in hanc epistolam adnotationes; nisi quæ subscriptum habebunt nomen aliud, vel additam stellulam.*

Negotiatorum] Qui Romam questum venerant de Quinti acerbitate. Querelæ autem injustæ videbantur, si ille judicio senatus in imperio confirmaretur.

Bene audiendi] Prosperæ famæ, nominis, et existimationis.

Ac demittas] Ita Victorius. Alii, *aut demittas*. Malaspina primum illud tuetur.*

Sociorum] Id est, Græcorum.

Necessitudine] Ordo publicanorum

qui erat equitum Romanorum flos, semper Ciceroni faverat, et ab eo vicissim omnibus in rebus defensus fuerat.

Beneficii] Quia nisi Cicero consul Catilinæ conjurationem extinxisset, in negotiatorum fortunas impetus factus esset.

Cap. 2. *Attollere*] Ita Gruterus ex Mss. alii vero omnes, *excolere.**

Asia] Asiam minorem significat, quæ proprie *Asia* dicebatur, et provincia Romana erat. Per hæc tempora comprehendebantur hoc nomine utraque Mysia, Lydia, Æolia, Ionia, Caria, Doris, et utraque Phrygia, sed non tota: nam majoris Phrygiæ pars (in qua oppida Laodicea, Apamea, Philomelum, et Synnada) una cum Pisidia, et Lycaonia, bello Mithridatico, adjecta est Ciliciæ, quæ alia erat Romana provincia.

Cap. 3. *Præstare*] Verbum est juris. *Præstare aliquem*, est prædem esse pro aliquo, et periculum, quod ex eo timetur, in se recipere. Hot.

Legatos] Legatos Romani appellabant (ut scribit Appianus lib. I. B. C. et alii) quos provinciarum rectoribus addebant, ut iis auxilio essent, eorumque locum tenerent, ubi opus videretur. Fere dabantur a senatu; interdum tamen a prætoribus ipsis, permittente senatu, adsciscebantur.

Halienus] F. Ursinus hic malebat *Allienus*, ut et Tusc. IV. 22.*

Quæstorem] Prætores non eligebant, sed sortiebantur sibi quæstores suos; ideoque filiorum loco habebant tanquam a diis datos.

Ferres eatenus] Modo non abutantur auctoritate tua ad quæstum, sine eos abuti sua. Istiusmodi enim ministri non sine spe ingentis lucri patriam relinquunt, et in provincias eunt.

Tantum jam] J. F. Gronovius emendabat, *tantum non ad nimiam*, &c. Facciolatus, *mores sint, ut jam ad*, &c. *

Cap. 4. *Convictionibus*] Man. et Lamb. *convictoribus*... *apparitoribus*. Cic. filius eadem voce, *convictio*, utitur *Fam.* XVI. 21. *

Apparitionibus] Apparitoris nomen generale, quo comprehenduntur omnes, qui magistratui alicui apparere solent, eique imperanti præsto esse, ut accensi, viatores, lictores, interpretes, scribæ, præcones.

Cautiorem] Alii legunt *cautionem*, extrusa particula *ac*.

Annulus tuus] Hoc est, *annulus tuus* signatorius, *non sit ut vas* aliquod, quo uti alii possint, et abuti: *sed tanquam ipse tu*. Tam certum sit, id velle te ac sentire, quod tuo est obsignatum annulo, quam si tu ipse verbis ac voce coram ediceres. Ita fere Turnebus, qui et aliud (*Adv.* XXVII. 1.) proponit, quo non ita delector. Olivet.

Accensus] Accensi fuere ministri eorum magistratuum, qui vocationis jus habebant, non solum in urbe, sed etiam in provinciis. Eos Varro dictos fuisse ab *acciendo* scribit in lib. V. de L. L. Nam illorum officium erat vocare ad concionem, ad jus, ad delectum, &c. Eorum item silentium indicere, ubi opus esset, coram magistratu.

Lictor] Lictores lenius agere jussi, lenitatis meritum sibi adsciscunt; ut hinc aliquid lucrifaciant. Prætori in provincia apparebant, quemadmodum in urbe, præeuntes cum fascibus et securibus. Eorum erat submovere obvios, damnatosque virgis cædere, ac securi percutere.

Lenitatis] Mere dixit, pro *severitatis*. Et est sensus: adhibeat eam severitatem, non quæ ipsi, sed quæ tibi videbitur. Hotom.

Cap. 5. *Si quem*] Civem Romanum, negotiandi causa in provincia degentem.

Provinciales] Id est Romani cives, qui negotiorum suorum causa in provincia sedem posuerunt.

Careant] Urbe Roma, et tantis his bonis, quibus nos carere non possumus, nisi ægro animo et ad breve tempus.

Tui, quam temporis] Qui te plus

amet, quatenus Cicero es, quam quatenus prætor.

Et vero invident] Non possunt esse fideles, quia nobis invident; sicut invident etiam suis, qua parte præstant. Quidam extrudunt particulam *vero;* sed retineri debet, quia respondet superiori particulæ *neque*.

Cap. 6. *Appia via*] Id est sub ipsis Romæ oculis. Erat autem Appia via inter Romam et Capuam, ab Appio Claudio strata.

Tralles] *Tralles*, urbs Lydiæ; *Formiæ*, urbs novi Latii ad mare.

Simultates] Quia Quintus nimia quadam acerbitate multorum in se odia commoverat: qua de causa parum secunda fama eum laborasse, scribit Suetonius in Augusto, cap. 3.

Cap. 7. *Sustineri*] Totum hoc, quidquid est oneris, jurisdictionis est. MANUT.

Scientiæ provincialis] Facile erat jus dicere in provincia, in qua neque tam multæ leges, neque tanta formularum quasi superstitio.

In satisfaciendo ac disputando] Licebat prætorum decretis interdum disputando resistere. Eorum autem erat resistentibus satisfacere. Habes exemplum rei hujus in orat. pro Quintio c. 8.

Cn. Octavius] Pater Augusti, qui Macedoniam provinciam magna cum laude admininistravit. Vide Suetonium initio Vitæ Augusti.

Primus lictor] Primi lictoris erat turbam arcere a tribunali, in itinere submovere obvios, &c. Alii legunt *primum*, quasi dicat, lictores primum quiescere cœpisse apud Octavium.

Tacuit accensus] Noluit cuiquam silentium imperari; quod munus erat accensi.

Syllani homines] Qui Syllanæ factionis auxilio in aliorum bona irrepserant.

Tot auxilia] Scilicet magistratus magistratui intercedebat; et ab uno ad alium auxilii causa pergebatur.

Tanta vis] Hoc videtur referendum ad populi vim, quæ concionibus ciebatur. Apparet ex iis, quæ sequuntur.

Nullum auxilium] Hinc apparet prætores in provinciis summa cum potestate fuisse, a qua nulla esset provocatio.

Nulla concio] Hoc nomine populi auxilia significantur, quæ per conciones eliciebantur.

Cap. 8. *Cyrus ille*] Videtur ex hoc loco effluxisse particula *ut*. Nam cum prius dixisset, *permagni hominis est*, recte infertur, *ut Cyrus ille*, &c. Et facile, propter proximam syllabam *tur*, elidi potuit. HOTOM. Tota hæc constructio laborat inconsequentia, quod Græci ἀνακόλουθον dicunt. Fit hoc impetu scribendi, et incuria quadam magni ingenii, nihil sibi metuentis. Sunt alibi alia generis hujus et apud Ciceronem, et apud alios tum Latinos, tum Græcos scriptores; quæ si nos imitari velimus, risum moveamus. FAC.

Urbes complures] In omnibus editionibus (præter Manutianam) vox *urbes* addicitur superiori membro, ut sit *liberatas urbes:* sed error irrepsit non reputantibus, in quo differat *urbs* a *civitate*.

Calumniam] Subornabantur enim ab avaris prætoribus calumniatores, nempe ut locupletes spoliarent ipsi: ut de Verre legimus lib. II. ubi de Heraclio, Epicrate, Sostrato, &c. HOTOM.

Cap. 9. *Ædilitiorum*] Id est munerum ædilitiorum. Ædiles enim ludorum nomine pecuniam a provinciis exigebant.

Ad templum monumentumque] Civitates Asiæ pecunias decreverant, quibus templum construeretur, in eoque monumentum Marco Ciceroni poneretur.

Lex exciperet] Lex de repetundis vetabat, ne pecuniæ in provincia caperentur, nisi nominibus illis, quæ in lege ipsa excipiebantur.

Quibus nec deberetur] Ædiles, qui pecunias petebant ad ludos.

Ut] Ita vulgati ad unum omnes. Sed emendat Facciolatus, *et esse*, &c.*

Cap. 10. *Tanti honores*] Positis aris ac templis, ut in more provinciarum

fuit, virtutibus Quinti, justitiæ, clementiæ, fidei, &c.

Tuendis] Is tuetur honores suos, qui digna facit suis honoribus.

Cap. 11. *Publicani*] Quibus morem gerere difficile erat, simulque sociorum jura tueri, eorumque voluntates sibi conciliare.

Optime meritum] Publicani magnam operam Ciceroni navaverant in extinguenda Catilinæ conjuratione; eique mutuorum beneficiorum causa conjunctissimi erant.

Te] Facciolatus edidit *se*, propter vocem *suos*, quæ præcedit.*

Portoriis] Q. Metellus Nepos, cum prætor esset, portoria Italiæ, lege lata, sustulerat: qua de re vide Dionem. De his ipsis portoriis sublatis scribit Cicero lib. II. ad Att. ep. 16.

Male redemptis] Quia publicani nimis magno pretio publica vectigalia redemerant, socios enecabant, acerbius exigendo.

Suis institutis] Græcia, cum libera esset, suis populis vectigalia describebat.

Sine publicano] Ipsæ enim per se civitates non facile ad colligendum vectigal adducuntur, nisi sit, qui præcipuam hujus muneris curam gerat, et suo periculo a sociis exigat. Quod facit publicanus. MAN.

Æqualiter] Quo facilius sine publicano exigi videbatur posse. IDEM.

Caunii] Populi Cariæ. Caunus autem portus erat ad Rhodium mare in Lyciæ confinio.

Rhodiis attributæ] Sylla decreverat, ut Caunii, et vicinæ insulæ vectigalia inferrent in ærarium Rhodiorum.

Cap. 12. *In pactionibus*] Paciscebantur publicani cum provincialibus de modo, de re, de tempore, &c.

Legem censoriam] Vectigalium locandorum cura penes censores erat, qui certas conditiones conductoribus dicebant, ne nimia acerbitate et avaritia socios perderent.

Commoditatem] Ut res exitum inveniat, quædam remitti in pactionibus debent.

Hoc petas] Ut tibi in re hac gratificentur, id est ut pactionum difficultates removeant, et negotium expediant.

Societates] Publicanorum.

Cap. 13. *Ut te ante*] Particula *ut* redundat; quod eleganter fieri solet, quoties multa interponuntur.

Lentitudinis] Vide Tusc. IV. 19.*

Cap. 14. *Theatrum tuis virtutibus est datum*] Magna est loci hujus varietas et perturbatio; quod librarius quidam pro *tuis* posuerit *totius;* alius addiderit *Asiæ;* alius aliter verba inverterit. Ego secutus sum, quæ probavit Manutius (et Lambinus edidit.)

Cap. 15. *Monumentis*] Refertur hoc ad honores, quorum meminit in cap. 10. Manutius putat, referri ad annales a Quinto scriptos.

Tertius actus] Hinc apparet, aliquando tribus actibus fabulas fuisse conclusas; quamvis scribat Horatius in ep. ad Pisones vers. 149. *Neve minor quinto*, &c. Cæterum hujus loci comparatio non cadit in numerum, sed in finem et conclusionem.

2 MARCUS Q. FRATRI S.

ARG. De Statii liberti nimis apud Quintum gratiosi adventu, et hominum de eo sermonibus et querelis: de Græcis, quos commendaverat, aut quibus videbatur indulgere, excusatio: de litteris Quinti iniquis, duris, contrariis, de eisque tollendis consilium: L. Flavii, cui hereditas in Asia venerat, aliorumque commendatio: objurgationum suarum excusatio, ac tandem de rebus publicis commemoratio. *An.* U. C. 694.

Cap. 1. *Direptum*] Quod rem domesticam Statii liberti studio ac fidelitate conservari Quintus arbitraretur. MAN.

Ἀλλ' αἰεὶ] *Sed semper hominem quendam magnum*, &c. Homeri versus est

in od. 9. vers. 513. de Ulysse a Polyphemo pronunciatus: a quo tam pusillo, tamque imbecillo miratur se esse excæcatum. Nunc, qua ratione sententia, de Ulysse et Polyphemo ab Homero prolata, ad Quintum et ad Statium accommodari possit, ut certe egregie potest, consideremus. Per triennium jam Quintus Asiam rexerat. Scripta enim est epistola in exitu fere anni tertii. Rationem ejus administrationis fama jam nunc que Romam pertulerant: satisque notum erat omnibus in rebus eum uti consilio Statii liberti; quod Cicero modo occulte, modo aperte conqueritur. Expectabant igitur homines liberti Statii adventum in urbem cum Quinto, quasi τινὰ φῶτα μέγαν; a quo provinciam esse administratam, tanquam a proconsule, audissent: qui cum venisset, quasi decepti, itidem ut Polyphemus, iisdem, quibus ille, versibus errorem suum poterant indicare. Quæ igitur voces, si cum Quinto Statius urbem esset ingressus, conjectæ fuissent; eas in unum Statium, absente Quinto, emissas Cicero gaudet; idque modeste significat, cum ait, *id mihi non incommode visum est accidisse:* ne offenderet animum Quinti ad iracundiam propensi, et de Statio optime existimantis. IDEM.

'Αφελῶς] Tuto, secure.

Id mihi] Verba sunt, quæ in sermone cum Marco proferebat libertus ille.

Iratos] Vide ad Attic. II. 18.

Cap. 2. *Blaudenio*] Ex urbe Blaudo, quæ est in Phrygia. MAN.

Dionysipolitas] Opinor scribendum, *Dionysopolitas*. In veteribus enim numismatibus video incisum, ΔΙΟΝΥΣΟΠΟΛΙΤΩΝ. URSIN.

Mei] Forte abundat, *mei*, et subaudiendum, *tui*. MAN.

Hermippum] De quo, orat. pro Flacco.

Nugas maximas] Levissimos infimæque conditionis homines, qui nec nominandi sunt. MAN.

In culeum] Quæ parricidarum erat pœna. Vide pro Sex. Roscio Amer.

Cæcilium] Hi sunt homines Romani, qui in provincia Quinti negotiabantur. MAN.

Ecce supra caput] Ecce præter eos, quos significavi, occurrit animo meo, et quasi supra caput adstat, a me nominandus Catienus. IDEM.

Fumo] Pro *fumo* placeret si legeretur, *furno*. URSIN.

Milvino] Videtur fuisse Licinii servulus, aut certe comes in rapinis hoc nomine. Addit, *pullo*, per jocum, ad rapacitatem indicandam: quia milvii rapaces. MAN.

Virgilius] Vide or. pro Plancio.

Interioribus vicinis] Qui in ipsa Asia sunt, et aliquam provinciæ tuæ partem, a te demandatam, administrant. MAN.

Cap. 3. *Exorabilem*] Edit. vetus, *inexorabilem*. Alterum placuit Manutio et Lamb.

Tolle] Da operam ut colligantur, et supprimantur. MAN.

Tempore ipso] Opportune hæc de epistolis a te paulo consideratius scribendis.

Si infitiatur] Deberi quidquam Fundanio. IDEM.

Prætor] Prætor, ut in libro de Legibus ostendimus, non judicabat, sed jus dicebat. Judicabant autem judices a prætore dati, cum aliis de causis, tum etiam de iis, in quibus, petita pecunia deberetur necne, dijudicari oportebat. Monet igitur Quintum, contra consuetudinem eum fecisse, qui judicaverit deberi. IDEM.

Remittas de diminuendo] Permittas ut de bonis Octavii diminuere possint. IDEM.

Cap. 4. *De pactione*] Inter Græcos et publicanos a te facta. IDEM.

'Ορθὰν τὴν ναῦν] Videtur alludere ad sententiam illam vulgatam, εὖ ἴσθι, Ποσειδᾶν, ὅτι ὀρθὰν τὴν ναῦν καταδύσω; quam Seneca lib. XII. Epistolarum (ep. 85.) Latine pronuntiat in illo loco, *gubernator tibi non felicitatem promisit, sed fidelem operam et navis regendæ scientiam; hæc eo magis apparet, quo illi magis aliqua fortuita vis obstitit; qui hoc potuit dicere,* Neptune,

nunquam hanc navem, nisi rectam; *arti satisfecit; tempestas non opus gubernatoris impedit, sed successum,* &c. Vict.

Ἅπαξ θανεῖν] *Semel mori.* Hæc verba ut et superiora Græca, Junio videntur ex litteris Q. fratris. Secus tamen Manutio.

Quæ sunt nonnulla] Hoc non ad ipsa verba, quæ antecedunt, sed ad eorum sententiam accommodat. *Quæ,* inquit, *in te reprehendi, sunt omnino aliqua, sed tamen mediocria, et parva potius.* Man. Ita etiam Victor. sed alii, *quæ sunt nonnullæ, sed tamen mediocres, et parvæ potius.*

Vel in pistrinum] Romanus, contra quam reliqui mei, *in* loco *vel* habet. Ego, quanquam scio vulgatam lectionem et grammaticorum præceptis et scriptorum exemplis repugnare, tamen ejus unius libri auctoritatem tot aliorum testimoniis præferre non audeo, Mal.

Cap. 5. *Cato*] C. Cato, is qui triennio post tribunus pl. rogationem promulgavit de abrogando Lentulo imperio. Fam. ep. 5. lib. I. Man.

Diebus] Nefastis. Tislinus.

Potestatem] Hoc est, se ad Catonis arbitrium non accommodarent. Idem.

3 MARCUS Q. FRATRI S.

Arg. De pueris sine epistola missis se excusat, et de exilii miseria et calamitate graviter conqueritur. *Anno* U. C. 695.

Præter unum me] Vereor enim, ne, qui me perdiderunt, iidem non plane mea pernicie satiati, eadem, quæ mihi, eripere tibi conentur, dignitatem, patriam, fortunas. Man.

Prosequentem] Cum in Asiam imperio proconsulari profectus es. Mos enim hic erat, nimirum laudandus ob humanitatem, ut non solum propinquos, verum et amicos, ad provincias administrandas proficiscentes prosequerentur extra urbem. Hinc illud ad Appium, Fam. lib. III. *Cum te paludatum prosequerer.* Idem.

Prope fratrem] Tolle, *fratrem:* sincerus erit, qui nunc mendosus locus est. Nam quæ solet inter æquales suavitas esse (solet autem maxima) eandem prope inter ipsos esse Cicero dicit. Ergo non fratrem solum desiderat, simul enim desiderat æqualem; desiderat filium: desiderat parentem. Quod autem de tollenda dictione, *fratrem,* diximus, somnium non est: nam Franciscus Petrarca, poeta sermonis Italici hodierni omnium elegantissimus, Latini veteris haud valde bonus, ita legit in epistola 107. Habuit enim librum scriptum, iis, qui nunc reperiuntur, emendatiorem. Idem. Et hic *fratrem* delendum Malaspina censet.

Imaginem meam] Legendum fortasse est, *imaginem tuam.* Quod videtur et Manutio. Lamb.

Te præsidio] Te ipsum tibi præsidio præsentem esse. Nam si quid temporis in reditu poneres, fieri posset, ut aliquid interim absens calamitatis acciperes. Hoc et ad Atticum scribit lib. III. Man.

Auctoritatis] Si modo quid apud te valet hoc, quod me sperare vides, erige te, et confirma. Spero autem tibi tuam integritatem, et amorem in te civitatis, et aliquid etiam misericordiam nostri, præsidii laturam. Id.

Isto] Quod ad te attinet. Timebat videlicet, ne quis ei, in urbem reverso, diem diceret ob provinciam avare administratam. Ad Atticum lib. III. Idem.

Subeundum] Supple, tibi.

Tuum tempus] Tuum periculum. Non placet, inquit, vivere, nisi si aut aliquid tuis rationibus, dum in periculo versaris, possum consulere; aut spem, non dico aliquam aut mediocrem, sed omnino firmam de meo reditu esse intelligis. Non enim exigua in spe tantum pono, ut in tam misera turpique vita diutius velim commorari. Man.

Genere ipso pecuniæ] Placeret sic:

genero ipso, pecunia: ut C. Pisonem generum suum significet: cujus et mores et ingenium vehementer Cicero probavit. Vide de claris Oratoribus. IDEM.

De permutatione] Te, cum ad urbem perveneris, pecuniam, permutatione sumptam, si ego vellem, mihi curaturum. Quorsum hoc ad me retulisti? quasi vero nunc, &c. IDEM.

Ex ærario] Quæ tibi Asiæ prætori de publico debebatur. Certam enim pecuniam provinciarum rectoribus resp. numerabat. Fam. lib. II. IDEM.

Ne ille versus] Verebatur, puto, ne Quintus frater de ambitu accusaretur; quod in petenda ædilitate pecuniam contra leges dedisset. Quo tempore versus quidam in eum de lege Aurelia, qui ambitum notaret, conferebatur. Licet autem existimare, lege hac sancitum de ambitu aliquid fuisse. IDEM.

Affert] Legitur in codice Sorbonico, *afferret*. Cum enim has ad Q. fr. epistolas, mirifice corruptas viderem, et ad me allatum esset Sorbonica in Bibliotheca latere codicem satis vetustum, qui eas contineret, non mediocrem ex illo speravi fructum capi posse. Sed præter unam alteramve lectionem alicujus pretii, nihil, quod vellem tollere, peperit: neque alius Lutetiæ fuit, ad quem confugerem. OLIVET.

MARCUS Q. FRATRI S. 4

ARG. De perfidia, timore, et invidia amicorum conqueritur, et quid sit sperandum de reditu, vere ad se perscribi cupit. *Anno* U. C. 695.

Præter] Verbum *obfuit*, aut simile quid præ dolore omisit. MAN.

Cautum meum consilium fuit] Hoc veritati repugnat. Ubique enim Cicero suum consilium execratur. Quare placet hic legi *defuit*. Qua ratione, ex eadem fidelia, duos parietes dealbamus. Nam et superiori sententiæ suam formam damus, quæ sic inchoata aut potius decurtata est: et historiæ servimus: ut perfidiam amicorum accuset, a quibus proditus sit, et suam imprudentiam aut potius stultitiam damnet, quod iis crediderit, a quibus nunquam putaverit se deceptum iri. Utrumque illis verbis complexus est. *Nullum est meum peccatum, nisi quod iis credidi, a quibus nefas putaram esse me decipi.* Usus est autem hic Cicero ἀσυνδέτῳ. Hanc dicendi formam et alibi adhibuit, et lib. ad Att. III. epist. 15. ubi legitur: *hic mihi primum meum consilium defuit, sed etiam obfuit.* MAL.

Fabricius] Istud recepit Lambinus, admonente Manutio: nam alii, *Gratidius.*

Publicanorum arma] Forte id est quod dixit, *propter nescio quos motus.* Ex armis autem gravior existit inter cives dissensio: et ad restituendum Ciceronem summa omnium consensio requirebatur. Verum quid si aliter distinguatur, sic, inquam? *Alienatio consulum, etiam prætorum, timor publicanorum, arma.* Mihi quidem placeret magis. MAN.

Scilicet] Hic ad affirmandum usurpatur, non, ut interdum, cum ironia, quæ negandi vim habet. Potest etiam hic locus aliter distingui, nec inepte, sic: *si levare potes communem casum, misericordia hominum scilicet, incredibile quiddam,* &c. IDEM.

Ne cessaris] Ne sis languidior, sed strenue resistas. IDEM.

Non enim gladiis] Se ipsum nominat, cum de fratre intelligat; quod eandem utriusque fortunam ducat. *Non,* inquit, *me, hoc est, te, gladiis, sed litibus petent.*

EPISTOLARUM AD Q. FRATREM.

LIBER II.

1 MARCUS Q. FRATRI S.

Argumentum. Commemorat quid in senatu sit actum, referente primum Lupo de lege C. Cæsaris, qua agrum Campanum plebi Romanæ dividi tulerat, deinde Racilio de judiciis, utrum ante, an vero post ædilitia comitia habenda sint. *Anno* U. C. 696.

Duo consules designati] Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, L. Martius Philippus: quos immiscet consularibus. Man.

Lepidus] Non M. Lepidus, qui postea triumvir perdendæ reipublicæ fuit, qui nominari non potuit inter consulares, cum non nisi multis post annis consul fuerit; sed Man. Lepidus, qui consulatum gesserat cum L. Volcatio Tullo. Man.

Glabrio] Man. Acil. Glabrio, qui anno ante Lepidum et Volcatium cos. fuerat. Idem.

Prætores] Cum ex prætoribus neminem nominet, apparet omnes affuisse. Idem.

Lupus] P. Rutilius Lupus. Idem.

Agri Campani] C. Cæsar in consulatu legem tulerat, ut ager Campanus, et qui publicus erat, et qui possidebatur a privatis, plebi divideretur: divisitque consul ipse partem ejus agri publicam. Reliquum a privatis emi pecunia publica oportebat. A quo Lupi trib. pl. voluntas cum abhorreret, disputavit in senatu contra legem Cæsaris accurate. Vide hic ep. 5. et ep. 9. lib. I. Fam. ad Lentulum.

Nostris actionibus] Laudavit omnia, quæ acta sunt a me in consulatu, ne ager Campanus P. Servilii Rulli tribuni pl. lege veniret. Idem.

Gellium] L. Gellium crederem, qui cum Cn. Cornelio Lentulo consul fuit: sed eum inter consulares nominasset. Aut igitur alius Gellius est: aut, si consularis est, non affuit in senatu. Idem.

Absente] Aberat rei frumentariæ causa. Ad Atticum, lib. IV. Idem.

Ne quod onus] Nolle se a senatoribus sententias dici; ne cum adversus voluntatem alicujus loquerentur, in simultates et inimicitias inciderent. Idem.

Milo cœpit dimittere] Senatum. Sed in voce, *Milo* insignem esse mendam existimo. Fuit omnino trib. pleb. T. Annius Milo iis consulibus, quibus hæc epistola scripta est: sed exierat jam e magistratu; cujus, ut diximus, extremus erat dies v. id. Dec. suumque magistratum novi tribuni plebis, quorum unus erat Lupus, inierant. Quare potestatem dimittendi senatus, cum tribunus pl. non esset, habere Milo non potuit. Puto igitur, hæc tria verba de Lupo esse dicta; ut, qui senatum vocaverat, idem cœperit dimittere. Neque vero, quod ad correctionem attinet, quo me conjectura ducat, non habeo: sed ego non is sum, qui, cum aliquid sine antiquorum librorum ope, aut sine manifesto historiæ consensu corrigo, ipse mihi magnopere placeam. Dicam tamen, quod sentio. Pro, *Milo cœpit dimittere*, reponi posset, una tantum addita littera, *in illo cœpit dimittere:* hoc est, *in postremis illis verbis*, se intelligere, quid senatus sentiret. Idem.

Tenere] Dixit, quod ad ipsum attineret, licere senatoribus abire; cum illis verbis uteretur, quæ magistratu-

sum erant peculiaria in dimittendo senatu: *patres conscripti, nemo vos tenet.* IDEM.

Racilius] L. Racilius, tribunus pl. de quo Fam. lib. I. Hic senatum, Lupo dimittente, retinuit, pro potestate tribunicia.

De judiciis] Ut judicia fierent in eos, quibus dicta dies erat. Et unum maxime Clodium animo spectabat. Clodius de vi, accusante Milone, reus erat. IDEM.

Ut ipse] Racilius scilicet. Manutio placet sic legi, *ut ipse judices prætor urbanus*, Lambino approbante.

Comitia] Ædilitia, quibus petebat Clodius; et ob eam causam ante judicia haberi comitia volebat, ut, ædilis factus, Milonis accusationem facilius eluderet. Quod ita contigit. MAN.

Acclamatione] Adversus Cassium; quia comitia fieri ante judicia vellet. IDEM.

Philippus] L. Marcius Philippus, Octavii, cui Augusto postea cognomen fuit, vitricus: designatus consul cum Lentulo Marcellino. IDEM.

De privatis] Ergo post omnes magistratus. IDEM.

Vetus] Qui nominatur in epistolis ad Brutum. Alii hic legunt *Severus*, ex quo Manutius fecit *Sex. Vetus*.

Diem dicendo eximere] Licebat enim senatori, et qua de re vellet, et quamdiu vellet, dicere. Qua potestate abutebantur multi; cum oratione longa diem consumerent, ne quid in senatu contra voluntatem eorum decerneretur. Ep. 3. lib. IV. ad Att. et Gellius lib. IV. c. 10. MAN.

Urbane] Faerni liber, *inurbaneque*, quod et Manutio placet.

Græcostasi] Locus fuit ante curiam: de quo Varro. MAN.

Gradibus] Quibus ad curiam ascendebatur. IDEM.

De mense] Usitata veteribus locutio, pro, *mense*. Qualia sunt, *de nocte, de die*, et similia. Catullus, *Vos convivia sumptuosiora de die facitis.* MANUTIUS.

MARCUS Q. FRATRI S. 2

ARG. Respondet de Lentuli et Sexti nominibus exigendis, et Pomponianis inde dissolvendis, aliisque rebus domesticis: et de rege Alexandrino reducendo quid decretum et actum sit, et quale totum negotium sit, breviter commemorat. *Anno* U. C. 697.

Excuso] De litterarum infrequentia.

Lentuli et Sexti] Ut a Lentulo et Sexto debitam tibi pecuniam exigamus; exactam Pomponio Attico, cui debes, persolvamus. IDEM.

Cincio] L. Cincio, qui Attici negotia Romæ procurabat. IDEM.

Quid] Tabernaculum vitio ceperat. Historia est de Nat. Deor. II. 4. et de Divinat. I. 17.

De forma Minuciana] Ædificium forte Quintus ad eam formam, quam Minucius architectus fecerat, extrui volebat. Qua de re videtur significari infra, epist. 5. MAN.

Nominibus Pomponianis] Pecunia, quam debes Pomponio Attico. IDEM.

Nihil] Ubi ædificetur ad formam Minucianam. IDEM.

Conditio] Emendi Tusculani. ID.

Cyrum] Architectum. *Ad Att.* II. 3. *Fam.* VII. 14. IDEM.

Ædilitatis] Quam Clodius petebat.

Alexandrino] Ptolemæo Aulete: qui, a suis civibus pulsus, ad senatum confugerat, petebatque, ut restitueretur. Vide Fam. lib. I. Restitutus demum est ab A. Gabinio Syriæ proconsule; qui provinciæ suæ terminis, pretio ductus, est egressus. Quo nomine postea condemnatum, in Dione legimus. MAN.

Multitudine] Cum qua regem reduci, vetabant libri Sibyllini. IDEM. Hæc omnia facile intelliguntur ex epist. ad Lentulum, lib. I. ad Famil.

Latrocinio tribunorum] Catonem in primis, et Caninium notat: quorum ad eripiendam Lentulo regis reductionem iniquissimos conatus *latrocinium* appellat. De quibus etiam

epist. 4. ad Lentulum sic: *qui nunc populi R. nomine, re autem vera sceleratissimo latrocinio, si qua conabuntur agere*, &c. MAN.

3 MARCUS Q. FRATRI S.

ARG. Quid in senatu sit actum, imprimisque quæ in judicio de Milone, quem Clodius de vi accusaverat ad populum, acciderent, commemorat, et quæ sit expectatio ejusdem judicii in Quirinalia a Clodio dilati. De Sextio de ambitu a Cn. Nerio, et de vi a M. Tullio postulato: de senatus-consulto, quo centuriati et decuriati discedere jubebantur: de Bestia ambitus reo a se defenso, et alia domestica. A. U. C. 697.

Kal. Febr.] Legitimi habendo senatui dies erant, *Kalendæ, Nonæ, Idus*. Reliquis diebus, modo comitiales non essent, haberi quidem senatus poterat; sed certus neque lege, neque more statutus erat dies. Positum id erat in voluntate magistratuum. Legationes igitur a Kalendis in Idus rejiciebantur; non quia senatum haberi ante Idus non liceret; sed quia, si haberetur, alia de re potius, quam de legationibus, agi placeret. MAN.

Milo affuit] Accusabatur a P. Clodio ædili, de vi, apud populum. *Affuit*, in foro; ubi cujuslibet generis exercebantur judicia. IDEM.

Advocatus] Non ut pro Milone diceret, sed ut præsentia sua reum sublevaret. Is enim *advocatus* est, ut in Divinatione Pedianus testatur. Quarto igitur Nonas Miloni *advocatus*, octavo Idus eidem *patronus* Pompeius venit. IDEM.

Marcellus] Non dubito, quin M. Marcellum significet, eum, quem, post devictum acie Pharsalica Pompeium, a P. Magio Chilone interfectum fuisse, Ser. Sulpicii ad Ciceronem epistola declarat. Existimo autem potius Marcum significari, quam aut Caium, ejus fratrem, aut alium quenquam; quia et erat hic bonarum in rep. partium tutator, et Ciceronis amicissimus, et Milonis ipsius proprie studiosus, qui etiam ipsum, quo tempore de Clodii cæde causam dixit, cum Cicerone defenderit. Ut omittam, quod, cum sine prænomine appelletur, de ipso potius, qui virtute et honore reliquis Marcellis antecellebat, quam de quovis alio, accipiendum videtur. IDEM.

De provinciis quæstorum] Ut quæstores anni superioris provincias sortirentur. Cujus rei ad consules relatio pertinebat. Quæstores autem sorte in provincias ivisse, docet oratio pro Murena. IDEM.

Prætoribus] Malim, *prætoriis:* ut de provinciis intelligatur. Quod probat latine loquendi consuetudo. Nam in epist. ad Atticum lib. III. *Antequam*, inquit, *ad me scripsissetis, vestro consensu consulares provincias ornatas esse.* Ad eundem lib. IV. *Qui se dicerent in ornandis provinciis consularibus scribendo affuisse.* Et in epistola ad Catonem, Fam. lib. XV. *Provinciam*, inquit, *ornatam*, et *spem non dubiam triumphi neglexi.* Poterat enim facile triumphum sperare, cum *ornatam* provinciam acciperet, hoc est, exercitu pecuniaque instructam. Id est enim *ornare provinciam.* IDEM.

Imperio] Ciliciæ administratione. IDEM.

Mutavit] Sordidata veste, ad commovendam misericordiam, sumpta: quod magnarum calamitatum in metu facere solebant: itaque, lege Clodia promulgata, vestitum et Cicero cum innumerabili amicorum clientiumque multitudine mutaverat.

Peregerat] Petrus Danesius, quem habet Gallia clarissimum ingenii doctrinæque lumen, cum Venetiis ad eum sæpe honoris causa in ædes Georgii Silvæ, Vaurensis episcopi, adolescentulus ventitarem, in sermone dixit, rectius legi posse, *semper egerat.* Quod idem mihi quoque nunc videtur. Et optime duæ dictiones, *interdum, semper*, altera cum altera congruet: ut Pompeius silentio non sane *semper*

egerit, sed *interdum;* cum auctoritate vero semper. Hanc enim operarum Clodii clamor eripere nunquam potuit. MAN.

Clodiam] P. Clodii sororem, eam de tribus, ut opinor, quæ Q. Metelli Celeris uxor erat. Nam etsi reliquæ item duæ, una, quæ Q. Marcio Regi, altera, quæ L. Lucullo collocata fuerat, male audiebant impudicitiæ nomine, ut etiam cum fratre Clodio rem habuisse dicerentur: hæc tamen Metelli uxor, quam *Quadrantariam* esse appellatam Plutarchus tradit, infamia præstabat. Et hanc significat Cicero libro ad Atticum II. cum appellat Βοώπιδα: et in oratione de Haruspicum responsis, cum ait: *ne id quidem sentis, conniventes illos oculos abavi tui magis optandos fuisse, quam hos flagrantes sororis?* In ea vero pro Cælio, satis aperta suspicione carpit, quasi venenum Metello conjugi dedisset. MAN.

Fame] Quasi Pompeius, qui rei frumentariæ præesset, frumentum comprimeret.

Alexandriam] Restituendi Ptolemæi causa. IDEM.

Quirinalia] Quæ erant XII. Kalend. Martii. IDEM.

Diem] Accusationis. IDEM.

Ad Apollinis] Non modo qui Græce sciunt, sed qui Latinas litteras vix primoribus, quod aiunt, labris attigerunt, in hoc loquendi genere subaudiri *ædem* intelligunt. IDEM.

Ut Pompeius adesset] Puto, quia prope templum Apollinis Pompeius habitaret; qui longius a suis ædibus discedere, metu Clodii, non audebat. Ideo, paucis ante versibus legitur, eum, senatu in Hostiliam curiam vocato, domesticis se parietibus tenuisse. IDEM.

Descripsit] Non nominatim appellavit, sed quasi quibusdam coloribus ita depinxit, ut, eum notari homines intelligerent. MAN.

Concionario] An non rescriptum oportuit, *concionatorio?* Sic sane putat Gulielmius. At quid si fuit, *conciongli?* GRUT.

Manus] Clientum Pompeii, Ciceronis, Lentuli, Milonis. MANUT.

Ut etiam] Ut non modo Clodius aliquid in nos per vim agere non possit, sed nec Cato rogationes eas perferre, quas de Milone et Lentulo promulgavit. IDEM.

Sextius] Publius, qui anno proximo tribunus pl. cum septem collegis de Cicerone restituendo rogationem pertulerat. IDEM.

Indice] Ciceronis temporibus verbum *indicis* convicium fuit, et nomen perditi hominis, ut, sub imperatoribus, nomen *delatoris* et *cognitoris*. GRONOV. *Sest.* IV. 3.

Pupinia] Ex tribu Pupinia. MAN.

M. Tullio] Cui cognomen fuit Albinovano. Vide orat. in Vatin. ID.

Allegatos] *Allegatos* dicit Tullius qui vulgo *delegati* vel *deputati*, eos qui audiendis ipsius indiciis et probationibus dati sunt. Apud eos igitur *edidit ista*, quorum accusabat Sextium, et produxit firmamenta accusationis suæ. F. JUNIUS. *Alligatos* legit Turnebus, quem vide Advers. XX. 5.

Sodalitates] Hic de sodalitatibus intellige ambitus causa factis. MAN.

Decuriatique] Et verbum, *decuriare*, et *decuria* sæpe non pro decem tantum hominibus, sed pro aliquo numero in unum coacto, et tanquam in decuriam descripto, ejusdem rei tractandæ causa. Sic Phil. V. *Non improbos decuriabat? non sollicitabat agrarios?* Et in oratione pro Plancio sæpe utitur hoc verbo, cum loquatur de ambitu: item in Verrem, &c. IDEM.

Discederent] De campo Martio; cum ad creandos magistratus, qui eo anno creati ob factiones nondum erant, convenissent. IDEM.

Bestia] L. Calpurnio Bestia, qui consulatum Ciceronis reprehendere solitus est. A quibus enim injuriam tulerat, eos sæpe Cicero defendit, ut P. Vatinium, A. Gabinium: ejusque rei causam exponit his verbis in epist. ad Marium: *cogor nonnunquam homines non optime de me meritos, roga-*

tu eorum, qui bene meriti sunt, defendere.

Προϊδὼν προμηθευσάμην] *Procuravi, providi.* Vide P. Victorius Var. Lection. XXXV. 4.

Εὐκαίρως] Opportune.

Ejus nuptiis] Cum Piliam duxit uxorem quinquagenarius. MAN.

Kalendis Quint.] Is dies terminus erat locatarum ædium. Suet. in Tiberio, et Martialis lib. XII. Epigr. *O Juliarum dedecus Kalendarum!* MANUTIUS.

Olbiensem] Olbia datam. IDEM.

Sardiniam] Insulam cum aliis morbis, tum pesti obnoxiam. TISLINUS.

4 MARCUS Q. FRATRI S.

ARG. De Sextio absoluto, et Vatinio in judicio Sextiano vexato, aliisque domesticis rebus certiorem facit. *An.* U. C. 697.

Absolutus] Judicio de vi, accusante M. Tullio Albinovano. Extat Ciceronis orat. Nam judicium de ambitu factum esse non existimo. MANUTIUS.

Plaudentibus] Pessime enim Vatinium omnes pene homines oderant. Ex quo Catullus, *odissem te odio Vatiniano.* Macrobius *lib.* II. *Saturn.* Lapidatus a populo Vatinius, cum gladiatorium munus ederet, obtinuerat ut ædiles edicerent, ne quis in arenam nisi pomum misisse vellet. Forte iis diebus Casellius jurisconsultus consultus a quodam, num nux pinea pomum esset: *si in Vatinium missurus es*, inquit, *pomum est.* ID.

Macer Licinius] Unus de Sextii patronis, et forte Licinius ille Calvus, eloquentiæ laude insignis, filius C. Macri, qui reus Cicerone prætore de repetundis factus, cum se damnatum iri videret, voluntaria morte jacturam rei familiaris effugit. Qui enim *in reatu*, ut jurisconsulti verbum usurpemus, *obierat*, ejus bona subjici hastæ leges vetabant. Plutarchus, Valerius. IDEM.

Tyrannio] Satis usitatum grammaticis nomen. Nam et is, qui Aristotelis Theophrastique volumina, dictatore Sylla Athenis reperta, digessit, Tyrannio dictus est. IDEM.

Apud me] *Domi meæ*, non, ut ante, *domi tuæ.* IDEM.

Contubernales] In suis uterque ædibus, sed ita ut domus utriusque nullo interjecto spatio disjungerentur. IDEM.

Latiar] Significat Cicero scriptam esse hanc epistolam sub vesperam illius diei, vel exeunte et discedente illo die, quo Latinæ feriæ erant confectæ. *Ire* dies, et *abire*, et *exire* satis perspicue dicitur, ut et *anni exitus.* Cum hæc, inquit, scriberem, in exitu erat is dies, *qui confectum erat Latiar*, quo peractum erat feriarum Latinarum sollemne vel sacrificium in Albano monte Latiari Jovi. Lucanus, I. 150, et V. 402, dixit *confectas Latinas.* Videri cuipiam potest, legendum esse *quo confectum erat.* Atenim *qui* non tantum est primi casus, sed etiam sexti, ut ostendit Fr. Sanctius *Minerv.* IV. 4, et vulgo notum est. Quin videtur Cicero maluisse *qui confectum*, quam *quo confectum*, ut boni scriptores malunt *quicum*, ubi scribunt alii *quocum.* Jam si quid historiæ dandum est; Latinis feriis unum diem dicaverat Tarquinius: exactis regibus, addiderunt alterum primi consules: inde foedere cum Latinis populis icto, paulo post secessionem in montem Sacrum, accessit tertius: denique post atrox, civile nihilominus certamen de consulatu cum plebe communicando, reducta concordia, quartus adjectus. *Dionys. Halic.* lib. VI. extremo, *Plutarchus* in Camillo, et *Livius*, VI. 42. Hæc fusius J. F. Gronovius. *Observ.* IV. 25. OLIVETUS.

MARCUS Q. FRATRI S. 5

Arg. De pecunia Pompeio in frumentaria causa decreta, de agro Campano quid in senatu actum sit, et de M. Furio Flacco e collegiis ejecto. *Anno* U. C. 697.

Campano] De quo supra. Videatur etiam lib. I. *ad Fam.* epist. 9.

Capitolini et Mercuriales] Erant *Capitolini* collegium hominum Capitolium et arcem incolentium, ludosque Capitolinos celebrantium. T. Livius, V. 50. *Mercurialium* autem collegium mercatorum fuisse crediderim. T. Livius, II. 27. Turn.

MARCUS Q. FRATRI S. 6

Arg. De rebus privatis in primis sponsalibus et ædificatione scribit: consulis Lentuli Marcellini in impediendis legibus perniciosis egregium studium, et alia de republica. *Anno* U. C. 697.

Forma] Quam Minucius fecerat. Epistola 2. hujus lib. Man.

Labrone] Non dubito, quin de Ligurni, ut nunc appellant, portu intelligat. Vocem corrupit, ut alias innumerabiles, vetustas. Idem.

'Αμφιλαφίαν] Vox eadem legitur iterum hoc eodem libro, epist. 15.

Bono modo] Non, *omnino*, sed, *quadam ex parte:* μετρίως quod Græci dicunt, ut, *bono*, temperamentum quoddam, non, ut alibi, magnitudinem significet. Sic lib. II. Acad. *Hæc tibi... tam sunt defendenda, quam mœnia: mihi autem bono modo, tantum, quantum videbitur.* Man.

Opus erat] Opus erat ad relaxationem animi mei, ut paulisper ab his tumultibus secederem, ac fabris locum darem. Defessus enim jam sum ex molestia, quam illis urgendis capio. Id igitur facerem, si te haberem. Man.

Sed et hæc] Dixerat jam, *sed hæc coram agemus*, cum de discordiis mulierum meminisset. Recte igitur usus est particula, *et:* ut significet velle se non illa tantum superiora, sed et hæc præsenti sermoni reservare. Idem.

Exemit] Sustulit: effecit, ne per eos lege agi posset: ne scilicet C. Cato tribunus pl. quas de P. Lentulo Spinthere et Annio Milone rogationes promulgaverat, eas perferre posset. Idem.

Etiam Latinæ] Cum dicat, *etiam*, liquet, non instaurandis modo Latinis exemptos esse a Lentulo comitiales dies, sed alio etiam genere impedimenti, cujusmodi erat, *servare de cœlo*. Idem.

Instaurantur] Quasi, faciendis iis, aut prætermissum aliquid esset, aut, quod non oporteret, commissum. Quibus de causis, sæpe legimus apud Livium, instauratos esse ludos. Instauratas autem decreto pontificum Latinas, ex Livii l. XXXII, planum est. Idem.

Supplicationes] Quæ imperatoribus pro re bene gesta decernebantur: eæque dum fierent, lege agere non licebat. Idem.

Unus est] Non quia re vera unus, sed quod unus inter omnes eo magistratu dignus esset. Man.

Proscripsit] In publico posuit; cum in ea scripsisset, servos sese venditurum C. Catonis: quod illi esse dedecori intelligebat. Idem.

Monstra] Leges perniciosissimas. Idem.

Caninius] Tribunus pl. qui rogationem promulgaverat, ut Pompeius regem Ptolemæum cum duobus legatis restitueret. Hoc Cicero significat, obscure ille quidem, sed Plutarchus apertissime. Idem.

Vituperatur] Qui, cum a Lentulo fuisset ornatus, restituendi Ptolemæi regis honorem ei vellet eripere. Ornamentum autem in Pompeium a Lentulo profectum, id fuit, quod, ut rei frumentariæ præficeretur, consul anno proximo retulerat. Man.

Propter Milonem] Defensum con-

tra Clodii accusationem VIII. Id. Feb. IDEM.

Clodio] Ita Man. et Lamb. Vetustiores, *Cælio.* Gruterus, *Clælio.*

In consilio] Judicum. MAN.

Revocat] Rursus accusandum. ID.

Apud suos] Quod ei judices faverent. Opinor, quia non optime in Pompeium essent animati. Sequitur enim, *Pompeii offensio nobis obstitit.* IDEM.

Urna] Tres erant urnæ, cum tres ordines, senatores, equites, tribuni ærarii ex ea lege, quam tulerat in prætura L. Aurelius Cotta, judicarent. In eas separatim cujusque ordinis tabellæ conjiciebantur. IDEM.

Adæquavit] Pari numero fuerunt, qui condemnarent, et qui absolverent.

Non siturum] Nec sivit, tribunitio intercedendi jure. Nulla enim hoc anno habita comitia, ac ne duobus quidem proxime sequentibus, sed ex interregno consules per triennium creatos, Cicero ipse aliquot locis, et Dio libro XXXIX. præterea Plutarchus, Appianusque declarant. Hoc autem anno, sublatis comitiis a C. Catone tribuno plebis, vestem senatus mutavit. Epitome, Dio, &c. MAN.

Exempti] Eximebat Marcellinus consul, ut ejus perniciosissimis legibus obsisteret. Supra. IDEM.

Appius] P. Clodii frater, nondum e Gallia Cæsaris provincia, &c. ID.

7 MARCUS Q. FRATRI S.

ARG. De itinere suo, et expectatione Quinti. *Anno* U. C. 697.

Laterio] Fundo Quinti, in Arpinati. Ep. 1. lib. III. et ad Att. ep. 7. l. IV. MANUT.

Pompeianum, Cumanum] Non Quinti, sed ipsius Marci fundos. IDEM.

Dies] Judiciis. Supra. IDEM.

Arcani] Villa Quinti fuit. MAN.

Sustentari] Differri. Pudet in iis verbis immorari, quorum usum congesta in libros exempla declarant. Tametsi in his ipsis, qui omnes divitias nomine pollicentur, est sane cur aliquid, atque adeo multa, nec ea levia, desiderentur. IDEM.

8 MARCUS Q. FRATRI S.

ARG. De supplicatione Gabinio negata, et desiderio suo fratris videndi. *Anno* U. C. 697.

Cum timore] Propter pericula, quæ navigantibus impendent. TISLINUS.

Nemini accidisse] Ut imperatoris litteris, bene gestam rem nuntiantibus, senatus non crederet. MAN.

Εἰλικρινὲς judicium] Sincerum illud est ac simplex judicium senatus: nihil in eo gratiæ meæ tribuit. IDEM.

Aqua hæret] Quam in partem me dem, quid sententiæ dicam, incertus sum. Ductum a clepsydris; in quibus non semper fluebat aqua, sed interdum hærebat immobilis. IDEM.

Illud scilicet] Sententia Ciceronis hæc est: veni, hoc rogamus ego et Cicerones. Ubi veneris, adventoria tibi dabitur. *Illud scilicet*, valet, illud scias vel cognoscas licet: vel, illud sci, licet. GRON. *Observ.* III. 9.

9 MARCUS Q. FRATRI S.

ARG. Quid cum Pompeio et Crasso coss. de operibus et inscriptionibus egerit, quid profecerit, et quid in senatu actum sit, perscribit. *Anno* U. C. 698.

Librum] Hic liber, quo erat in extremo Jovis oratio, qui fuerit, ignoratur. Crediderim fuisse poema. Nam, inducere Jovem loquentem, poeticum quiddam est, non oratorium. Ac forte intelligendum est de versibus illis, quibus acta consulatus sui persecutus est. MAN.

De nostra Urania] Vulgo *de non*

curantia. Ego ausus sim propemodum affirmare, *de nostra Urania* scribendum esse hoc loco. Satis enim constat M. Tullium, tres libros de suo consulatu carmine scripsisse, eosque a trium Musarum nominibus appellasse: certe Musis in eis loquendi partes dedisse. In quibus *Uraniam* fuisse ea testantur, quæ sunt in libro primo de Divinatione, totidem verbis. *Sed quo potius utar aut auctore, aut teste, quam te, cujus edidici etiam versus, et libenter quidem, quos in secundo de Consulatu Urania Musa pronuntiat?* His ergo argumentis videmur non inepte *Urania* restituisse. MAL. Certam *Leon. Malaspinæ* conjecturam hic esse puto. LAMB.

Sed tamen] Ita loquimur interdum, cum, omisso, qui erat institutus, sermone, novam aggredimur narrationem. Non enim est hic, *sed tamen*, ea sententia usurpatum, ut indicet contrarium aliquid iis, quæ jam dixit. MAN.

Operibus] Videtur ejusmodi res fuisse, quæ fieri sine publica consensione non posset. Itaque dabat operam Cicero, ne Clodius adversaretur, et ut Pompeio Crassoque adjutoribus uteretur. Opera vero ipsa, atque inscriptiones, de quibus laborabat Quintus, crediderim significari in epist. 1. lib. III. ubi mentio de Telluris æde fit. Nam ad eam ædem fieri quiddam, atque inscribi suo nomine, Quintus volebat. Id curavit Cicero, ut scribit ipse in eo loco, diligenter: statuam etiam fratris locavit. IDEM.

Per populum] Dandarum legationum jus ad senatum pertinebat. Clodius, si per senatum non posset, confugere ad populum cogitabat. Id homines populares facere solitos esse, ut Cæsarem de provincia, Vatinium de legatione, animadverti. MANUTIUS.

Byzantium, aut Brogitarum] Ut a Byzantiis, quod eos tribunus pl. ab exilio sua lege restituerat; a Brogitaro autem, quod eum Matris Magnæ templo præfecerat, promissam pecuniam exigeret. Ideo subjungit Cicero, *plena res nummorum.* Hac utraque de re satis aperte in oratione pro Sextio. IDEM.

Aut utrumque] Vel, *utroque*, ut ad legationem referatur, malim legere: vel, si, *utrumque*, retinemus, ad verbum, *cupit*, accommodetur. IDEM.

Ad nostrum Jovem] Ut ea, quæ Jupiter in extremo illo libro præcipit, observemus.

De ambitu] Eorum magistratuum causa, quos proxime creari oportebat. Ii prætores erant. Nam consules ex interregno creati jam erant Pompeius et Crassus. Qui cum id spectarent, quod etiam consecuti sunt, ut petentibus præturam M. Catone et P. Vatinio, Catoni Vatinius, integerrimo civi omnium nequissimus, anteferretur, neque id se posse obtinere sine ambitu sperarent; cavere sibi a legibus voluerunt, senatus-consulto facto, ne, qui præturam per ambitum cepisset, ei propterea fraudi esset. Nimis hoc improbum videtur, sed patet ex Plut. in Cat. Utic. IDEM.

Quam ego dixeram] Non, *quam ego dixeram in senatu.* Non enim eo turpitudinis Cicero venisset, ut, cum antea consul legem contra ambitum tulisset, idem sententiam in senatu diceret de impunitate iis danda, qui per ambitum deliquissent. Expono igitur, *quam dixeram*, de qua tecum locutus eram. IDEM.

Consules] Pompeius, et Crassus. ID.

Non sunt persecuti] Noluerunt, inquit, discessionem fieri a senatu, quo posset intelligi, probarentur necne eorum sententiæ, qui Afranio, &c. ID.

Ut dies LX. privati essent] Eo nimirum consilio, ut accusare volentibus eos, quia per ambitum prætores creati essent, spatium daretur. Nam, si præturam protinus iniissent, accusandi locus non fuisset. Non enim eos, qui essent in magistratu licebat postulare. IDEM.

Repudiarunt] Nomen ejus, præturam petentis, recipere noluerunt, quod Ahenobarbo erat affinitate conjunctus. IDEM.

10 MARCUS Q. FRATRI S.

Arg. Respondet epistolæ Quinti, qua se metuere scripserat, ne eum litteris suis interpellet. *Anno* U. C. 698.

Videbaris] Ant. Faer. aliquot alii, *videbis*. Rectum arbitror, *videris*: ut hominem fraterne castiget, cui quidem in mentem venire potuerit, vereri, ne se interpellaret. Tu, inquit, mihi videris istiusmodi humanitatis exemplum inter nos inducere, quod mihi sequi non libeat. Ita enim illud accipio, *qua quidem nihil utor abs te.* Itaque et superiora illa: *tu scis quid sit interpellare*, cum nota sciscitandi lego: ut hujus loci totius sensus ille sit. *Tu times ne me interpelles? Primum, si in isto essem, ut nollem interpellari, tu scis quid sit interpellare?* hoc est, videris mihi nescire quid sit interpellare, cum tu mihi importunus advenire nunquam possis. An te Ateius interpellat? Sane mihi videris istius generis humanitatem docere, qua ego non utor abs te: hoc est, nolo a te discere. Nam arbitratu meo ad te accedam, de interpellatione nihil solicitus. Sic ego et interpretor et lego. Quod si vulgatam sequamur, cum in reliquis omnibus, tum in illo, *qua quidem nihil utor abs te*, non parum frigoris inerit. Sed non omittam illud quod mihi venit in mentem, subvereri, ne in illis, *an te Ateius?* mendum sit. Nam primo, quis hic Ateius, Quinto tam familiaris, ut quidvis agenti, importunus advenire nunquam posset? Certe, cum tanta charitas esset duorum fratrum, ut nemo uni amicus esse posset, quin alteri esset carissimus, in tot tamque variis scriptis M. Tullii taceri Ateius non debuit. Deinde in Antoniano et nonnullis aliis manuscriptis, non, *an te Ateius*, sed *antea te is*, legitur. Perperam ipsum quidem, sed quod tamen vulgatæ suspicionem creet, quæ aliis quoque de causis suspecta potuit esse. Quanquam aliter etiam exponi posse videtur, nempe, an te Ateius hanc humanitatem docuit? ut Ateium Capitonem significet, jurisconsultum quidem præcellentem, sed aditu fortasse difficillimum: qui, cum et in respondendo et in scribendo esset occupatissimus, interpellari se ægre pateretur. Hujus a Gellio scripta non pauca commemorantur, *de judiciis publicis: de jure pontificio: Collectanea.* Quanquam eo tempore duo Ateii inveniantur fuisse; L. et C. utrique Capitones. Prioris mentio fit in epistola Cælii ad Ciceronem; posterioris, in epistola Ciceronis ad Plancum. Mal.

Μουσοπάτακτος] Id est, *a Musis percussus et vulneratus.* Πάταγος enim sonus est qui ex percussione resultat. Victor.

Insulsa] Sic conjicit Victorius lib. VI. Var. lect. cap. 6. cum esset in libris *infusa*, in editis *invisa*; nec rejiciat, *insita.* Grut.

Non tollerem] Ab urbe discedens, non asportarem, eadem scilicet, qua ego vectus sum, lectica. Man.

Ἀντισπαστόν] Placet, quod video scriptum esse in Bessarionis libro, ἀντίσπαστον, hoc est, *adductam contra voluntatem meam.* Man. Petrus Victorius legebat, et probabile Lambino videtur, *ἀναντίλεκτον*, *cui contradici non potest.* J. F. Gronovius, ἀνίατον, *sonticam.*

Cæteri omnes] Ita Victorius. Recentiores vero, *iterum Cicerones.*

Sic fit] Sic ulciscor eos, a quibus lacessor immerito. Man.

Ἔα πάσας] *Mitte omnes.* Et hunc locum interpretes negant se intelligere. Lambinus omissum dicit μελεδώνας. Integrum erit igitur, *mitte omnes curas.*

Anicianam] Quam Ptolemæus, Ægypti rex, qui a suis civibus ejectus Romæ aliquandiu fuit, Anicio dono dederat, uni fortasse de suis creditoribus. Man.

Octophoro] Quem octo servi gestarent.

Macharophoris] Gladium ferentibus.

Centum] Non puto Ciceronem hujusmodi comitatu esse usum. Vix hoc Milonis aut Clodii insaniæ tulissent. Ac, si Ciceronem secuti essent; non extimuisset Marius, quasi ad aspectum novæ rei. Crediderim igitur casu contigisse, ut eadem via post octophorum Anicianum sequerentur illi machærophori, quibus visis, Marium, qui non animo minus quam valetudine esset infirmus, hominum et machærarum subita specie perterritum pene corruisse. MAN.

Tunc] Forte verius, *hunc:* de quo scilicet locuti sumus. IDEM.

Rudem] Lambinus, *tutam.*

Vicinum Marium lumen esse] P. Victorius tollit vocem *lumen* lib. VI. Var. lect. cap. 7. sed non necessario. GRUTER.

Paratum] Marii causa; ut sit, ubi homo infirmus commode excipiatur. Nam ego ita sum philologus, hoc est, ita litterarum studiosus, ut mollis tamen minime ... quos librorum co... sum, inquit, vel c... Non enim mea philoso... voluptatem, et mollitia... Ea me non oblectavit in ... monte Atticæ amoenissimo, ... area cum servis Syris, qui ædifi... duriter exercuit. Jocatur, cum ... *philosophari in area*, hoc est, suum studium in fabris exercendis ponere significat. MAN.

Area Syra] In qua servi Syri opus faciunt. IDEM. Fortasse *Cyrea*, ut *Att.* IV. 10. a Cyro, architecto, de quo *ibid.* II. 3. OLIV.

Philoctetem] Ille Herculis comes, accepta a suis civibus, hoc est, a Græcis, injuria, cum in Lemno insula destitutus est, execrabatur eos, a quibus eam injuriam immerito tulisset. Tu contra; cum eos cives, qui nos indignissimis et iniquissimis modis vexarunt, doles tamen, &c. MAN.

Illa spectacula] Calamitates, et miserias suorum civium gravissimas. ID.

MARCUS Q. FRATRI S. 11

ARG. De Tenediis frustra libertatem petentibus: de laudibus Quinti, et de Lucretii ac Sallustii poematibus. *Anno* U. C. 698.

Tenediorum] Petitum est a legatis ex insula Tenedo missis, ut Tenedii suis legibus viverent. Negatum. Potius enim censuit senatus, ut eadem conditione, qua cæteri in provincia populi Romani, tenerentur, hoc est, ut legibus a pop. Rom. aut a provinciali magistratu datis uterentur. MAN.

Tenedia securi] Inde translatum quod olim rex Tenedi securim gestans, lites audire consuevit; causaque judicata, protinus eum qui fecisset injuriam, securi percutere. Aut quod Tenedius quidam rex legem tulit in adulteros, ut utriusque corpus securi concideretur; ejusque legis exemplum etiam in filium edidit. Cujus rei et meminit Stephanus in urbium catalogo. ERASM. apud quem plura, *Adag. Chil.* I. *Cent.* IX.

De te] Quia Tenedum et Sipylum Quintus, cum esset in Asia pro prætore, triennio ante rexerat, Sipyli autem legati potius, quam Tenedi, Quintum in senatu laudarant. MAN.

Pansæ] Postulantis aliquid, opinor, pro publicanis contra Asiaticos, quod ei concedi jus non esset. Nam inter provinciales et publicanos vectigalium causa nunquam defuit contentio. MAN.

Neque tibi, neque Pomponio] Forte, ut communem utriusque rem in aliqua causa defenderet. IDEM.

Ita sunt] Ejusmodi sunt, qualia tu scribis esse, multis illa quidem ingenii luminibus, multis tamen etiam artis. Quibus verbis plus in Lucretio declarat ingenii, quam artis, esse. Quod sane hi quoque ipsi, qui ad nostrum ætatem pervenerunt, sed illius libri satis indicant. IDEM. Victorius edidit, *non ita sunt,* cum vulgo legeretur, *lita sunt.* Nos, inquit, non

...us hanc licet satis receptam ...em delere. In manu enim ...ptis libris non invenimus, et nullo modo rectam esse judicamus. Nam quæ infra posita sunt verba, *multa tamen artis*, necesse est ut antecedenti sententiæ repugnent. Cum igitur *artem* in illis laudet, verisimile est aliquid prius improbatum fuisse. Quod si cui mirum videtur judicatum esse quandoque Lucretium elegantissimum atque ornatissimum poetam non satis multis ingenii luminibus sua poemata scripsisse, is judicium Quinti reprehendat. Nam suspicari possumus, cum quo modo potest eum tueatur et ornet Marcus Cicero, non valde (etsi videatur illud confirmare) fratris judicio de hac re stetisse, noluisse tamen iracundo homini adversari; qui fortasse quod ipse quoque versus scribebat, invidia motus verum non videbat: potuit tamen sic judicare, quod Lucretius poema suum non contexuit ut ingenium ejus elucescat, sed rationem ab Epicuro traditam summa industria et artificio explicavit. Victorius.

Virum] Id est, *fortem et patientem et malis invictum;* si potueris ferre, id est, patienter legere seu audire tam indoctum poema. *Hominem non putabo:* id est, putabo te omnis humanitatis expertem, ferum, immanem, seu sensus expertem. Lamb.

12 MARCUS Q. FRATRI S.

Arg. Quomodo Appio consuli restiterit, et cum Cæsare per litteras jocatus sit, commemorat. *Anno* U.C. 699.

Populi] Stantis ante fores curiæ in Græcostasi et gradibus, ut fere habes in epistola 1. hujus libri. Man.

Rem] Quæ huc faciant, aliqua collegit Henr. Noris, *de Epoch. Syromacedonum*, Dissert. II. cap. 4.

Blanditur] Metu: ne itidem exteris legatis, aut regibus, aliquid a senatu petentibus, obsistam. Quod ideo Appius nolle videbatur, quia, cum aliquid eorum causa senatus decrevisset, munera mercedis loco, aut etiam pactam mercedem consuli, qui ad senatum retulisset, dare consuessent. Id significant illa verba, quæ sequuntur: *videt, hoc genere dicendi si utar in cæteris, Februarium sterilem.* Man.

Et Zeugmate] Affirmo, *et Zeugmate*, Ciceronis non esse: et, ut olim in jure solebant, sic ego sponsionem facerem, ni glossema sit. Idem. Vereor, ne temerariam fecerit sponsionem Manutius. Id enim oppidum erat positum in Euphratis transitu, vel ad pontem Euphratis, unde dictum fuerat *Zeugma*, quæ vox Græcis pontem, vel fluvii trajectum significat. Plinius, lib. V. cap. 24. sect. 21.: *Zeugma transitu Euphratis nobile.* Gruteri vetus liber habebat, *in Euphrati Zeugmate.* Sic etiam codex Sorbonicus. Potuit *Euphrati* pro *Euphratis* scribi, ut multa id genus. Ac profecto si legas *in Euphratis Zeugmate*, aliquid vulgato melius habebis. Olivet.

Cæsare consule] Aut, quia consulatum Cæsar solus gessit, Bibulo collega domi incluso: aut, quia Cæsar ad senatum retulit de honore togæ prætextæ Commageno regi impertiendo. Man. Quos honores regibus sociis et amicis senatus daret, exposuit Barn. Brisson. *Formul.* pag. 261.

Quod vult] Retinui quod dedit Victorius. Cæteri ediderunt, *quod non vult.* Quo sententiæ bono intrusa negatio sit, intelligere nondum potui. Quis enim credat, noluisse regem Commagenum, per se *ignorabilem*, eos sibi honores concessione iterata confirmari, quos habebat datos a senatu? Tum, cur diceret Tullius, a se rem totam esse discussam, totum regem explosum? Non videtur ergo dubitabile, quin vera sit scriptura Victorii. Porro, locus hic totus cavillationem habet, et jocum ex ambiguo. Unde intelligi facilius potest,

quam explicari. Nam in jocationes convenit id, quod Aristoteles de translationibus notavit, *Rhetor*. III. Eas nemo ab aliis accipit, sed sibi facit ipse. Ad intelligendum accedet paratior, qui hæc meminerit. Toga *prætexta*, vestis est apud Romanos honorata, et ejus ferendæ privilegium regi concessum. *Interpolare* togam, est vestem detritam reficere, et ejus ferendæ honorem renovare. *Quominus* significat *ut non*, et *quin*. Quo pacto ludat in hac ambiguitate orator, quisque sibi dicet. Olivet.

Busrenum] Regis barbari nomen; qui tamen paulo, quam Commagenus, erat nobilior. Ei quoque permiserat senatus, ut prætexta, itidem ut magistratus Romani, posset uti; cum nobiles inique ferrent, eo barbaros honore impertiri, qui magistratuum Romanorum proprius esse deberet. Man. Mire variat nomen istud in Mss. nostris. Nam Pal. pr. *qui vix Rhenum*. Sec. *qui Buscenum*. Tert. *Busthenum*. Quart. *Burrenum*. Gruterus.

Reliqua discutere] Ita contra reliquas legationes dicere, nihil ut omnino a senatu obtineant. Quod si fiat, eripietur Appio pecunia, quam cupiditate jam ac spe devoravit. Man.

Jovis Hospitalis] Cum, hospitibus meis, Græcis hominibus intercedentibus, in gratiam cum eo redierim. Idem.

Arcæ nostræ] Jocus joco relatus. Si tu, inquit, eges; nos non abundamus. Itaque arcæ nostræ noli confidere. Nam si decoxeris, ego te meis nummis tuo ære alieno non expediam. Et est hic, *conturbare*, pro *decoquere*. Idem.

Uterentur] Quod in domo consulis, quo salutandi ac deducendi causa quam plurimi convenirent, caminum esse oporteret, sæviente frigore, luculentissimum. Idem.

MARCUS Q. FRATRI S. 13

Arg. De rebus publicis quædam: item de Callisthene et Philisto historicis. *Anno* U. C. 699.

Nivem atram] De qua scripsisti. Anaxagoræ fuit opinio, *nivem atram* esse, quod ex aqua fieret, quæ nigra esset, inepto ac falso argumento. Sed hoc nihil ad hunc locum. Scripserat forte Quintus jocose, nivem se atram invenisse, illam, inquam, Anaxagoræ; quasi tristem minimeque jucundam; quia scilicet ei per nives incommodissimo itinere eundum, ac forte etiam in ipsis nivibus cum hoste, non sine summo vitæ discrimine pugnandum foret. Man.

In sinu est, neque discingor] Faveo, neque favere unquam desinam. Ductum a rebus carissimis, quas in sinu gestamus; quæ ne excidant, non discingimur. Significaverat vero Quintus, non debere eos unius Pompeii amicitia niti: Cæsarem simul esse complectendum, ut amicum Pompeio firmiorem. Idem.

Dies] Quo reus M. Cælius causam de vi dicere prætoris edicto debebat. Idem.

Ad numerum] Cum eo die, quo causam dici ex edicto oporteret, judices eo, quo opus erat, numero non affuissent, irrita fiebat accusatio; ut integrum tamen esset, si quis eam præterea vellet instituere: quod in hac Cælii causa timet Cicero, cum ait: *vereor, ne homo teter et ferus Pola Servius ad accusationem veniat*. Atque etiam renovatam esse accusationem M. Cælii, ipsa declarat Ciceronis oratio, initio mensis Aprilis habita, ludis festisque publicis, satis longo post idus Februarias, qui decimus erat Cælio dies, intervallo. Id.

Pola Servius] Novum est, ut prænomen post cognomen ponatur. De Pola, lib. VIII. *Famil.* ep. 12. Id.

Tyriis] Legationibus Tyro missis, ut de publicanis quererentur. Id.

Syriaci] Quia Tyrus in Phœnicia; quæ Syriæ pars fuit. Idem.

Gabinius] Qui Syriæ imperio proconsulari præfuerat. Idem.

Prosecuti] Honoris gratia, cum e provincia decederet. Tislinus.

Laudatis] Reos: quos si absolvimus, quid reprehenditis, cum eosdem vos laudetis? Mos erat, ut auctoritate præditi viri reos in judicio, antequam sententiæ ferrentur, laudarent. Pleni exemplorum libri. Man. Testatur Gruterus, oræ libri adscriptum e codice aliquo veteri fuisse: *vos colluditis*. Quod ego non aspernor, neque improbaturos puto, qui memoria repetent, quam multa apud Ciceronem de judicum nefaria collusione legerint. Olivet.

De Gabinio] Ut ei, Syriam provinciam contra leges et jura sociorum administranti, imperium abrogetur. Manut.

Callisthenem, et Philistum] Quorum uterque scripserat historiam: Callisthenes Olynthius de rebus gestis Alexandri; Siculus Philistus cum aliis de rebus, tum de Dionysio Siciliæ tyranno. Idem.

Redeo] Censebat Muretus *Var. Lect.* II. 5. delendum esse illud *redeo:* quod in iis quæ antecedunt, de duobus illis historicis nulla mentio est, ut ad eos redire dicatur; posse autem per ellipsim verbum abesse sine detrimento sententiæ. Mihi Muretus semper erit Muretus, quid si tamen intelligamus in hunc modum? Nova colligo, quæ scribam: nulla suppetunt; itaque cogor ad vetera recurrere, et de Callisthene loqui, ac de Philisto. Olivet.

Vulgare et notum] Triviale et in quo nihil admodum excellat. *Negotium* ita dixit, ut Græci interdum πρᾶγμα. Ipse (ad Att. I. 12.) *Teucris illa, lentum sane negotium.* Vide Muretum loco laudato. Idem.

Locuti sunt] Illa verba quin melius absint a libro vetere, non dubito. Hoc enim dicit, aliquot alios Græcos similes esse Callisthenis, id est non magni ipsos quoque pretii. Nam quod a Manutio dictum scio, Callisthenem locutum in Historia non exquisite, sed quomodo vulgo loquerentur, miror unde id sumpserit, cum ipsius scripta non extent; Cicero autem ipse alibi (Orat. II. 14.) aiat eum pene rhetorico more historiam scripsisse. Muret. Facilem habet explicatum ea scriptura, quam in libro vetere inventam probat Muretus. Id vero incommodi est, quod consensu destituitur aliorum codicum: illas enim exhibent quatuor syllabas, *locuti sunt*, quas vir eruditus exauctorat. Neque tamen in illis sensus non est satis idoneus: hac nimirum sententia, *quemadmodum Græci aliquot locuti sunt;* Cicero judicium de Callisthene suum confirmat testimonio et auctoritate Græcorum aliquot, qui non aliter de illo historiarum scriptore senserunt, et *locuti sunt* ac loquitur ipse. Olivet.

Siculus ille capitalis, creber] Exponit de Philisto quid sentiat. *Capitalis*, hoc est ingeniosus. Ovid. Fast. III. 839. *Capitale vocamus Ingenium solers.* Vide Muretum, loco jam laudato. Vim hujus vocis, *creber*, explicat id, quod habetur lib. de Orat. II. cap. 13. *Thucydides ita creber est rerum frequentia*, &c. Idem.

De Dionysio] Alterum scilicet corpus, in quo de Dionysii rebus gestis egerat. Vict. lib. XXXII. cap. 19. *Var. Lect.*

Veterator] Delectat me Philistus non tam quia capitalis, creber, acutus, quam quod ipse Dionysius, de quo scribit, astutus in primis ac vafer est: quæ tum, narrante Philisto, tum ipsa per sese delectant. Man.

Ad historiam] Scribendam; cum veteres jam legisset historicos. Manutius.

Bellissime] Non ad pulchritudinem, sed ad jucunditatem et commoditatem quandam refertur *bellum:* ut *bella* puella, non quæ forma, sed quæ elegantia, et quadam quasi gratia intuentium oculos tenet. Idem.

MARCUS Q. FRATRI S. 14

Arg. Quid agat, commemorat: Quinto operam suam in rebus ejus pollicetur: M. Orfium et Trebatium commendat. *Anno* U. C. 699.

Πολιτικὰ] Libros de republica.

Adjungendis] Ad amicitiam. Manutius.

Minore] Moveor suspicione nonnulla, ne glossema fuerit, additum ad illud, *nostro*. Cur enim, cum ad fratrem scribat, adjungat, *minore?* nonne satis filium suum ab illius filio distinxit, cum de suo dixit, *nostro;* de illo, *tuum*? Idem.

MARCUS Q. FRATRI S. 15

Arg. Cæsaris in se amorem et liberalitatem commemorat, et suum erga eum studium pollicetur: consilium suum, utrum Romam redeat, an in Gallia maneat, et de ambitu, qui in consulatu petendo existat, perscribit. *Anno* U. C. 699.

Laude Nonis] Sic emendabat Carolus Sigonius, probavit Manutius, recepit Lambinus, cum vulgo legatur *Blandenonæ*, nomen Geographis incognitum. *Laus*, oppidum est Placentiæ proximum.

Quadrigis poeticis] Dicturus videbatur, *tum equis, tum velis:* sed per jocum, pro *velis*, intulit, *quadrigis:* quæ et ipsæ ad celeritatem faciunt. Addidit autem, *poeticis;* ut cum aliis rebus, tum vero scriptis versibus, gratiam se a Cæsare initurum ostenderet. Man.

Britanniam] Res, quas in Britannia geretis. Jam enim, ut opinor, erant in itinere, Britanniam cogitantes. Nam in epistola ad Atticum, mense Quintili data, suspicari se dicit, *Quintum esse in Britannia.* Id.

Vadimonium] Certa erat verborum formula, qua sese invicem vadarentur; quibus verbis cum essent usi, *conceptum vadimonium* dicebatur. Jocus Cæsaris in eo fuit: opportune Ciceronem fecisse, qui Trebatium jurisconsultum ad se misisset: nam antea in universa prætoria cohorte, totoque comitatu suo neminem fuisse, qui, cum litigare vellet, quibus verbis vadaretur, teneret. Man.

Rogatus] Ut ad Cæsarem scriberet. Dissidebat enim capitali odio cum Cæsare Domitius. Idem.

Senescentis] Non quia desit, quod homines in foro agant: sed omnium rerum tædio civitas languet. Videtur hoc dicere: cum publicis in rebus male agatur, serpit idem morbus etiam ad privata, et omnino nihil curatur. Idem.

Τοιαῦθ'] *Miseranda belli talia conditio efficit.* Senarius* Euripidis in tragoedia Ἱκέτιδες. Idem. * Vers. 119.

Calamo] Quatuor fit argumentis, ut hoc putem esse principium epistolæ; primum, quod fortasse paulo infirmius videbitur; ut homines diversa sentiunt: quod hæc verba initium potius epistolæ, quam epistolæ partis, redolent: deinde quod apparet, respondisse jam Ciceronem duabus Quinti epistolis, Placentiæ et *Blandenonæ* datis: nunc autem uni respondet brevi epistolæ, quam post illas accepit. Præterea, si una esset epistola, bis ageret de rebus Romanis. Nam et dixit jam: *res Romanæ sic se habebant. Erat nonnulla spes comitiorum, &c.* infra vero rursus: *ambitus redit immanis*, itaque, eadem esse repetita, credibile non est. Postremo, quod hanc scriptam esse constat post idus Quintiles; cum inferat: *Idibus Quintilibus fœnus fuit ZZ ex Z* at superiora paulo post IV. nonas Junias: ut ipse in prima epistolæ parte significat. Idem.

Dentata] Apri, aut etiam equi dente lævata. Quod item nunc, ubi quid scribimus accuratius, facere solemus, ad inæqualitatem chartæ complanandam; quo calamus quasi currat expeditius. Nec vero mirari satis possum, quid Erasmo venerit in mentem

hoc in loco interpretari, *charta dentata*, pro acerba et iracunde scripta: cum de litteris agi, quæ bono calamo, temperato atramento, levi ac polita charta commodius formantur, illa verba demonstrent: *scribis, te meas litteras superiores vix legere potuisse:* et illa: *hoc facio semper, ut, quicunque calamus in manus venerit, eo sic utar, tanquam bono.* Verum hoc, itemque alia, tum in adagiis, tum alibi non satis recte aut explanata, aut de Græcis conversa, homini erudito, ac de litteris, quantum præstare potuit, bene merito largiamur. MAN.

Nihil eorum] Non ob eas, quas tu suspicaris, causas, parum perpicue scripsi. IDEM.

Πραγματικῶς] Apte ad rem gerendam; ut homo in usu rerum versatus.

Id est, utrum voles] Mendi labes satis manifesta: nec eluere conabor: cum ab impressis libris minimum dissentiant scripti. Tantum enim pro, *commorere*, Bessarionis liber habet, *commoneres*. Quod si pro, *dixerimus*, legeretur, *dixerim, an:* nihil, opinor, superesset vitii, hoc ordine: *id est, utrum voles (ut dixerim) an, ad expediendum te, si causa sit, commorere.* Nec esset obscura sententia. Nam, *voles*, μεταφορικῶς usurpatum pro *celeriter venias*, et, *commorere* opponuntur. Sed minus audeo, propter incertas maximeque fallaces conjecturæ vias. MAN.

Domus] A multis celebrata. Ep. 5. et ad Atticum ep. 22. lib. II. IDEM.

Nec laborant] Hic alii fortasse viderint acutius: ego plane τυφλώττω. Obscuratur enim mendo sententia. IDEM. In uno reperi, *consentia*, pro, *conscientia*, quod est in vulgatis. Unde feci, *consensio*. Videtur autem sic posse totus hic locus emendari, saltem ut aliqua ex eo probabilis sententia eliciatur; alioqui nihil affirmo, cum sola conjectura nitar. Sic igitur legere fortasse licet, *nostri inimici laborant, quod mira est consensio copiarum, &c.* LAMB.

Magis etiam] Pater Aldus; *Magis etiam, illa etiam magni æstimo me ἀμφ.* Quibus adhærent Pall. nisi quod quidam, *magna æstimo*, unus *magnam æstimo*, sec. etiam ac tert. a manu prima; *magnis etiam illa magna est.* GRUT. Cum in his nullus omnino sit sensus, ita refingebat Lambinus; *sed illud malo tamen quod putas magis* esse e re tua. Etiam magni *æstimo* ἀμφιλαφίαν *illam tuam*, &c. Victorius ita edidit, atque interpunxit: *magis etiam. illa etiam magni æstimo, me* ἀμφιλαφίαν, &c. Quo te vertas? expecta, si quis tamen superest, meliorem librum.

Ἀμφιλαφίαν] De qua supra, ep. 6.

Expectationem] Expectabo, ut, quæ mihi debes, ea persolvas, ut, quæ te facturum pollicitus es, re præstes. Quæ vero hæc? ut Quintus Cæsarem ipsum, primum scilicet, deinde ut alios quoque et de cohorte, et de exercitu Cæsaris, qui Romæ aliquid possent, Marco fratri benevolentia conjungeret: quo præsidiis firmioribus contra Clodii furorem in urbe muniretur. Id autem Quintus fratri mandanti ac roganti promiserat. Huc enim spectare illud puto, quod supra dixit, *mea mandata dixeras, persequare, conficias.* Nec, in castris quid aliud navare Quintus pro fratre posset, intelligo. MAN.

Bessibus ex triente] Vide ad Atticum IV. 14. et J. F. Gronovii Observ. IV. 9.

Quam cum] Victorius, *quo cum Domitio. Hanc Scaurus unum vincere.* Lambinus ex conjectura, *Scaurus vult vincere.* Manutius pro *vincere* mavult *enuntiare*, ut subaudiatur *coitionem;* et sit *enuntiare* pro *enuntiabat.* Hunc locum, si quidquam aliud, illustrabunt epistolæ 17. et 18. lib. IV. ad Att. OLIVET.

Ὑπερβολικῶς] Supra modum.

Pronuntiare] Polliceri se daturos, si eam tulerint, ejusque suffragiis consules fuerint designati. Verbum in hoc genere proprium. MAN.

Catonem] Qui prætor tunc erat. IDEM.

Condemnaretur] Amitteret quod

apud illum pecuniæ deposuisset: idque aliis, qui sine arte mala petiissent, tribueretur. Et condemnatum ex iis nescio quem ab ipso Catone, legimus apud Plutarchum in ejus vita. Idem.

MARCUS Q. FRATRI S. 16

Arg. De occupationibus suis: quid in senatu actum: quæ judicia habita sint aut instent: materiam carminis scribendi, superata a Cæsare Britannia, gratulatur, et quid de suis versibus Cæsar judicet, sciscitatur. *Anno* U. C. 699.

Ne paulum otii] Videtur quibusdam tanquam integumentis velata sententia; sed ostendetur hoc modo: cum utor librarii manu, prorsus otii nihil habeo; cum autem mea, non nihil. Man.

Nullum] Subaudi, *ne;* quod proxime antecedit: ut sit; *ne nullum otium*. Idem.

Difficilius] Cum aliqua difficultate. Nomina quædam sunt, quæ *secundæ comparationis* appellant grammatici: quæ cum ideo fuerint inventa, ut augerent; minus tamen significant, quam ea, quæ iidem *positiva* dicunt. Itaque illud Virgilianum, *tristior, et lacrymis oculos suffusa rubentes*, exponit Servius hoc modo: *tristior*, minus est, quam *tristis*. Idem.

Præsidio] Nisi plures videam esse, qui mecum sentiant, quam qui contra. Idem.

In summa] Omnium ordinum sententiæ numerabantur, et ex majore parte vel absolvebatur, vel condemnabatur reus. Ordinum ipsorum ratio non habebatur. Poterat enim usu venire, ut a duobus ordinibus condemnatus, ex universo tamen sententiarum numero absolveretur. Idem.

Vatinium] Hujus defensionis meminit Pedianus in commentarii prooemio pro Scauro, et ipse Vatinius in epistola. Idem.

Ὑπόθεσιν] Argumentum.

Γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας] Cum ipse versus optime facias. Infra dixit, eadem sententia: *quoniam ipsi fontes jam sitiunt*. Proverbium iis de rebus usurpatum, quas ad eos, qui abundant, mittimus. Noctua enim suos nummos Athenienses signabant. Man.

Ῥαθυμώτερα] Minus accurata, scripta indiligentius, videri sibi aiebat. Manutius.

Res, aut χαρακτὴρ] Aut argumentum, aut meum scribendi genus. Id.

Φιλαλήθως] Cum studio veritatis, vere et ex animo. Idem.

EPISTOLARUM AD Q. FRATREM.

LIBER III.

MARCUS Q. FRATRI S. 1

Argumentum. In prædiis Quinti se fuisse, et quædam ibi, in primis in ædificandi ratione, correxisse, constituisse commemorat, et ad tres epistolas e Gallia a Quinto acceptas de variis rebus respondet; simul quædam de rebus Romanis perscribit. *Anno* U. C. 699.

Cap. 1. *Fluminis*] De Fibeno flumine intelligit: *quo nihil amœnius, nihil frigidius:* ut in libro II. de Legibus. Man.

Tribulibus commendatis] Ut eis meo nomine ad spectandos ludos locum daret. Moris enim erat, ut amicis et tribulibus et in circo et in foro locus

ad spectandum daretur. *Ad. Att.* II. 1. et *pro Murena.* Idem.

Arcano] Quinti prædio. Idem.

Messidium cum Philoxeno] Redemptores erant aquæ deducendæ. Quod in hac ipsa epistola, infra, videtur posse conjici. Idem.

Herum] Villicum in Arcano, ut Nicephorum in Laterio, quem infra nominat. Idem.

Diphilo] Se ipso. Diphilus, inquit, se ipsum tarditate superavit. Manutius.

Nunc hoc] P. Manutius ingeniose divinabat: *nunc hoc vel in æstate testudinis, vel hieme æstivum locum obtinebit.* Lambinus haud paulo audacius: *nunc hoc vel hieme, testudinis: vel æstate, valde boni æstivi locum obtinebit.* Locum esse corruptissimum nemo non agnoscit. Vide Turneb. Advers. XXIV. 39.

Assa] Laconicum, sive locus in quo sudor elicitur. De quo Vitruvius, V. 10.

Apodyterii] Ubi vestes inituri balnea deponebant. Man.

Cap. 2. *Salientibus*] Aquis. Id.

Viridicata] Novum, et forte, in iis quidem, qui extant, veterum libris, singulare verbum. Quasi, *virente.* Id. Lego, *vindicata*, id est, liberata, purgata, ut amœnitatem habeant. Tur. Advers. XXIV. 39.

Jure constituto] Dicit hoc; si jus aquæ constituatur, hoc est, si jus aquæ Quinto servetur, servitutem fundo impositum iri illius aquæ, neque tamen fore, ut minoris, quam quanti cum aqua vendi fundus possit. Quam igitur aquam Messidius per tuos fundos deducendam redemit; (hoc enim proxime dicet) eam nolo te cum fundo Bovillano alienare: sed, jus ei aquæ suadeo constituas. Hoc est in tuo jure retineas: ut ex duobus mancipiis, fundo et aqua, unum emptoris fiat, alterum esse tuum pergat; jus, inquam, fundi migret ad emptorem, jus aquæ penes te remaneat. Man.

Messidium] Redemptorem deducendæ aquæ: qui singulos in pedes alvei faciendi ternis nummis transegerat. Idem.

Ad Furinæ] *Forinæ* scribendum est, si veteris inscriptionis auctoritatem sequi velimus. Ursin. *Furinam* cui lucus, ædes, et flamen Romæ, interpretatur *Eumenida* Tullius lib. III. de Nat. D. a *surendo. Forinam* vero dixerunt illi *foricarum* Deam. Foricæ enim seu ἀφεδρῶνες publici pontibus imponuntur. F. Junius.

Satricum] Oppidum in Latio. Man.

Locustæ] Supple, fundum.

Munierat] Viam. Et hoc significat: cum tu id jus haberes, ut viam ducere per Locustæ, perque Varronis fundum posses; neque tamen, qua tua fuit modestia, feceris: illi, ut quasi tibi gratiam referrent, eam viæ partem, quæ ante fundos eorum est, munire debuerunt: quod Varro propemodum effecit: Locusta nondum attigit. Man.

Philosophia] *Philosopha* rectissime Faernus: et *convestivit* paulo post. Ursin.

Topiarium] Opus ex hedera. Man. De homine, non de loco interpretor. Qui locum opere topiario ornarat. Turn. *Advers.* XXIV. 39.

Palliati] Opinor designari Hermas Græcorum, et doctorum præcipue virorum, quorum imagines palliatæ erant in villis, ut ex eorum reliquiis, quæ supersunt, conjici potest. Ursin.

Topiariam facere] Qui topiariam faciunt, herbam, aut fruticem ad speciem aulæi, aut columnæ, aut fontis, alteriusve rei conformant. Palliati igitur hi, inter columnas constituti, topiariam facere, aut hederam, qua intercolumnium vestitur, vendere videntur. Man.

Ἀποδυτήριον] Loco, ubi lavaturi vestimenta deponebant. Vox eadem cap. 1. sed Latine scripta in libris omnibus.

Expolitionem] Jam pene prorsus ædificaverant utriusque domum redemptores. *Expolitio* restabat, perfectio scilicet ædium urbanarum. Man.

Urget ille quidem] Nonnullis pla-

cet *illam*: et est cur placeat, nostri tamen omnes in vulgata consentiunt. MALASP.

Cap. 3. *Mercede*] Quam divinare, cum epistola Quinti non extet, nemo potest. MAN.

Ad tuas litteris, quas pluribus epistolis accepi] Hoc est, ad ea quæ scripsisti. Constat enim *litterarum* nomen multo latius patere quam *epistolarum*, librosque et orationes, et monumenta enim significare. MALASPINA.

Hippodamis] Qui equos domant. MANUT.

Quod isto admisceas] Scripserat, puto, Quintus, operam se daturum, ut illi, quos arcessierat, atque etiam Trebatius, liberaliter ab ipso tractarentur. Hoc, inquit Cicero, nihil opus est. Ego enim illum non ad te, sed ad Cæsarem misi: qui eum, mea commendatione adductus, accepit humanissime. IDEM.

Si ipsi minus] Si Trebatio minus satisfecit Cæsar. TISLINUS.

Cap. 4. *Veniam non dedit*] Cum tu peteres, per amicitiam, ut ad P. Clodium rescriberet; quia nolles Cæsarem nostra causa facere, ut respondendi officium omitteret; satisfacere tibi noluit. MAN.

Calventi Marii] L. Pisonem, cujus maternus avus, ut apud Pedianum legimus, *Calventius* est appellatus, videtur intelligere. *Calventum* cur potius, quam *Calventium*, cur item Marium nominet, haud facile dixerim, nisi si inter Quintum et Marcum jam convenerat, ut eum fictis nominibus, Cæsaris maxime causa, qui Pisonis erat gener, appellarent. MANUT.

Ad eum rescribere] Quidam, *ad eam*, ut orationem intelligamus. Et est cur magis probem. MAL.

Fontes jam sitiunt] Mirum est *sitire fontes*, unde aqua peti solet. Itidem miror velle te versus tibi, optimo poetæ, a me componi. Supra idem alio modo significavit: γλαῦκα, inquit, εἰς Ἀθήνας. MAN.

Bene comitatum] Cum multis pecuniis. Joco enim usus erat Quintus. IDEM.

Erigonam] Tragoediam: quam se scripsisse, et ad Oppium misisse, significaverat. Amissam in itinere, ultima demonstrat hujus libri epistola. IDEM.

Et quod præterii] Hoc est, *nihil novi præter Erigonam, et quod præterii*, &c.

Plausu] A populo Miloni dato.

De æde Telluris] De operibus, puto, loquitur, et inscriptionibus illis, de quibus ep. 8. lib. II. MAN.

Admones] Ut emam. MAN.

Multorum fastigiorum]. Tectum conclavia tegebat. Id nolebat Quintus descendere pluribus angulis, et lateribus, (sic enim multa fastigia habuisset) sed uno tantum fastigio vergere in tectum inferioris porticus. MANUT.

Cap. 5. *Tres*] Una de majestate, L. Lentulus; duæ de repetundis, Ti. Nero, et C. Memmius. Accessit postea, item de repetundis, quarta factio, C. et L. Antonii, ut in epistola, quæ sequitur: etiam quinta, de ambitu, P. Sylla, ut infra, et ad Atticum ep. 16. lib. IV. Est autem absolutus Gabinius de majestate, damnatus de repetundis. Dio, lib. 39. IDEM.

Cato] M. Cato prætor; qui de repetundis hoc anno quæsivit. Eo ægrotante, postulari Gabinius, e Syria reversus, de repetundis non poterat. IDEM.

Nec...proficiet] Immo profecit: ut etiam Gabinium, quem paulo ante accusaverat, mox rogatu Pompeii, non sine aliqua levitatis nota, Cicero defenderit. Dio, et Fam. ep. 1. lib. VII. IDEM.

Coitione] Ad Attic. ep. 18. lib. IV. IDEM.

Domitio] Consulari candidato.

Ille casus] Puto dici, naufragium multarum navium in oceano: de quo libro IV. Comment. de bello Gallico mentio fit. MAN. Vide notam ult.

Publilio] Tislinus legit *Publio*, et sic interpretatur: Oppium cum P.

Clodio miror quidquam negotii habere: Non est insolens curta hæc dicendi ratio, præsertim in epistolis, et familiari sermone. *Publilio* tamen habent cæteri omnes: et intelligi potest de Publilio, de qua *Att.* XII. 7. Olivet.

Interiore epistola] Non ea epistolæ pars, quæ a principio et a fine pari distet intervallo, sed ea, quæ ab extremo propius absit, quam a principio. Id adeo cognoscetur, si, quod apud antiquos epistolæ claudendæ genus esset, ostendemus. Non enim tunc, eo, quo nunc solemus, modo, complicabantur, sed in orbem involvebantur epistolæ, ita, ut, quæ ultima scripta in pagina pars erat, involveretur prima; quæ prima, ultima. Manut.

Pompeio] In Hispanias proconsule ituro. Sic enim putabatur. Verum non ivit. Idem.

De mea mansione] Quam Cæsar cupiebat, ut ejus ope atque auctoritate, quibus in rebus opus esset, uti posset. Supra, quod hoc declaret, illud est: *quod mihi otium, Romæ præsertim, ut iste me rogat, manenti?* Idem.

Nec ad Oppium] Qui cum Cæsaris in urbe omnia negotia procuraret, ad eum quoque Cæsaris mandata perferre Vibullius debuit, ut is ageret cum Pompeio, ne me, si Cæsaris causa vellet, ab urbe removeret. Id.

Quo consilio?] Fecit hoc Vibullius? Non enim hoc ad Cæsarem placet referri: ne videatur in eo consilium requirere. Idem.

Quanquam] Quanquam non hoc ideo dico, quia voluerim Oppium Vibullii verbis, cognita Cæsaris voluntate, adduci, ut ageret cum Pompeio de mea mansione. Quin ego illum, sua sponte satis incitatum, tenui. Rectius enim duxi, Vibullium primo, cui Cæsar præsens præsenti mandaverat, deinde Oppium, cui scripserat, agere cum Pompeio. Idem.

Δευτέρας] *Posteriores cogitationes*, ut alibi Cicero.

Cap. 6. *Aristophaneo modo*] Quæ Aristophanis ad similitudinem accedat: puta, quia comicum quiddam in sententiis, ex Aristophanis genere, præ se ferat. Man. *Ab Aristophane meo* emendatum est in margine libri, qui collatus est cum manuscripto. Ursin.

Annali] Villiæ gentis, plebeiæ. Natum cognomen ab eo, qui legem de petendis magistratibus *annalem* in tribunatu pl. tulit. Livius libro, opinor, XL. Man.

Non ... miratum] Quia mirandum non est, sordidi hominem artificii humanitatem ignorare. De Hippodamis supra, hac eadem epist. cap. 3. Idem.

Cap. 7. *De se*] Si loqueretur ex Anicii persona, hoc modo; *miratur Anicius, nihil te recordari de se:* usitatum esset. Nunc ex persona sua cum dicat; *soleo admirari, nihil te recordari de se:* quam proprie, *se*, pro *eo*, positum sit, grammatici viderint. Man. Viderunt sane diligenter Fr. Sanctius, et Jac. Perizonius, *Minerv.* II. 12. Oliv.

γνῶθι] Id est: *vide quo modo alium tractaverat.*

Quemadmodum conjicio] Imperfecta sententia: sed, opinor, hoc significat: quemadmodum conjicio, quasi minime illum noris, ita res illi tuas committis. Incipit autem, fraterno amore adductus, hoc dicere: mox, ne fratrem videatur nimis multis verbis ut imprudentem monere, extremam sententiæ partem omittit. Man.

Ἐμβόλιον] Partem quandam ab argumento proposito sejunctam, interpositionem. Idem.

Satis commodas] Satis prospera significantes de Britannico bello, satis ex nostra voluntate. Idem.

Luctum] Ob interitum filiæ. Id. Hæc tamen verba, *casus ille*, quæ leguntur supra cap. 5. de Juliæ filiæ interitu noluit intelligi. Equidem fateor, non semper vim subesse omnino eandem his vocibus, *casus, luctus.* Sed, cum de eodem in eadem dicuntur epistola, res duas significari non facile crediderim. Olivet.

MARCUS Q. FRATRI S.

ARG. Gabinium redeuntem in urbem, in senatu male vexatum, et a Memmio tribuno pl. ad populum male tractatum esse, ac de judicio ejus proxime futuro, commemorat. Deinde qui de ambitu rei sint, quæ comitiorum spes sit, demonstrat. *Anno* U. C. 699.

Divinatio] Contentio, quis deberet accusare. Causam nominis Pedianus exponit, quia non de facto quæreretur, sed de futuro, quæ est *divinatio*, uter deberet accusare. MAN.

Bonus imperator] Ex ambiguo ludit. Nam periti imperatores plerumque noctu irrumpunt in urbes hostium. Iste vero, nequam imperator, cum se odio esse civitati sentiret, sic ut eum hostis loco haberet, noctu introivit, convicia veritus et contumelias, si interdiu ingrederetur. IDEM.

Hostium] Omnibus plane imperatoribus, e provincia reversis, usitatum hoc fuisse crediderim, ut cæsorum non tam hostium, quam militum numerum in senatu exponerent. ID.

Irrepsit] Hoc est, latenter, more animalium repentium, venit in senatum, quo tempore senatores pauci aderant. Alii legunt, *in re hæsit*. Lipsius vero, *mire hæsit summa in frequentia*. Quem vide, Antiq. Lect. IV. 13.

Publicani] Syriani, Gabinio infensi. Questum enim sua damna ad senatum venerant: quod, cum Gabinius, finibus provinciæ suæ contra leges egressus, Alexandriam ad restituendum Ptolemæum cum exercitu profectus esset; prædones per ejus absentiam maritima Syriæ loca vastarunt. Quo facto, publicanis, ea, quæ de publico redemerant, exigere non licuit. Dio lib. XXXIX. MANUTIUS.

Teneo] Antique, pro *teneo me*. MANUT.

Vel quod] Bessarionis liber habet, *id quod*. Unde factum suspicor, *vel quod*, eorum temeritate, quorum aures imperitæ antiquam, non tamen satis usu pervulgatam, loquendi rationem inique ferrent. Est enim, *id quod*, pro *ideo quod*. (Terent. *Heaut.* V. 3. 17. *Hec.* III. 3. 8.) Totum igitur hunc locum ita legerem ac distinguerem: *teneo ab accusando, vix mehercule, sed tamen teneo, id quod nolo cum Pompeio pugnare: (satis est quod instat de Milone) id quod judices nullas habemus; ἀπότευγμα formido*. IDEM.

Ἀπότευγμα] Infelicem successum, hoc est absolutionem Gabinii. Nam *ἀποτυγχάνω*, spe frustror, non obtineo. IDEM.

Malevolentiam] In ipsum, an in Gabinium? in ipsum. IDEM.

Aliquid accidat] Contra quam accideret me non accusante. Timeo, ne absolvatur. Nam qui me oderunt, fortasse illum, me accusante, sublevarent. IDEM.

Magno] Vict. Man. *magna*.

Aut hominum, aut legum] Aut candidatorum, si condemnantur; aut legum, si absolvuntur. MANUT.

Adventu] In urbem? minime: quia cum imperio erat: sed in Galliam Togatam, Cæsaris provinciæ partem, quæ ad suffragia veniebat. IDEM.

Data] Prolata, eorum qui participes aut conscii fuerant majestatis imminutæ: quibus testibus convinci Gabinius posset. IDEM.

MARCUS Q. FRATRI S. 3

ARG. De rebus domesticis nonnulla: desiderium litterarum a Quinto: comitiorum dilationes: Gabinius de ambitu reus: et Ciceronis Q. filii in rhetore audiendo diligentia. *Anno* U. C. 699.

Expolitiones] Ædium. MAN.

Ad perfectum] P. Manutius hario-

labatur: *perfectum*. *Jam res rusticas &c.* ut pendeant a verbo *perscriberem*. Lambinus, audacius fecit, intulitque in contextum, *sed tua pene ad tectum jam perducta res est rustica*. Undé autem istud desumpserit, plane tacet. GRUTER. *Ad perfectum*, id est, *quasi perfecta et absoluta*. Phrasis est tectonica certo consilio a Cicerone servata, et illi medicorum persimilis, *ad tertias, ad quartas*, &c. F. JUNIUS.

Bonorum] Qui comitia haberi eo anno a consulibus nolebant, ne præmia consequerentur pacta a Memmio et Calvino, consularibus candidatis. MAN.

Contra dixit] In divinationis judicio: accusator enim, Sylla rejecto, deligi volebat. Ad Att. ep. 16. lib. IV. IDEM.

θετικώτερον] Subtilius, philosophicis quæstionibus magis refertum. MAN.

Merces] Amoris augendi erga me tui. Ep. 1. hujus libri. IDEM.

4 MARCUS Q. FRATRI S.

ARG. De Gabinio propter accusatoris et subscriptorum infantiam absoluto perscribit, et quare nec eum accusarit, nec defenderit, sed tantum testimonium contra eum dixerit, ostendit: denique de rebus domesticis quædam addit. *Anno* U. C. 699.

Cato] Non is, qui postea *Uticensis* dictus est. Erat enim hoc anno prætor; prætores autem in aliorum prætorum consilio judices sedisse, non est ut credi possit. Accedit illa ratio, quod vir omnium optimus et constantissimus cum esset, nunquam, adulandi gratia, Gabinium absolutum primus Pompeio nuntiasset. Est igitur alius Cato, vel Porcius, vel Hostilius; qui sua sententia Gabinium videtur absolvisse. De C. Catone, qui tribunus pl. fuit Marcellino et Philippo coss. non licet intelligi. Non enim uno tantum anno post tribunatum gerere præturam potuit. MAN.

Diruptis] Malim *diremptis*, pro, *discretis, dinumeratis*: ut, quæ damnassent, cognosceretur. Non enim discessit Cato, nisi postea quam tabellis dinumeratis, Gabinium vidit absolutum. IDEM. Junius vero *direptis* legit ex interpolato Ms.

Circulo] Ubi judices circa prætoris tribunal sedentes sententias tulerant. IDEM.

Pompeio] Extra urbem. Nam erat cum imperio. Id confirmant illa, quæ paulo post sequuntur, verba: *in urbem introisset*. IDEM.

Cum Æsernino] Insigne par gladiatorum inductum videretur, ut Pacidianus cum Æsernino pugnaturus: de quibus Lucilius poeta. Vide libellum de optimo genere orat. cap. 6. IDEM.

In civitate] Si absolutus esset. Damnati enim de majestate exulabant. MAN.

Satisfacturum] Gratiam relaturum, quod eum non accusassem, testimonio contentus. IDEM.

Fisco] Ærario. Hac de re extrema epistola sequenti his verbis: *ab ærario puto confectum esse, dum absum*. Quærere præterea, quid plane rei sit, inepti hominis esset, vereque, quod aiunt, nodum in scirpo quærentis. IDEM.

Suburbano] Emendo. Supra. ID.

Committebantur] *Committi ludos*, pro *incipi*, ignorat, opinor, nemo. IDEM.

Quam vellem] Non placet hæc loquendi ratio, *non longius, quam vellem*. Perpendatur sententia: inesse quiddam, quod teretes aures offendat, sentietur. Forte abundat, *quam vellem*. IDEM.

Pontino] Alias *Pontinio*, vel *Pomptino*, de Allobrogibus triumphaturo. Præturam gessit Cicerone consule. Ejusdem in Cilicia legatus fuit. ID.

Habebit] Vide *Fam.* IV. 16.

Ἄρη πνέων] *Martem spirans*. Dictum de iis, qui terribile quiddam vultu præ se ferunt. Sic in epist. ad Atticum 11. lib. XV. *Hoc loco, fortibus sane oculis, Cassius, (Martem spirare diceres) se in Siciliam non iturum*, Ἄρη βλέπων dixit Aristophanes. MAN.

MARCUS Q. FRATRI S. 5

Arg. De libris de republica, Sallustii monitu, refingendis: de Cæsaris erga se amore: de versibus scribendis excusatio: de reip. statu conquestio: de Gabinio a se non defenso, et de suo in libris Quinto emendis studio. *Anno* U. C. 699.

Ὑποθέσεις] *Argumenta*, materiem.

Αἰὲν] *Semper fortiter agere, et aliis præstare*. Iliad. Η. 93.

Qui vellet] Quasi unus Cæsar non alicujus commodi spe, sed vere atque ex animo planeque sua sponte amaret. Manut.

De libris] Supra, ep. 4.

Adjurant] Cogunt sibi credi, jurejurando ad asseverationem adjuncto. Manut.

Ab ærario] Supra, ep. 4.

MARCUS Q. FRATRI S. 6

Arg. Tragœdias a Quinto scriptas sibi mitti vult. *Anno* U. C. 699.

κλέος] *Laudem*. Alii aliis modis castigaverunt. Nonnulli χρέος legunt. Germani, πλέον. Nobis immutare non tutum visum est: magis enim adhuc vulgatas lectiones improbare possumus, quam veram esse ullam ex ipsis confirmare, aut ipsi certiorem in medium afferre. Victor. Legendum, χρέος, quod antecedentia docent. *Qui abundas, cur debeas? cur æs alienum contrahas tibi?* F. Junius.

Γνῶθι] *Nosce teipsum*. De hoc Apollinis præcepto, vide Tusc. I. 22.

MARCUS Q. FRATRI S. 7

Arg. Proluviem ingentem fuisse scribit, et epistolas promittit. *Anno* U. C. 699.

Appia, ad Martis] Appia via, ad ædem Martis. Man.

Viget illud Homeri] Accidit plane, quod in illis versibus, dixit Homerus, Iliad. Π. 385. *Jovem magnos imbres fundere, cum est hominibus, justitiam non colentibus, iratus*. Videtur enim ideo *proluviem* hanc immisisse, quia Gabinium contra leges absolutum inique ferat. Man.

Dictatura] Ad quam res videtur spectare. Discordiis enim civium comitia producuntur: quas dictatoris potestas sedabit. Supra, et infra, et ad Attic. ep. 16. lib. IV. Idem.

MARCUS Q. FRATRI S. 8

Arg. De Cæsaris amicitia, et cautione in litteris dandis adhibenda: de spe candidatorum consulatus: de dictaturæ timore, et de Milonis ludis. *Anno* U. C. 699.

Reliqua] Præter spem: aut, præter ea, quæ jam habemus, a nobis ipsis parta. Quæcunque, inquit, struas, ad jacturam struentur: id est, ejusmodi erunt, ut aliquid ex iis quotidie possis amittere. At Cæsaris præsidium erit firmissimum: idque petiimus ad omnem statum nostræ dignitatis. Man.

Nervii] Ubi nunc hibernas cum legione. Cæsar comm. lib. V. Man.

Dolore] Ob legatos cum legione et cohortibus cæsos. Comm. lib. V. Manut.

Præstabo] Efficiam, si erit consul, ne quid agat in magistratu contra Cæsaris voluntatem. Idem.

Adventu] Vide libri hujus ep. 2.

Auctor] Quia designatus trib. pl.

Per me deterruit] Mea opera Pompeius effecit, ut captum de dictatura consilium Crassus abjecerit. Hoc enim, et quæ sequuntur, ad Pompei-

um, non ad Hirrum, convenit referri: si tamen is est, de quo Plutarchus; qui, inito tribunatu, egit de dictatore Pompeio. MAN.

Non probabit] Non persuadebit hominibus, cum per ejus amicum agatur. IDEM.

Domestici] Cognomen Serrani. ID.

Scripto meo] Cum orationem, ei a me scriptam de laudibus filii, legeret. IDEM.

Nihil tribuit] Minime illi, anno sequenti consulatum petituro, studet; maxime vero Guttæ. IDEM.

Magister] Hereditatis dividendæ.

Non ædilem] Cui mortuo ludos dat.

9 MARCUS Q. FRATRI S.

ARG. Varia de rebus publicis et domesticis perscribit. *Anno* U. C. 699.

Cogitata] Quæ ad me scripsisti.

Τότε μοὶ χάνοι] Hoc est, *tunc mihi dehiscat lata terra:* cum hoc scilicet flagitii commisero. *Iliad.* Δ. 182. MANUT.

Ὁ δὲ μαίνεται] *Hic autem insanit sic, ut ferri amplius non possit.* Odyss. 9. 350. IDEM.

Considerantiam] Ego hunc locum corruptum puto: verbum enim hoc barbarum est; quod si latinum sit et elegans, sententiæ tamen admodum repugnat et contrarium est; erat enim temeritas et insania potius quædam rem suam familiarem effundere in ludorum apparatione. Ostendit autem verbis Homeri nunc illum tantopere insanire, ut non amplius sustineri possit. Ut quod de illo Plinius lib. XXXVI. cap. 15. tradit, cum hoc loco conveniat, *itaque et ipsum Milonem H-S septuaginta millia æris alieni debuisse inter prodigia humani animi judico.* VICTOR. Malim *inconsiderantiam*, vocabulo inusitato, sed tamen ab *inconsiderans* usitato. MAN.

Sine judicio] Quem hic locum habet judicii mentio, cum in proxima epistola jam dixerit, illum esse absolutum? Intellige de altero, quod impendebat, de ambitu judicio. MAN.

Impunitatis] His verbis nocentem Messalam significat. Fore tamen ut absolvatur, tribus causis, dixit: quod odii nihil habet: quod pro eo contendet Hortensius: quod, absoluto Gabinio, nemo jam videtur ita nefarius, qui absolvi non possit. IDEM.

Ἐν παρέργῳ] Breviter, velut in cursu.

Parat] Ut legem ferat de dictatura, cum scilicet tribunus pl. erit. MANUT.

Mancipiis] Ad me mittendis, Gallico aut Britannico bello captis. ID.

Infrequens] Cum paucis mancipiis. IDEM.

Epistola] Litteris Roma ad Cæsarem missis, quæcunque diceret ageretve Cicero tanquam explorator significabat. IDEM.

Ἔπος] Poema.

Quid? si cæmentum] Minime placet hæc ab ἔπος ad ædificium subita transitio. Nec dubito, quin hujus partis, in qua de Quinti agitur villa, fortasse in Laterio, initium desideretur. Itaque visum est, ut hac nota*, quasi lacunam loci significaret, a superioribus inferiora disjungerem. MAN.

Arcano] Quinti fundo. *Cæsaris opus:* maximum videlicet. IDEM.

Nilus] Ut opinor, plures rivulos, e salientibus aquis in piscinam diversis partibus confluentes, appellat Nilum: quod, ut hoc flumen ostiis septem profluit in mare, sic salientes illæ in piscinam rivulis multis, parvus Nilus, perveniant. IDEM.

Philotimorum est, non Diphilorum] Diligentiam Philotimi, negligentiam Diphili significat. Hoc, inquit, Diphili negotium non est, sed Philotimi; neque vero unius Philotimi, sed multorum. IDEM.

In unciis] *Assis* nomine tota significatur hereditas. *As*, qui et libra, duodecim in partes, quæ dicuntur unciæ, dividitur. Duodecim igitur partes bonorum suorum, postea quam esset mortuus, fieri Felix volebat. Sed, ut in propinqua morte, mente

perturbatus, Sicuræ etiam servi imprudentia, tabulas de unciis non obsignavit: alteras, aliam in sententiam, a se antea scriptas, obsignavit. Idem.

Firmissimum tenuerat] Consilium illud de bonis suis in XII. partes inter coheredes dividendis mutare noluerat. Idem.

'Αλλ' οἰμωζέτω] Videtur esse finis senarii ex aliqua vetere comœdia, et significat, *illi* mortuo *male sit*, qui tam male suis consuluerit: nos valeamus. Idem.

EPISTOLÆ AD BRUTUM.

CICERO BRUTO S. D. 1

Argumentum. Post interitum C. Cæsaris, M. Brutus, qui conjurationis in illum particeps atque etiam auctor princepsque fuerat, Cretam provinciam a senatu accepit administrandam; nec ita multo post, plebis concitatæ furorem extimescens, urbe cessit; redituque desperato, cum in Creta non multum neque sibi neque reip. præsidii putaret esse, intendit animum ad Macedoniam: quam ei Q. Hortensius prætor, Hortensii oratoris filius, facile tradidit. Nam Cæsar, de Parthica expeditione cogitans, et magistratus in triennium creaverat, et provincias diviserat: ex quibus Macedoniam regi a M. Bruto, absoluta prætura, voluerat. Ad eum igitur Macedoniæ præfectum Cicero scribit. Ac primo quibem de L. Clodii trib. pl. singulari et cognito in se Brutumque amore ac fide. *Anno* U. C. 710.

'Εμφατικώτερον] Luculentius, cum majori significatione.

Dicam] *Dicam* in nullis invenitur Mss. et sane potest omitti, soletque non raro, sententiam non modo non imminuta, sed etiam grata brevitate. Mal.

A te est] Quia tu simul cum Antonio beneficium illud in Clodium contulisti. Quod autem beneficium hoc fuit? forsitan ipse tribunatus: quem, Antonio consule, et Bruto prætore suffragantibus, obtinere facile potuit. Man.

Fortuna optima] Qui fortuna sunt deteriore, vetera odere, nova exoptant, ut ait Sallustius in Catilina. Ergo Clodius stabilem rempublicam cupit. Idem.

CICERO BRUTO S. 2

Arg. Respondet epistolæ de cohortibus quinque a Dolabella in Cherronesum missis, ejusque dementiam miratur, et Bruti consilium de eo persequendo laudat: in seditionis auctoribus dimittendis clementiam Bruti reprehendit, et suas in Antonium invectivas defendit. *Anno* U. C. 710.

Ex Asia fugere] Ex Asia cedentem Dolabellam, et in urbem Laodiceam receptum, C. Cassius, cui Dolabellæ oppugnandi curam senatus mandaverat, cum XII. legionibus obsedit. Appianus. Man.

Quidnam se] Man. Grut. *quid se nam.*

Cum tu eo] Dictum paulo durius videri potest: cum neque Cicero ipse eodem modo locutus alibi sit, neque quisquam, quod sciam, de iis, qui optime Latine scripsisse existimantur.

At si, *eo haberes*, ita accipias, quasi, *prope eum locum haberes;* ferre fortasse posset: ut genus loquendi, quale illud, sit, cum dicebant, *esse ad urbem*, hoc est *esse prope urbem*. MANUTIUS.

De Antoniis] Illam seditionem concitavit C. Antonius Marci frater, cum esset in potestate Bruti. Itaque explano, *de Antoniis*, de partibus Antonianorum fratrum sublevandis. Quod autem infert, *magis mihi probatur militum severitas, quam tua;* significat id, quod a Dione scriptum legimus; cum milites ipsi, qui seditionem fecerant, ut delictum suum quodam modo corrigerent, seditionis auctores occiderunt, quæstoremque etiam et legatos C. Antonii ad necem depoposcerunt: quos Brutus, ad clementiam magis, quam ad severitatem, propensus, navibus impositos, quasi mox mari demersurus, male de se meritos servavit. Ipsique etiam Antonio, cujus opera bis jam conflata seditio erat, iterum pepercit. Miror autem, quid sibi voluerint, qui hoc loco pro Antoniis *Catoniis*, et nullo sensu, et contra veterum librorum fidem, reposuerunt. MANUT. Fortasse, *de C. Antonio*. Nam cum hic de seditione quæ in legionibus Macedonicis commota est, sermo sit; de Antoniis, nisi de Caio scribi seditionis auctore, alienum est. MAL.

Providisse] Operam dedisse, et a senatu impetrasse, ut decreta nostra ne expectares, ipse ad arbitrium tuum, uti res poscere videretur, bellum administrares. MAN.

Maximo otio] Ita veteres libri, sine dubio mendose. Quid enim elicitur sententiæ? Ego mallem, *maximo animo*, non omnino procul a vetere scriptura. MAN. Idem alias edidit, *maximo animo:* ac postea Lamb. *maximo odio*. Sed in Palatinis quatuor hæret Victoriana lectio.

3 M. T. CICERO M. BRUTO S.

ARG. Octavianum laudat, et lætitiam Romæ e victoria consulum, et D. Bruti ortam commemorat. Liberalitatem ejus in seditionis auctoribus reprehendi Romæ, et omnes Antonianos hostes judicatos esse scribit. *Anno* U. C. 710.

Gesta sunt] Ad Mutinam; cum duo consules, Pansa et Hirtius, et pro prætore Cæsar Octavianus cum Antonio pugnarunt. MAN.

Hanc rem] Prælium Mutinense. IDEM.

Effundebat] Cum ad te in Macedoniam trajicere decrevisset, si Antonius pugna vicisset. Idem scribit ad C. Cassium: *omnis omnium cursus ad vos*. Fam. XII. 6. IDEM.

In rostris] Ut inde Pansæ litteras de victoria recitaret. Quod ab ipso factum tradit Appianus lib. III. ID.

Audire] Omittunt Victor. Man. Lamb.

Liberalitas] *Liberalitatem* posuit pro *clementia:* quia capto C. Antonio, et seditiones concitanti, Brutus tamen pepercerat. Quem ut occideret, dicitur a Cicerone litteras accepisse, ut apud Plutarchum legimus. MANUTIUS.

Sive captivos, sive dedititios] Rursus ad C. Antonium redit. Fuit enim gravissimum Ciceronis odium in Antonios. Adjungit autem, *sive dedititios*, quia non prælio captus erat C. Antonius a Bruto, sed se ipse dediderat. Leniores autem in dedititios, quam in captivos, debemus esse. Sed omnium eandem esse causam Cicero volebat. IDEM.

4 BRUTUS CICERONI S.

ARG. Respondet superiori epistolæ, et reprehensionem nimiæ in C. Antonium clementiæ diruit. Monet ne nimiis honoribus Octaviano tribuendis malum exemplum inducatur, quo regnandi cupidi abutantur, at-

que illis ita regnandi occasio detur, quod se vehementer timere ostendit. *Anno* U. C. 710.

Bruti nostri et consulum] Decimi Bruti, et Hirtii, et Pansæ, consulum; qui Antonium pugna vicerant. Et observandum, cum ejus particeps victoriæ Cæsar Octavianus fuisset, tamen hic a Bruto non nominatum; qui eum et ut Cæsaris filium odio prosequeretur, et pugnare contra Antonium non tam pro rep. ut videbatur, quam privatæ potentiæ causa, suspicaretur. Quam suspicionem res ipsa deinde comprobavit. MANUT.

Quidquam eripui] Ornamenta militaria illi reliquerat. Plutarchus. ID.

Dissolute] Neque crudelis in eripiendo fui, neque dissolutus in remittendo: custodivi enim illum diligenter. IDEM.

Quoad bellum fuit] In Italia. Quasi nunc, M. Antonio devicto, bellique timore sublato, de Caio dimittendo, aut certe Romam mittendo Brutus cogitet. Quem tamen non multo post, cum de Ciceronis et Decimi Bruti nece cognovisset, occidi jussit. Plutarchus. IDEM.

Infinite] Man. Lamb. *infinita*.

Tribuere potentibus] Aculeus in Ciceronem, qui Octavianum honoribus extraordinariis ornabat. MAN.

Largitionibus] Est hic *largitio*, in tribuendis honoribus nimia liberalitas. Nam *largitio pecuniæ* locum hic habere non videtur. IDEM.

Excidendi causa sit, ut alius renascatur] Obscure dictum ac intellectu difficile, ut minus equidem mirer, Bruti sensum nonnunquam, ne ipsum quidem Ciceronem assequi potuisse. Veruntamen loci hujus, siquis est, hic mihi videtur. Nunc danda opera est, Cicero, ne dum malum partem alte excidimus, semper nobis causa sit, hoc est, materia restet excidendi, ita ut nostra culpa aliud renascatur illo pejus. Hoc est, sic Antonii excidenda tyrannis est, ut ne ea in Octaviano renascatur. Renascetur autem sine dubio, si ei immodica concedamus. Translatio ab odiosis plantis sumpta est, quæ nisi radicitus excidantur, repullulascunt. MAL.

Neque opinantibus] Non opinantibus. Veteres libentius dicebant *neque opinanti*, quam *non opinanti*. MANUT.

Possint] Ita Man. et Lamb. alii post *possint*, addunt, *tuæ virtutes*.

Itaque timeo, &c.] Sensus hic est. Cum vestris decretis honorem proprætoris contra leges habuerit; vereor ne putet se altius ascendisse, cum ad hos extraordinarios honores ascendit, quam sit ascensurus, si inde ad consulatum ascenderit. Plus enim est ex privato loco ad prætorium ascendere, quam ex prætorio ad consularem; cum præsertim Octavius annum ageret XIX, cum prætorum jura consecutus est. Timeo, inquit, ne plus putet esse, quod jam habet, quam quod habendum restat; ideoque in consulatus cupiditatem facile veniat. Quod ita contigit. Nam Octavius, consulibus ad Mutinam occisis, consul fieri voluerit: quod cum non impetrasset, iratus quasi ob ignominiam, prodita reip. causa cum Antonio ac Lepido societatem inivit. Placet igitur legi, *ascensurum* pro *descensurum*. Alioqui cum satis erit perplexa, tum inepta quoque videbitur sententia. MAN.

De consulatu] Faernus delebat. URSIN.

Filius] Filium Ciceronis, qui Athenis philosophiæ operam dabat, Brutus secum abduxit, et equitibus præfecit. Fam. lib. XII. ep. 14. Dio, Plutarchus. MAN.

CICERO BRUTO S.

ARG. Scribit a senatu permissum esse arbitrio Bruti rem de Dolabella persequendo, de eaque suum consilium ostendit: filium suum se velle collegium pontificum minorum absentem cooptari, idque per leges Do-

initiam et Juliam fieri posse demonstrat; de quo sententiam Bruti scire cupit. *Anno* U. C. 710.

Servilius etiam de Ventidio] Servilius Isaurici filius, is, qui C. Cæsaris collega fuerat in consulatu. Man.

Ventidio] Basso Mulione, qui ex humili admodum fortuna ad consulatum est evectus, primusque Romanorum de Parthis triumphum duxit. Gellius lib. XV. cap. 4. Idem.

Iisdem locis] Ubi esses. Num, utrum in Macedonia esset, necne, fortasse ignorabatur. Non erat certe, cum epistolam proximam superiorem scripsit: cum dicat a se filium Ciceronis in Macedoniam cum equitatu esse præmissum. Idem.

Vestrum collegium] Pontificum minorum. Pontifex enim erat Brutus. Idem.

De Domitio, et de Catone nostro] Altero L. Domitii Ahenobarbi, altero M. Catonis Uticensis filio, utroque arctissima affinitate Brutum attingente. Nam duas Porcias, Uticensis filias, alteram Ahenobarbus in matrimonio habuerat, alteram Brutus habebat. Man.

Facultas] Quam nobis omnem auferet locorum longinquitas. Idem.

Collegam] In locum Hirtii. Idem.

Sacerdotum] Hæc non, ut magistratuum, quotannis, sed, cum subrogandus aliquis esset in demortui locum, habebantur.

Per auspicia] Quæ ad patricios magistratus pertinebant, nec ad senatum, nisi cum ii non essent, transferri poterant. Idem.

6 BRUTUS CICERONI S.

Arg. Respondet epistolæ superiori: Glycona medicum Pansæ, ut e custodia eripiat, rogat: Flavium, qui cum Dyrrahachinis litem habebat, commendat, et de Dolabella fugato cæsoque certiorem facit. *Anno* U C. 710.

Aut ad commendationem honoris] Ut, si, comitia sacerdotum essent, peteret: si non essent, honorem suum ad insequentis anni comitia commendaret: quibus absens peteret, ne abesset ab exercitu, tam necessario reip. tempore. Man.

In suspicionem] Legimus et apud Suetonium, suspectam Pansæ mortem fuisse, medicumque Glyconem custoditum esse, quasi venenum vulneri indidisset. Quod et Tacitus lib. I. significat. Idem.

Torquato] Cur Torquato potissimum? quia Pansæ quæstor fuerat, ut ex Appiano cognovimus. Idem.

Achilleus] Pro *Achilles;* ad Græcam inflectendi rationem, ut cum dixit, *Achilleos nostri*. Idem.

Tullio] Tullio Cimbro, qui Bithyniam administrabat. *Dio*, lib. 47. *Appianus*, lib 3. *Plut*. in Bruto. Idem.

Candaviam] Cujus montes Dyrrhachio LXXX. distare, Plinius tradit. Idem.

7 BRUTUS CICERONI S.

Arg. L. Bibulum ut in Pansæ locum nominet, ac pontifex minor creetur, rogat. *Anno* U. C. 710.

Bibulus] Bruti privignus. Fuit enim M. Calpurnii Bibuli, qui C. Cæsaris collega fuerat in consulatu, ex Porcia filius: quæ post obitum prioris viri Bruto nupsit. Man.

Petere] Ut pontifex minor creetur. Idem.

Celebrabitur] Laudabitur a me, tibique commendabitur. Quasi dicat: sed hæc epistola Bibuli solum causa scripta est: neminem admisceo. Idem.

Ex quanto] Ex tanto viro, quantus jam est, facile potest evadere, qui vestras paucorum laudes assequatur. Idem.

CICERO BRUTO S. 8

Octavum principem] In quavis legione erant, ætas prima, hastatorum; altera, principum; tertia, triariorum. Quæ, velitibus exceptis, dividebantur singulæ in decem centurias, qui et manipuli dicebantur. Prima hastatorum centuria, primus hastatus, secunda, secundus, et eodem modo usque ad decimam vocabatur. Sic primus princeps, secundus princeps. Primus autem triarius non dicebatur, sed primus pilus. Centuriones autem, centurio primi hastati, centurio primi principis, centurio primi pili. Velites autem in centurias non dividebantur, ut Polybius lib. VI. docet. Nasennius igitur *octavum principem*, id est octavam centuriam principum, duxerat sub Metello. *Scripta eodem* U. C. *Anno* 710. Man.

CICERO BRUTO S. 9

Arg. Brutum, de re, nesciunt eruditi qua, exquisita arte consolatur, et ad fortudinem cohortatur. *Anno* U. C. 710.

Officio] Assequi non possum, qua in re tantam jacturam fecisset Brutus, aut quod accepisset tantum vulnus, ut hac tam exquisita consolatione indigeret. Man. Quid, quod Manutius in *ep.* 6. *lib.* XIII. *ad Att.* cum has ipsas litteras laudaret, *Brutum*, inquit, *Cicero solatur in morte matris*. Rursus tamen de Bruti matre agitur infra, ep. 12. Olivetus.

In meo] In obitu Tulliolæ. Idem.

Tunc mihi] Lamb. *tunc ego mihi*.

Ne id ipsum] Nam, ut scripsit in IV. Tusculana, *id ipsum nihil dolere, immanitatis est in animo, stuporis in corpore*. Man.

Veteri] Antistio, de quo infra.

CICERO BRUTO S. 10

Arg. Quomodo bellum ad Mutinam geratur, et quid de Octaviano vereatur, totumque reip. statum perscribit, hortaturque ut ex senatus auctoritate celeriter cum exercitu in Italiam veniat. *Anno* U. C. 710.

Auctoritate] Occisis consulibus ad Mutinam, Octaviani potentiam senatus suspectam habere cœpit, præsertim cum is, ut alteri e consulibus sufficeretur, postularet. Itaque Brutum e Græcia decreto revocavit, sed frustra. Nam, inter Antonium, Lepidum, Octavianum conspiratione contra remp. facta, trium virorum armis oppressa sunt omnia. Man.

Socerum] Nisi me conjectura fallit, Pansæ socer fuit Q. Fufius Calenus. Conjecturam inde duco, quod eum video (Philippica VIII. et X.) a Pansa consule sententiam primum rogari; qui tamen neque dum consul fuerat, neque Ciceroni certe rebus gestis, et meritis in remp. antecellebat. Ut hoc ei deferre honoris, nisi propinquitate moveretur, Pansa non debuerit. Idem.

Extraordinario] Ideo quia consulatum nemo inibat, nisi annum ætatis quadragesimum tertium absolvisset. Extra ordinem quandoque junioribus ea dignitas demandabatur. Manut.

Deliciis] Igitur, perniciosa licentia, qua sibi eorum animos imperator devinxit. Idem.

Insolentia] Qui ex victoria ita insolens est factus, ut consulatum audeat postulare. Idem.

Vestrorum] Bruti, et Cassii: de quibus Phil. I. Idem.

Præsidiis] *Principiis*, esse video in antiquis libris: quos ego libenter sequi soleo. Hic tamen teneo me

paulisper. Nam etsi, *principia*, locum in castris fuisse, non ignoro: mihi tamen nove, nec satis ad exprimendam sententiam accommodate dictum videtur. Cum enim, *in principiis vestrorum castrorum*, potius quam, *in vestris castris?* quibus in totis certe, hoc est, in universo Bruti exercitu, non in principiis, hoc est, in parte aliqua, spes erat posita libertatis. *Præsidiis*, vel unus antiquus liber si haberet, probarem multo magis, quam, *principiis*. Esset aperta sententia, esset usitata locutio. MAN. Testatur Gruterus legi *præsidiis* in Pal. 4.

Occidente] In Hispania. MANUTIUS.

11 BRUTUS CICERONI S.

ARG. Veteris Antistii animum in remp. laudat, et ipsius petitionem præturæ ut adjuvet, cæterisque in rebus eum complectatur, rogat. *Anno* U. C. 710.

In Cæsare] Fuit, cum Cæsaris nomine Octavianum acciperem: nunc aliter sentio. Nam neque de Octaviano remp. defendente, neque de eodem oppugnante accipi potest. Defensio nondum ejus ulla fuerat, neque fuit ante Mutinensem pugnam: oppugnatio item nulla, nisi post Antonium ad Mutinam fugatum. Ergo de Octaviano, non est, ut possimus intelligere. De Cæsare dictatore dictum potius videtur. Hic enim primus, post eum Antonius remp. oppugnavit. Quod autem infertur, *si occasioni potuisset occurrere;* id non eo refero, ut ejus belli, quod C. Cæsar contra communem libertatem gessit, brevitate exclusum Antistium a navanda reip. opera existimem; (non enim aut laboris, aut temporis parum in eo Cæsar consumpsit) verum, quia voluerit quidem, sed ideo non potuerit, quia voluntatem minime subsecuta sit occasio. Ideo enim occasioni occurrere non potuit, quod ea sese illi non obtulit. Non igitur ei tempus, non voluntas, sed res ipsa defuit. MAN.

H-S. XX.] Non viginti sestertiorum millia, quod Bruto exercitus habenti minimum subsidium fuisset; sed vicies sestertiorum. IDEM.

Eundum] Romam. IDEM.

Legatione] Libera: quam senatus dabat. IDEM.

Consules] Apparet, aut hanc epistolam ante mortem Hirtii et Pansæ scriptam esse, aut Brutum, cum scripsit, Mutinensis prælii nuncium nondum accepisse. IDEM.

Dignitatem perfuncturus] Quanto major tua dignitas futura est. Sic Terentius, opinor in Adelphis: *functus est officium probi adolescentis*. Duriuscule tamen dictum, *perfuncturus dignitatem*, pro *consecuturus dignitatem*. Nec, *perfungi*, video quo modo hoc significare possit: nec usquam a veteribus ad hanc sententiam usurpatur. Malim, non ita magna litterarum mutatione, *dignitatem perfruiturus*. Quo participio et Cicero ipse usus est. Et, *fruor*, Plautus cum quarto casu usus est. IDEM.

Perfuncturus] Lamb. *perfruiturus;* et illud Lucretii (III. 969.) adducit, *omnia perfructus vitai præmia marces*.

12 CICERO BRUTO S.

ARG. Excusat se Bruto, quod matris ejus et sororis precibus, de liberis M. Lepidi, quem hostem senatus judicarat, excipiendis satisfacere non posset. De Antistio liberaliter promittit, et ipsum ut in Italiam veniat, hortatur. *Anno* U. C. 710.

Matris] Quæ socrus erat Lepidi. MAN. Vide infra, ep. 18. extrema.

De vi] *Perduelles*, hoc est, ii, qui contra remp. arma suscepissent, de duobus alterum effugere non poterant, ut aut, si pergerent insanire, armis petiti debitas patriæ pœnas exsolve-

rent; aut, si se infra diem præfinitam ad sanitatem recepissent, judicio de vi omnino damnarentur. MANUTIUS.

Et te] Hoc aut videtur abundare, cum jam dixerit, *tecum*; aut ita corrigendum, ut legas, *esse*; et illud, *esse*, quod postea sequitur, tollas. IDEM. Unus e Gruterianis non agnoscit *te*, sed retinet solum, *&c.*

BRUTUS CICERONI S. 13

ARG. Liberos Lepidi, qui se conjunxerat cum M. Antonio, commendat, sibique ut hoc detur rogat, ne ex lege cum iis agatur. *An.* U. C. 710.

CICERO BRUTO S. 14

ARG. Paucitatem et brevitatem epistolarum Bruti accusat; rogat, ut Ciceronem secum retineat, et in Italiam quamprimum ut veniat, hortatur. *Anno* U. C. 710.

Dedicas] Ita Vict. Alii, *adducas*.

Susceptus] Genitus. Unde, *suscipere* liberos ex aliqua, pro gignere. MANUT.

Cum Planco] Plancus tamen paulo post, cum Antonio societate inita, reipublicæ causam deseruit. IDEM.

CICERO BRUTO S. 15

ARG. Messalam mirifice laudat, et reprehensionem nimiæ in tribuendis honoribus facilitatis, in poenis autem decernendis severitatis accurate diluit. De Lepidi liberis studium suum pollicetur. *Anno* U. C. 710.

Subtilius] *Subtilitas* in scriptis est, non tenuitas, et humilitas, sed accuratus quidam ordo, nihil ut prætermittatur. MAN.

Sapientia] Faernus legebat *sapientiæ*, longe meliore sententia. URSIN.

Officio] In rempubl. MAN.

Epistolam] Vide supra, ep. 4.

Etesiarum] Quasi discessum meum dii non probarent, qui etesiarum diebus austrum spirare præter consuetudinem voluerint. *Etesiæ* autem in orientem navigantibus secundi sunt, *auster* in occidentem; itaque Ciceroni Græciam petenti prosperi etesiæ, contra auster. MAN.

Vestri] Vict. et Grut. *nostri*.

Sapientis] Stoici, quorum sectam Brutus, ab avunculo suo M. Catone institutus, sequebatur, fugere negabant esse sapientis: quem nulla re perturbari, nihil timere affirmabant: ita sequebatur, ut nec fugeret: timet enim, qui fugit. MAN.

Philippus] L. Marcius Philippus, qui consulatum gessit cum Marcellino, Octaviani vitricus. MAN.

Celeritatem] Magistratus, ut celerius posset petere, quam leges permitterent. Id autem Ser. Sulpicius decrevit. Sed, cum ille decrevisset, ut Octavianus verbi gratia decem annis celerius, quam per leges liceret, petere posset, Isaurici filius Servilius decrevit, ut etiam aliquanto celerius. Quod autem Servius decrevit, opinor hoc est, ut tanquam quæstorius petere posset Octavius: quod Servilius, ut tanquam prætorius. ID.

Larentiæ] Quæ populo Romano agros Turacem, Semurium, Lincerium, et Solinium reliquit: ex quo est annuis parentationibus honorata. Varro, Ovidius, Macrobius lib. I. Saturn. IDEM.

Cui] Vict. et Man. *cujus*. Hunc locum illustrat Henricus Noris in *Cenotaphio Pisan.* Diss. III. cap. 9.

Aperiendum non est] Quid significat? hoc opinor, ideo se id sensisse, non tam ut pro beneficio gratiam referret, quam ut Octavianus, ovationis honore illectus, in urbem rediret, statimque, ut mos erat, imperium deponeret: itaque ejus exercitus ad alium transferrentur: quæ fuisset

reip. summa cautio. Timendum enim erat, id quod evenit, ne Octavianus, eum exercitus in sua potestate haberet, ad persequendam patris mortem animum converteret. Hoc est, ut opinor, in quo se Cicero providum fuisse significat. MAN.

Documentum] Grutero ea vox suspecta erat, tanquam a scriba potius, quam a Tullio. Suspicionem removit J. F. Gronovius, *Observ.* IV. 11. eamque vocem apprime Latinam esse adstruit pluribus exemplis, quibus describendis supersedeo, quod in omnibus, quæ *Lexica* dicuntur, passim occurrant. OLIVET.

Themistoclis] Qui proditionis est damnatus, ejusque bona publicata. *Plutarchus*, *Æmilius Probus*. MANUTIUS.

16 BRUTUS CICERONI S.

ARG. Graviter reprehendit Ciceronis ad Octavium epistolam, qua eum rogarat, ut liberatores patriæ salvos vellet. *Anno* U. C. 710.

Conditionis] Pudet eo nos redactos conditionis ac fortunæ, ut commendandos Octavio putes. Vel explana, conditionis tuæ ac fortunæ, qui homo consularis, tantis rebus gestis, nunc cum isto puero tam suppliciter, tam demisse agas. MAN.

Vis Romæ videri] Lambinus, *vis Romæ tempus fuisse videri, cum*, id est, quo tempore, *ut ibi*, &c. Manut. vulgatam lectionem interpretatur: *vis Romæ videri amicus Octavio.* Hunc ego sensum esse arbitror: si carus tibi ego sum, qui velle potes, ea in urbe videri me, in qua ut esse possem, &c. OLIVET.

Vindici quidem] Si Octavius vindex est, ut tu judicas, et ultor dominationis Antonii, non, ut ego vereor, vicarius: absurde facis, o Cicero, qui ei remp. defendenti supplices pro iis, qui optime de rep. meriti sunt. Amicis enim, et earundem partium studiosis non supplicamus. Non enim opus est. MAN.

Puer] Nobis esset illo domino perhonorifica serviendi conditio. Verum non de serviendi conditione agimus: ipsam servitutem, quæcunque sit, odimus, ac detestamur. MANUTIUS.

Adhibeatur] Hæc si accipio, ut sit concessio quædam stomachosa, hoc modo: *faciant, quod volent, alii, nullam curam adhibeant, et servitutem æquo animo patiantur. Mihi vero prius omnia*, &c. LAMB.

Aliena] Nostra scilicet, qui tyrannum occidimus; quorum exemplo fortiores esse, et vitam minus aliquanto, quam libertatem, diligere debebatis. MAN. Legendum existimo, *alienam*, hoc est, quæ Ciceronem non deceat, quæ possit quidem in vulgus cadere, sed minime in senem honoribus ac virtute conspicuum. BUH. in Tusc. I. 45.

Pietati meæ] Erga patriam: quæ me id præclarum illud facinus excitavit, cui pietati debitum præmium esse persolutum existimabo, si modo, quod tum sensi, idem in reliqua vita sensero. MAN.

Quæ si aliter] Abest a meis conjunctio *si:* et quidem omnibus: nec dubito quin recte. Neque enim *quæ*, benefacta refert, sed infinite accipitur: hoc modo, *quæ aliter ac volumus atque oportet eveniunt, infesto animo reprehendimus: ita ut benefactis nullam gratiam habeamus, sed ea tanquam debita exigamus: quæ secus eveniunt, iniquo animo reprehendimus.* Vel *aliter*, male significat, ut ad Atticum libro VII. *Illum aliter cum aliis locutum esse audiebam.* Quo sensu etiam *secus* accipitur. Idem Thoranio, lib. ep. ad Torquatum: *magna enim consolatio est, cum recordare, etiam si secus acciderit, te tamen recte vereque sensisse.* In sequenti autem sententia, *ille consul*, et *hunc consularem*, ad unum Ciceronem, et *ille* et *hunc*, debent referri. Non miramur, inquit, Ciceronem resistere Antonio. Id enim ab illo non solum postula-

tur, sed ut debitum exigitur. Talis enim in consulatu fuit, ea gessit, ut nisi nunc consularis eadem præstet, illa videatur casu fecisse, nec dignitatem suam tueatur. Quare, si paululum offenderit, remissiorque ac dissolutior fuerit, etiam futuri temporis gloriam eripuerit sibi, et præteriti extinxerit; quasi non judicio illa, sed casu quodam fecerit. Nihil autem per se amplum est, nisi in quo judicii ratio extet. Mal.

BRUTUS ATTICO S. 17

Arg. De Ciceronis nimio in Octavio ornando studio vehementer conqueritur, eundemque graviter reprehendit, qui, cum Antonii dominationem oppresserit, novam in Octavio stabiliat et confirmet. *An.* U. C. 710.

Imperite, &c.] Significat, et stultitiæ Ciceronem accusandum, et ambitionis: cum tamen in utroque videatur eum excusare. Sed *imperitum* in eo significat, quod plus Octavio tribuerit, quam e rep. esset: *ambitiosum*, quod, modo habeat, a quibus colatur ac laudetur, servitutem non recusat: ita ob stultitiam et ambitionem Octavium Antonianæ dominationis vicarium constituit. Man.

Maledictis] In Cascam. Mirari autem satis non possum, Ciceronem Cæsaris necem objecisse Cascæ. Et id tamen Bruti verba declarant. Id.

Plures] Crimini dat Cascæ, et sicarium appellat, quia Cæsarem occiderit. At, si hominem occidere, crimen est; quanto gravius ipse peccavit, qui consul non unum, sed quinque occidit, Lentulum, Cethegum, &c. Idem.

Imitatur in Casca Bestiam] Ita reprehendit Cascam ob pulcherrimum factum, ut Bestia Ciceronem ob ea, quæ in consulatu gesserat, reprehendere solebat. Idem.

Eo meliore conditione] Minus turpiter nos vituperabit de Cæsaris nece, quam illum Calpurnius Bestia et P. Clodius de conjuratorum supplicio, &c. Idem.

Non dominationem, non] Hoc loquendi genere veteres esse usos, cum aliquid paulo studiosius affirmarent, ostendimus in commentariis ad Atticum lib. X. ep. 9. Man. Hodie quidem sic legimus, sed contra vett. edd. et Mss. Pall. in quibus nulla littera variante: *quæ facit, dominationem, an dominum, an Antonium timentis sint.* Neque secus publicati a Victorio. Grut. Legendum videtur, *non dominationem, non dominum, sed Antonium*, &c. Olivet.

Consularis hoc] Hic multum discrepant veteres libri a nostris. Habent enim: *pudet concupiscere fortunam, cujus nomen susceperit consularis, ut Ciceronis est.* Quos si sequimur, ita exponemus. Pudor ab ea fortuna consularis hominis concupiscenda, cujus nomen susceperit, quemvis deterrere debet: ea, inquam, fortuna, quæ Ciceronis est. Videbitur omnino paulo durius: sed nec ubique dictio Bruti mollis est. Man. Quid sibi velit Manutius, vix assequor: cujus tamen lectionem retineo, sed addita interrogandi nota, quæ superiora claudat. Hic ergo sensus erit: *pudeat-ne* Octavium *concupiscere fortunam*, regiam potestem Cæsaris, *cujus nomen susceperit?* *Hoc* igitur, quod fit ad illum ornandum, debuit-ne, potuit-ne a consulari, a Cicerone proficisci? Oliv.

Tibi necesse est molesta esse] Cum videas te quoque in Cicerone notari, qui nullam reip. partem suscipias, sed communi causæ tanquam indormias. Man.

Ex Flavio] Antonianus liber *in Flavio.* Et probatur. Ut se dicat Brutus Attici consilium perspexisse, non ex sermone Flavii, sed in facto Flavii: cum Atticus ab eo appellatus ut princeps esse vellet, privati ærarii C. Cæsaris illius interfectoribus constituendi; prorsus negavit. Hoc totum scribitur a Nepote, in ipsius Attici vita. Malasp.

Salvidenum] Q. Salvidenum Rufum, Octavii studiosissimum. Man.

Veteres lapides habent, *Salvidienum*. URSIN.

Amplitudinem] Summam potentiam, cum victores exercitus in ejus manu sint. IDEM.

De dignitate] In quo sita sit vera dignitas. MAN.

Privigno] Octavio. Ejus enim matrem Atiam, post obitum prioris viri, uxorem duxerat Philippus. IDEM.

Gloriando] Cum gloriaretur, plus beneficii a se in remp. esse collatum, quam ab iis, qui Cæsarem occiderant: quoniam illi quasi radicem tyrannidis Antonium reliquissent, ipse Antonii bellum togatus sustinuisset, atque oppressisset. IDEM.

Dubia] Non ita victum esse Antonium, ut ab eo nihil timere possit respublica. IDEM.

Diligi ab Octavio] Faerni liber, *diligi se ab Octavio*. MAL.

De voluntate] Sumamus hic quiddam a philosophis, ut sententia pateat illustrius. *Amor* in voluntate est, *opiniones* in mente. *Velle, nolle*, in nostra potestate est: *opinari*, non est. Quale enim quidque videtur, talem de illo necesse est opinionem habeamus. Ergo, cum *voluntas* mea *propria* sit, judicium non sit: laudandus videor, qui, quod possum, et quod in me est, facio, ut Ciceronem amem; excusandus, qui de eo non optime judicem; cum id a me necessitas quædam et quasi mentis imperium exprimat. MAN.

Atticæ] De qua, ut opinor, in matrimonium collocanda quiddam Atticus scripserat. IDEM.

Hominem] Nescio quem, litteris ab Attico et a Bruti sororibus, quarum altera uxor M. Lepidi, altera C. Cassii, commendatum. IDEM.

18 CICERO BRUTO S.

ARG. De exercitus in Italiam adducendi necessitate: de sollicitudine sua in retinendo Octavio, pro quo spoponderat pop. Rom. de rei pecuniariæ difficultate, et de Lepidi filiis. *Anno* U. C. 710.

Imperator] M. Æmilius Lepidus. MAN.

Falsi honoris] Consulatus. Ep. 14. IDEM.

Præstringi] Edidit Manutius, *perstringi*; Lambinus, *præstingui*.

Obdurescunt] Lambinus, libris omnibus, ut ipse testatur, reclamantibus, reposuit, *obsurdescunt*. Sibi habeat. GRUT.

Ex centesima] Ut de centum nummis unus tribuatur singulis mensibus. MAN.

Impudenti censu] Quod multo minus solvunt, quam deberent. MANUTIUS.

Præmiis] Non stipendiis, sed præmiis ante victoriam promissis. ID.

EPISTOLÆ AD BRUTUM,

A GERMANIS REPERTÆ ET EDITÆ.

A Germanis] Has epistolas, ut a Germanis accepimus, ita damus, quamvis enim in nullo veteri exemplari invenerimus, tamen nec Germanorum fidem improbare (qui se in vetusto codice eas reperisse testati sunt) nec nostrum ullam in partem judicium interponere voluimus. VICTOR. Placuit etiam hoc loco (in Fragmentis) quatuor epistolas Ciceronis ad M. Brutum, et unam Bruti ad Ciceronem intexere, quæ a Germanis

in manuscripto libro inventæ feruntur: quoniam et a multis, ut falsæ, rejiciuntur, nec in omnibus epistolarum impressis voluminibus reperiuntur, et in quibus sunt, in iis confusæ admodum ac sine ullo fere honore leguntur. Sunt autem scriptæ post celebrem illam ad Brutum, cujus initium est: *Sex. Clodius*, quam scriptam esse M. Antonio consule liquet: siquidem hæ, Hirtio et Pansa coss. aliquot post illam mensium intervallo datæ sunt. Esse autem has reliquis vulgatis ad Brutum epistolis præponendas, sed tamen cum iis connectendas, et rerum et temporum ipsorum ratio indicat. Quæ omnia ego paucis notatis locis ostendam. SIGONIUS. Quod in iis ad Brutum epistolis effecerit Sigonius, et quam egregiam operam navaverit; res ipsa indicat, cum aliis quidem, ante Sigonium editis, collata libris. Sunt, qui Ciceronis epistolas esse negent. Sed ego, cum rei ipsi pro se loquenti, tum Manutio idem quoque affirmanti plus tribuo in hoc genere, quam omnino cuiquam hominum: quos tamen ipsos nec multos, nec vehementer oportet esse eruditos, qui in his epistolis Ciceronem non agnoscant. PATRICIUS. Ex quatuor Tullii epistolis, et Bruti una, quas exhibet Sigonius, faciunt, alii sex, alii septem, et Brutina cum Tullianis confundunt. Hic igitur Sigonium ducem sequar: neque invitis, opinor, Musis. OLIVET.

CICERO BRUTO S. 1

ARGUMENTUM. In summo discrimine rem esse scribit, neque se tamen desperare: celeritatem in consulibus desiderat et prudentiam: maximam spem esse in Bruto et Cassio. *Anno* U.C. 710.

Cum hæc scribebam] De D. Bruto, Mutinæ ab Antonio obsesso, loquitur. Sic enim etiam ad C. Cassium scribit (*Fam.* XII. 6.) *Cum hæc scribebam res erat in extremum adducta discrimen. Brutus enim Mutinæ vix jam sustinebat.* SIGON.

Fidem enim consulum non condemnabam] Sic in tertia ad eundem, ex iis, quæ vulgatæ sunt: *consules duos bonos quidem, sed duntaxat bonos, amicissimus.* In consulibus enim his animum et voluntatem defendendæ reip. laudat, inertiam atque imprudentiam arguit. IDEM.

In aciem esse] Vel *in aciem* dixit, ut motum animi sui declararet, quasi, in aciem spectare: vel antiquo more locutus est, *in aciem*, pro *in acie:* ut in Orat. pro lege Manilia: *cum nostros portus in prædonum fuisse potestatem sciatis.* Et Plautus in Amphitr, *mihi in mentem non fuit.* Quæ notavit Gellius lib. I. cap. 7. In aciem igitur, in pugnam, quæ inter Antonium ducesque reip. brevi futura videbatur. MAN.

CICERO BRUTO S. 2

ARG. De Planci egregio in remp. animo, et suis cum Servilio in senatu de Planco contentionibus, quibus eum tandem fregit. *Anno* U.C. 710.

Fratrem] Lepidi frater fuit L. Paulus, qui consulatum cum C. Marcello gesserat. Mox a fratre ad necem traditus, societate a triumviris perdendæ reip. facta. *Plutarchus* in Antonio. MAN.

Satis habeo negotii] Eandem rem scribit etiam ad Plancum, epistola data III. Id. April. Vide *Fam.* X. 12.

Cecidit] Fracto animo, utpote qui Antonio faveret. MAN.

De Planco] Ornando, quia scripserat ad senatum, se, et exercitum suum præsto ad omnia pro libertate reip. futurum. Ep. 8, et 12. lib. X. Fam. IDEM.

BRUTUS CICERONIS S.

ARG. De Trebonii morte et provincia scribit. De Antonio consulit. De rebus a Cassio gestis quid fieri velit, ostendit. Orationes Ciceronis laudat, et pecuniam supplementumque postulat. *Anno* U. C. 710.

Si potest, non recuperari] Omisso, *si*, et *non*, Sigonius edidit, *post recuperari*. Ut hoc Brutus videatur dicere: etsi recuperetur Asia, non minus tamen fuerit Dollabellæ flagitium. Verum, amabo, cur isti brevitatis amatores non ita loquuntur, ut non intelligi non possint? OLIVET.

Antonius] Caius, Marci frater, qui anno superiore prætor fuerat. MAN.

Ne illum] Ne illum, alienatum a me dilationibus meis, ducem sibi libenter arripiant male de rep. sentientes: quorum furori aptam occasionem dare nollem. IDEM,

De litteris meis] Philippica X. ID.

Magis, &c.] Sigonius edidit, *quæ magis quam reliquorum*, nullo sensu. Voces alias Patricius ex Caroli Stephani editione hausit. Unde autem Stephanus acceperit, cum ipse taceat, nescio. OLIVET.

4 CICERO BRUTO S.

Mane a. d. VI. Id. Apr.] Hæc epistola data est Id. April. Quare quod scriptum est: *datis mane a. d. VI. Id.* legendum est *a. d.* III. quod ex epistola ipsa aperte patet. Ad omnes superioris Bruti epistolæ partes diligentissime respondet. Præterea se, repugnante Pansa, sententiam dixisse ait, ut Dolabellam Cassius bello persequeretur, quam dixit in XI. Philipp. Ad ea verba Bruti luxata: *hoc magis doleo, Asiam sic vexari a Dolabella*, ita rescribit: *ex iis litteris, quas mihi misisti, Dolabella Asiam vexare videtur.* SIGON.

Vesperi] Non, datas vesperi, sed accepi vesperi. Idcirco subdistinxi, *datas, vesperi*, PATRICIUS.

Sine nostro S. C.] Sic ad Cassium, in epist. 7. lib. XII. Fam. *Promisi, et prope confirmavi, te non expectasse, nec expectaturum decreta nostra, sed te ipsum tuo more remp. defensurum.* MAN.

Oratio] Philippica XI. IDEM,

Quod egere] In vulgatis præfixa est his verbis salutatio: *Cicero Bruto S*, quasi vero hoc novæ epistolæ principium sit, quam ego sustuli; non enim nova est epistola, sed pars extrema superioris responsionis, rescribit enim ad id, quod de pecunia et supplemento petierat, et ad reliquas ejus epistolæ partes, ut de Tertia et de filio suo. SIGON. Equidem, cur Sigonium non audierint editores alii, non video. OLIVET.

5 CICERO BRUTO S.

ARG. De tota constitutione belli quid sentiat perscribit, et Brutum ad majorem severitatem excitat. *Anno* U. C. 710.

Poterant] Patricius mavult, *poterat*.

Restinximus] Non hoc de se ipso dicit, qui pacem sine armis effici non posse duxerat, sed de iis, qui Bruti sententiam secuti, impetum pugnare cupientium represserant. MAN.

Repellit omnes reprehensiones] Est enim tanta, ut nihil nobis a te postea prætermissum, liceat reprehendere. IDEM.

Antonii] C. Antonii. IDEM.

Cornuto] Prætori urbano. IDEM.

Admiratio] Nam si proconsul C. Antonius, cur adversus eum pugnavit Brutus? sin recte Brutus, cur proconsul Antonius vocetur? IDEM.

Dolabella Imp.] Nec enim, qui remp. oppugnant, ullo honore digni sunt. IDEM.

Offendisset] Quia litteras C. Antonii cum illa inscriptione attulisset. IDEM.

Causæ] Causam appellat id, quod agitur, ut alibi quoque. IDEM.

DELECTUS COMMENTARIORUM

EX

EDITIONE

JOSEPHI OLIVETI.

IN VOLUMINIS QUARTI PARTEM PRIMAM.

OPERA PHILOSOPHICA.

ACADEMICORUM

(EDITIONIS SECUNDÆ)

LIBER PRIMUS.

Cap. 1. *In Cumano*] Rure vel prædio, inter Gaurum montem et oppidum Puteolos. Ciceronis fuit villa in litore, quod ille Puteolanum suum appellavit, et postea Academiam: cum aliam villam, ad Lucrinum lacum in collibus sitam, vocaret Cumanum suum. CLUVERIUS, *Ital. Ant.* lib. IV. cap. 2.

Libone] Scribonius Libo Varroni pernecessarius erat, vir sane doctus et historiæ scriptor: Liburnicæ autem et Achaicæ classi in bello civili præfuit. Ei libros nuncuparat Varro: citatur enim a Macrobio Varro ad Libonem. TURNEB.

Cap. 2. *Nihil apta interrogatione concludunt*] *Interrogatio* hic de mera conclusione rationis, nulla nec interrogatione adhibita, nec responsione, intelligitur. Fortasse sumptum est e consuetudine Stoicorum, qui Dialectici per excellentiam appellati sunt. Cicero quidem interrogatiunculas illorum sæpe solet in ea significatione dicere, ut verbum *interrogare*, sicut illi ἐρωτᾷν, pro *rationem concludere*. Clarum exemplum est in libro de fato ex Stoicis, cap. 12. *Sic enim interrogant, si fatum tibi est*, &c. ubi etiam ἀργὸν λόγον interpretatur *interrogationem ignavam*. FABER.

Utramque vim, virtutem esse nostri putant] Scientias quidem virtutes esse post Academicos docuerunt Stoici. Quintilianus Inst. Orat. lib. II. cap. 20. hanc rem fuse tractat. Vide Ciceronem de Orat. I. 18. III. 18. de Fin. III. 21. 22. denique Laertium, VII. 46. DAVISIUS.

Verbis, quanquam novis] Pro *quanquam*, legit Lambinus, *aliquando*. Faber, *quam jam*. Davisius, *nonnunquam*.

Quid est enim magnum, cum causas rerum efficientium sustuleris, de corpusculorum, &c.] Obscuritatem, si qua est, offundit vocum usurpatio a vulgari usu remota. *Res efficientes* appellat Cicero quas vulgo dicimus *causas*. Infra cap. 6. *De natura autem...ita dicebant, ut eam dividerent in res duas: ut altera esset efficiens*. *Causas* appellat, quas vulgo dicimus fines, vel *causas propter quas* agunt causæ, quæ appellantur efficientes. Porro Epicurei cum effici omnia corpusculorum fortuita concursione dicerent, causis finalibus locum nullum relinquebant. ANONYMUS.

Effectione] Causa efficiente. TUR.

Adhibenda enim geometria est, &c.] Locus est admodum corruptus, ad quem tamen emendandum aliquantum nos libri veteres adjuverunt; in quorum nonnullis scriptum est *materia* pro *geometria*. Omnino vox *geometria* nihil hic loci habet. Cætera, quæ perverso ordine erant collocata, eadem opera et in suum locum restituta, et perpurgata sunt. LAMB. Nimirum vir ille doctus totum locum sic ediderat, *effectio: (adhibenda enim ea materiæ est:) hæc ipsa de vita et moribus, de expetendis fugiendisque rebus. Illi simpliciter pecudis et hominis idem bonum esse censent: apud nostros autem non ignoras, quæ sit et quanta subtilitas: quam quibusuam quisquam queat enuntiare verbis? aut quem ad intelligendum poterit adducere? Sive enim Zenonem*, &c. Sed nimis audacem se præstitit. DAVIS.

Simplex] Non e tribus conflatum

generibus, animi, corporis, et fortunæ, sed in sola virtute positum. Tur.

L. Ælii] De quo in Bruto, c. 56.

Menippum] Gellius lib. XIII. cap. 39. Probus in Virgilii Eclog. VI. 40. Macrobius lib. I. cap. 7. 11. et lib. II. c. 7. *Varro*, inquit, *in illa lepidissima satyra Menippea, quæ inscribitur*, Nescis quid vesper vehat. Et Charisius lib. I. Vide apud Laertium Menippi vitam; cujus libri multo risu referti. P. Man.

In laudationibus] λόγους, ut videtur, ἐπιταφίους intelligit; hi enim *laudationes* passim vocantur. Dav.

Antiquitatum] Quadraginta et uno libris constabant. De iis vide Augustinum C. D. lib. VI. cap. 3. Idem.

Cap. 3. *Sedem regionum*] Nam Roma in regiones quatuordecim divisa erat. Tacitus lib. XV. 40. *Quippe in regiones* XIV. *Roma dividitur*. Tur.

Omni fere numero] Omni fere genere versus: nam mixtum erat carminum varietate, ut Quintilianus ait. Idem.

Nihil ut iisdem de rebus Græcia desideret] Variis modis hunc locum fatigarunt eruditi. Nam Turnebus reposuit *a Græcia desideres*. Aldus Nepos edidit, *Græca desideres*. Grutero denique placuit, *Græca desideret*. Vide num præstet ea conjectura quæ mihi nuper incidit, *nihil ut iisdem de rebus Græcia* desideretur. Davis.

Cap. 4. *Veterem*] Academiam. Turneb.

Immo vero et istam] Lego *ista;* nempe quæ contra Philonem disputarat Antiochus. Et ita dant, Ursino teste, libri veteres. Davis.

Aqua absumptam diu] Lamb. *a qua absum tam diu.*

Una hominis sapientia] Vict. Man. Grut. *una* omnis *sapientia*.

Tum] Lege, *tantum*. Davis.

Ut e Socraticorum libris, maximeque Platonis, *intelligi potest*] Non equidem capio, qui hoc ex *Platonis maxime libris* possit intelligi, cum apud eum *Socrates physica et musica et geometrica disserat*. Jamdiu legendum dixi, *maximeque* Xenophontis *intelligi potest:* nam Xenophon *negat Socratem de cœli atque naturæ causis rationibusque unquam disputavisse, ac ne disciplinas quidem cæteras, quæ* μαθήματα *Græci appellant, quæ ad bene beateque vivendum non pergerent, aut attigisse, aut comprobasse*. Verba sunt Gellii XIV. 3. Idem.

Ita facta est disserendi, *quod minime Socrates probabat, ars quædam philosophiæ*] Eruditissimi viri magno consensu verbum *disserendi* hic censent esse delendum, neque video qui ferri possit. Faber.

Cap. 5. *Adeptum esse omnia e natura*] Secundum naturam. Noster de Finib. lib. V. cap. 17. *Hunc statum corporis per se ipsum expetit, qui est maxime* e *natura*. Sic et alibi. Dav.

Ad comprehendendam ingeniis virtutem] Sive cum veteribus editis legas *ingenii virtutem*, sive cum Lambino, Gruteroque malis *ad comprehendendam* ingeniis *virtutem;* menti Ciceronis adversatur vox penultima. Nam virtutes proprie dictæ, non solum *ingeniis comprehendendæ*, sed multo magis vita sunt exprimendæ. Quod si *virtutes ingenii* pro docilitate et memoria positas arbitreris; hæ non a moribus, sed a natura pendent, adeoque *in naturam et mores* dividi nequeant. Non igitur mihi dubium videtur, quin nomen id sit a librariis additum. Hoc olim suspicati sunt etiam Paulus Manutius et Petrus Faber. De re ipsa vide Cic. Fin. lib. V. 13. Id.

Progressio] Προκοπὴ, qua de re extat libellus Plutarchi. Turn.

Animi bonis et corporis] Hasce voces ex margine profectas, adeoque delendas esse censet doctissimus Walkerus. Dav.

Cap. 7. *Quintum genus*] Eandem de quinta natura Platonis, quam Aristotelis sententiam fuisse scribit *Proclus* in Timæum. Turneb. Idem affirmat Simplicius in lib. VIII. Phys. Faber.

Mentesque, singulare] Vulgo, *mentesque singulares*, id est, ut Turnebus interpretatur, animi singulorum.

Sed subjectam] Nam illis materia

prima omni forma et qualitate caret: id est quod aiunt, ὕλη ἄποιος ἐστίν. TURNEB.

Tota omnia accipere possit] Elementa et materia omnia quæcumque gignuntur accipiunt, omniumque rerum formas induunt: aut quicquid gignitur, elementa et materiam accipit, eaque formis mutat et novat. Alii *possint* et *mutari* legunt, ac de materia intelligunt, quæ omnium receptaculum sit. IDEM.

Possit] Vict. Grut. *possint*.

Mutare] Novare, aliis atque aliis subinde advenientibus formis. IDEM.

Non in nihilum] Quia materiam habent, non possunt in nihilum interire, verum in materiam, licet non primam, resolvuntur, sed forma alia novatam, ut in elementa, quæ ipsorum partes sunt. IDEM.

Quæ infinite] Id corporibus omnibus convenit, ut in infinita postestate secari possint, ut Academici et Peripatetici, adeoque geometræ omnes censent, repugnantibus Epicureis, qui corpuscula quædam individua ponunt rerum primordia. IDEM.

Intervallis] Motus spatia habet, quæ eodem modo ut corpora infinite dividi possunt, ut Aristoteles scribit: cumque tempus numerus sit motus primi globi cælestis, eodem modo ejus partes infinite secari possunt. ID.

Qualia] Τὰ ποῖα, vel πεποιωμένα, id est, corpora constantia ex materia et forma, vel a forma finita et determinata. GUIETUS.

Quasi prudentiam] Πρόνοιαν significat, quæ non tantum sit supremi dei, verum etiam animi mundi, qui cælestia maxime procurat: in quibus nulla mutatio est, sed constans et ratus ordo. TURNEB.

Fortunam] Cicero in Topicis c. 17. *Cum enim nihil sine causa fiat, hoc ipsum est fortunæ eventus, obscura causa, quæ latenter efficit.* Sed nescio quo modo vis affertur vocabulis, et eorum notiones conturbantur. Ita enim efficitur, ut cum fatum et fortuna plurimum differant, unum tamen idemque esse videantur. IDEM.

Cap. 8. *In ratione*] *In oratione* legendum fortassis esse videatur. ID.

Quanquam oriretur] Lamb. *Quanquam judicium oriretur.*

Quanquam] Veri disceptatio et dijudicatio dialectices propria est: ad veri autem notionem duo comparata sunt, quæ κριτήρια dicuntur, sensus et mens. Plato tamen sensui quam minimum tribuit, ac prope nihil: plurimum menti. IDEM.

Oriretur] Nam quamdiu in hoc corpore inclusus est animus, sensuum ministerio et servitio utitur ad rerum cognitionem, qui tamen ea tantum percipiunt quæ nunquam vere sunt, sed esse videntur. IDEM.

Id quod semper] Plato in Timæo: *Quid est quod semper sit, neque ullum habeat ortum: et quod gignatur, nec unquam sit? quorum alterum intelligentia et ratione comprehenditur; quod unum atque idem semper est: alterum quod affert opinionem, per sensus, rationis expers; quod totum opinabile est, id gignitur et interit, nec unquam esse vere potest. Mens igitur rerum species quæ simplices sunt et uniusmodi (nihil enim in eis compositum, multiplex, varium, ut in iis quæ creata sunt) percipit.* IDEM.

Ita mobiles] In Theæteto et Timæo id a Platone pluribus tractatur: atque hac in re, ut Laertius ait, Heracliti sententiam sequebatur, omnia mobilia et fluxa esse profluentis more censentis. IDEM.

Laberentur] Cicero in Oratore ad Brutum cap. 3. *Has rerum formas appellat ideas... Plato; easque gigni negat, et ait semper esse, ac ratione et intelligentia contineri: cætera nasci, occidere, fluere, labi, nec diutius esse uno et eodem statu.* IDEM.

Opinabilem] Quod enim rationis est expers, quodque in sensu considit, opinabile est, ut ait Plato: opinionem enim creat, non firmam scientiam. ID.

Motionibus] Lamb. *notionibus*.

Motionibus] Animi agitationibus: nam in cogitando animus Platoni movetur. Alii *notionibus* legunt, quæ explicantur definitionibus et etymo-

logiis, ut rationes argumentatione. IDEM.

Definitiones] Semper enim Platoni in omni institutione proficisci placet a definitione. IDEM.

Verborum] Qua de re plurima Plato disserit in Cratylo. Notatio autem vim et notionem verbi declarat. ID.

Rerum notis] Quasi signis et indiciis. Metaphora est. IDEM.

In qua] Non est quo pronomen foemininum referatur. Forsan rescribendum, *ibique*. DAVISIUS. Refertur ad id quod supra, *tertia philosophiæ pars*. ANON.

Ratione] Ratiocinatione: nam συλλογισμὸν Stoici λόγον vocare solebant, et eorum more alii. Dialectica autem posita est in probationibus et conclusionibus: illæ argumenta habent, hæ argumenta in ratiocinationes includunt. TURNEB.

Cap. 9. *Prima*] Ratio, in qua posteriores aliquid mutaverunt, ut mox dicet. IDEM.

Cujus quas acceperim disputationes] Per *disputationes* Turnebus intelligit ea quæ in disputationem vocata sunt, seu de quibus fuit contentio. Sed ei voci talem vim competere non crediderim. Verumtamen illa quidem Tullii mens est, ut forsan verba mendo quodam laborent. Lego, *cujus quas acceperim* mutationes, *vel* immutationes. DAVISIUS.

Aristoteles] In his quæ inscripsit μετὰ τὰ φυσικά. Plato autem species induxerat ad disputationum definitiones, ut ait Aristoteles. Itaque ea de causa a Cicerone idea dialecticæ hic attributa est. TURNEB.

Fregit] In lib. de beata vita, ut Cicero ait Tuscul. V. 9. et in Callisthene, in quo illam laudavit sententiam, *vitam regit fortuna, non sapientia*. TURNEB.

Peracute moveretur] Acutissimi esset ingenii. Noster de Leg. lib. II. cap. 18. *Qui modo ingenio possit moveri*. Vide de Orat. I. 25. DAVISIUS.

Cap. 10. *Rejecta autem quæ minoris*] Attende sis orationis seriem. Quæ secundum naturam sunt, ea sumenda. Ex sumendis alia pluris sunt æstimanda, minoris alia. Quæ pluris, præposita: quæ minoris, rejecta. Ergo, si diis placet, *rejecta* sunt *sumenda*; quod prorsus repugnat. Quin et hæc rejecta (qualia sunt dolor, morbus, et similia) non κατὰ φύσιν, sed παρὰ φύσιν dicebant Stoici. Vide Stobæum Eclog. Ethic. lib. II. pag. 173. et Ciceronem Tusc. II. 7. Quæ cum ita sint, hunc locum vel vitiosum, vel mutilum putat Just. Lipsius Manud. ad Phil. Stoic. lib. II. Dissert. 23. Nec aliter sane fieri potest. Certe rejecta, sive ἀποπροηγμένα, *nulla æstimatione digna esse*, καὶ πολλὴν ἔχειν ἀπαξίαν statuerunt. Vide Tullium de Fin. lib. III. cap. 15. 16. et Stobæum Eclog. Ethic. p. 173. Auctore quidem Sexto Pyrrhon. Hypot. lib. III. c. 24. sect. 191. tradunt Stoici esse προηγμένα μὲν τὰ ἱκανὴν ἀξίαν ἔχοντα ὡς ὑγίειαν, πλοῦτον: ἀποπροηγμένα δὲ τὰ μὴ ἱκανὴν ἔχοντα ἀξίαν, ut nostro favere videatur. At ibi legerim τὰ ἱκανὴν ἔχοντα ἈΠΑΞΙΑΝ. Sic certe loquitur advers. Mathem. lib. XI. sect. 62. Quid igitur? Lego *sed quæ essent* media. *ex iis alia pluris*, &c. Noster de Fin. lib. IV. cap. 25. *Media illa, inquit*, Zeno, *inter quæ nihil interest, tamen ejusmodi sunt, ut eorum alia eligenda sint, alia rejicienda, alia omnino negligenda*, &c. Vide sis et lib. V. c. 30. IDEM.

Officia autem, et servata, prætermissaque, media putabat] Ornamenti causa *et* iterari notum est: inferri autem *que* post *et* quod hic Cicero facit, minus tritum est in consuetudine Latinæ linguæ. Itaque, ne mendosus locus putetur, exempla subjungam. Lib. IV. de Finib. *Omne animal ipsum sibi commendatum, ut se* et *salvum in suo genere*, incolumemque *vellet*. Et lib. V. cap. 22. *Quis est qui non intelligat* et *eos*....nosque *cum ea*, &c. MAN. De re ipsa vide lib. III. de Finib. cap. 17. et 18.

Natura aut more] Quæ enim natura perfectæ sunt, ab illis in ratione ponuntur, ut docilitas, memoria: quæ more, fere in ea animi parte quæ per

se rationis est expers, perturbationibusque agitatur: quanquam rationi paret. TURNEB.

In ratione] Nam Zenoni virtus nihil aliud est quam perfecta ratio, vel quam constans et perpetua ratio vitæ. Has definitiones a Stoicis lib. I. Legum Cicero mutuatus est. Quin etiam Zeno perturbationes in opinione et judicio posuit. IDEM.

Posse arbitrarentur] Neque enim quisquam Academicorum et Peripateticorum, ut censet Cicero, affirmavit, qui virtutem unam haberet, eum omnes habere. Id adeo vitæ docent exempla. Nam ferę prudentia timidior est, et philosophi libentius in lectulo quam prælio moriuntur: multosque abstinentissimos et innocentissimos videmus, qui ut injuriam non faciunt, ita, cum infertur aliis, minime propulsant. Stoici non putant sejungi posse. Laertius: τὰς ἀρετάς φασιν ἀντακολουθεῖν ἀλλήλαις, καὶ τὸν μίαν ἔχοντα, πάσας ἔχειν. Id est, *virtutes aiunt seipsas mutuo sequi, ut qui unam habeat omnes habeat.* Eorum sententiæ etiam astipulatur Alexander Aristotelis interpres, disseritque ἀρετὰς ἀντακολουθεῖν ἀλλήλαις, libro secundo de Animo. IDEM.

Contraherent] Vide Tusc. IV.

Cap. 11. *Quintam*] Quatuor tantum elementa Zeno ponit, quintam autem naturam non agnoscit: cælum enim igneum esse putat. TURNEB.

Ab ea quæ expers esset] Natura scilicet. Aliis natura, quæ vis est efficiens, corpore vacat. Zenoni corporata est, ignis scilicet: proinde et animus qui ex ea gignitur: nec solum natura, sed qualitates etiam omnes illis corporatæ sunt, extatque in Stoicos hac de re libellus *Galeno* adscriptus, et hi ab Alexandro graviter oppugnantur. Quo autem processerint eorum nugæ, ex Plutarcho operæ pretium est cognoscere. TURNEBUS.

Sensibus] In quibus judicium veri veteres esse nolebant, sed in mente: cum Zeno judicium veri in eorum comprehensionibus posuerit. IDEM.

Junctos] Actio sentiendi, quam etiam sensum Stoici dicunt, ex quadam impulsione visorum constat et componitur, ut censet Zeno. Sic alio loco, *junctum ex multis partibus* Cicero dicit. TURN. Legendum fortasse, *punctos*, νυγέντας, vel *ictos*, τυπέντας. DAVISIUS.

In nobis positam] Veteres enim nonnulli, ut Cicero docet in libro de Fato, censuerant assensiones vi et necessitate fieri. TURNEB.

Prenderentur] Nam manus proprium est comprehendere, a cujus comprehensione vocabulum duxerat Zeno, quod sensibus percepta sic tenerentur, ut quæ manu prehensa sunt. IDEM.

Sensum] Stoicis sensus est spiritus a parte animi, in qua principatus est, ad sensus perveniens; et sensuum comprehensio, quam hic Cicero *sensum* in neutro genere dicit, est sensuum actio. Auctor Laertius. IDEM.

Cum falso] Opinamur enim in falsis et iis quæ non sunt nobis cognita. Itaque sapiens Zenoni non opinatur, et ab eo in rebus malis opinio numeratur. IDEM.

In rectis] Scientiam enim Zeno in laude ponit: opinionem et inscientiam in vitio: comprehensionem inter utramque collocat, neque in rebus bonis aut malis numerat. IDEM.

Sensibus fidem] Cum veteres menti tribuerent. IDEM.

In re, comprehenderet] Non enim sensuum comprehensio vim totam rei sine prætermissione complectitur, cum exteriora tantum lineamenta attingat, eaque quæ sub sensum quemque cadunt, ut sub aspectum colores, sub auditum soni. IDEM.

In eam] Comprehensionem.

Principium sui] Comprehensionem sensibus factam. IDEM. Aliquis desse putet, *eam.* Plenior quidem eo addito locutio futura sit. FABER. Ipse legerim, *quamque natura,* &c. DAVISIUS.

Non principia] Quæ comprehensiones sunt. TURNEB.

Sed latiores] Notitiæ quædam ex

comprehensionibus oriuntur: sunt enim hæ intelligentiæ fundamenta quædam scientiæ. Ἔννοιας καὶ προλήψεις Stoici vocant. Idem.

Cap. 12. *Veluti amantes Socratem*] Locus est corruptus: nam non amore Socratis, sed *obscuritate rerum*, Democritus, Empedocles, et Anaxagoras ad ignorantiæ confessionem sunt adducti. Quapropter viri docti reponunt *et velut jam ante Socratem.* Sed illud *velut* hic importunum est, ac omnino legendum, *et, jam ante Socratem, Democritum*, &c. Prius enim ii, quam Socrates, hunc philosophandi modum sequebantur. Olim videlicet in hoc loco varia fuit lectio, nonnullique codices *et jam ante*, reliqui, *ut jam ante* præferebant. Annis autem volventibus, hæc scripturæ diversitas, ad oram libri vel inter lineas notata, in orationis invasit seriem; unde factum *et vel ut jam ante Socratem:* tandem vero vocabulis male conjunctis litteraque perperam repetita *et veluti amantes Socratem.* Hæc origo mendi, quod homines doctos habuit exercitos. Muretus quidem Var. Lect. IX. 14. reponit *adduxerant Socratem, velut jam ante Socratem.* Sed commodior videtur ea, quam insistimus, via: quamque prior iniit vir ille doctus XV. 46. Addit autem Muretus *Democritum, Anaxagoram, Empedoclem ante, ut opinatur, mortuos fuisse, quam avia Socratis nasceretur.* Quod omnino falsum: nam Democritus unico duntaxat anno natus est ante Socratem, eique fuit superstes. Anaxagoras autem XI. tantum annos major fuit quam Socrates. Nec Empedocles eum longe videtur ætate præcessisse, siquidem insignis fuerit A. P. J. 4270. cum Socrates inter vivos esse cœperit ejusdem periodi A. 4245. Hic est accuratissimi chronologi D. Petavii calculus. Rogat autem Petrus Faber, cur Apollo Socratem sapientissimum Græciæ dixerit, quod is profiteatur se nihil scire: siquidem veteres idem antea dixerant. Hoc nimirum constanter dicebat Socrates, et in ea sententia permanebat; cum *omnes isti nimis etiam quædam affirment, plusque profiteantur se scire quam sciant.* Vide Acad. II. 6. et Sextum Empiricum Pyrrhon. Hypoty. lib. I. cap. 30. Davisius.

Censebant] Lamb. *censebat.*

Deduceret] Idem. *dissereret.*

M. TULLII CICERONIS LUCULLUS,

SIVE ACADEMICORUM

(EDITIONIS PRIMÆ.)

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

Postea quam Cicero in Hortensio philosophiam verissimis, atque amplissimis ornavit laudibus, statuit, cum multa philosophandi tum genera colerentur, Platonicorum, Peripateticorum, Stoicorum, Academicorum, Epicureorum, quod ipse maxime omnium approbaret, ostendere. Ea vero fuit Academiæ novæ ratio. Hoc autem fecit scriptis primum libris duobus Academicis, quorum unum Catulum, Lucullum *alterum appellavit. Post mutato consilio, ac ea re, ac quæstione copiosius, atque accuratius tractata, libris Academicis alteris quatuor,*

quos ad Varronem emisit. Ex priore scriptione Lucullum habemus; ex posteriore duntaxat primi libri particulam. Reliqua vis vetustatis consumpsit. Sigonius, in Fragm. *Tomo IV. Ed.* Ernesti.

Lucullus, sive Academicorum *liber* II. *Hunc indicem libro præfiximus, cum vulgo detur* Academicarum quæstionum liber secundus, seu potius, ut eum numerat *Nonius, IV.* qui inscribitur Lucullus. *Absurde: nam Academicorum librorum duæ fuerunt ἐκδόσεις. Prior duobus libris fuit comprehensa, quos* Catulum *vocavit Tullius et* Lucullum: *adeo ut Lucullus hicce, si modo prologum demas, fuerit editionis primæ liber secundus. Postea mutato consilio hæc Academica refinxit scriptor, et ex duobus quatuor libros fecit, quos ad Varronem misit. Ex his primi tantum pars jam superest; licet Nonius eos legerat integros, ut ex fragmentis liquebit. Rem totam luculenter narrat Cic.* lib. XIII. *ad Att. Vide sis* ep. 16. 19. *&c.* Davisius.

DELECTUS COMMENTARIORUM.

Cap. 1. *Caruit omnino rebus urbanis*] Gruterus rescripsit, *humanis*, et stolidum esse ait illud prius. Sed rejecta Gruteri emendatione, nihil mutandum. Stat enim sententia, eamque Cicero explicat, ubi hæc subjungit: *diutius, quam vellem, tanta vis virtutis atque ingenii peregrinata abfuit ab oculis et fori, et curiæ.* Anonym. Res *urbanas* aliquando *rusticis* opponebant Romani. Sic apud Plautum, *Casin. act. I. sc. I.* servus quidam rusticus a rebus urbanis abstinere jubetur. At eo sensu vox illa in hoc Tullii loco accipi nequit. Sæpius res urbanæ a *bellicis* distinguebantur: nec sane dubitari potest, quin in eadem significatione rerum urbanarum mentio facta fuerit in eo, de quo agitur, loco. Juvenis enim adhuc Lucullus ædilis factus est anno U.C. DCLXXIV. et prætor urbanus anno DCLXXVI. ac tandem consul anno DCLXXIX. Ita ut per omnes urbanorum magistratuum gradus ad supremum usque fuerit evectus, et ætatis annum quadragesimum tertium impleverit, antequam res bellicas attigisset. Cum igitur falsissimum sit, in ætatis flore Lucullum rebus *urbanis* omnino caruisse, necesse est in mendo cubare ea Ciceronis verba, de quibus agitur; quæ tamen unius litterulæ restitutione facile sanari possunt. Legendum enim suspicor: *claruit omnino rebus urbanis.* Sensus est, Lucullum, quo tempore licuit ei per publica negotia in urbe versari, non in foro solum, sed etiam in magistratibus gerendis maximam gloriam esse consecutum. Quod ex sequentibus patet, et a Plutarcho abunde confirmatur. Buherius.

Paternas inimicitias] Luculli pater ἑάλω κλοπῆς, accusatore Servilio augure. Hic a Lucullo peculatus insimulabatur; at incolumis evasit. Vide Plutarchum in Lucullo. Davisius.

Absens factus ædilis, continuo prætor; licebat enim celerius legis præmio] Ædilitatem prætura biennio post consequebatur, quod sæpe jam, et opinor, primi olim docuimus. Lucullus autem, Syllanarum partium adjutor, cum ædilis fuisset, continuo prætor factus est beneficio legis, ut opinor, a Sylla dictatore latæ, ut iis, qui partes ejus in civili bello secuti essent, honores ante tempus capere liceret. Nam apud Appianum lib. I. scriptum est, lege Syllæ cautum, ne quis, omissa prætura, consul fieri posset. Quod Cicero etiam significat XI. in Antonium, his verbis: *Vopiscus ex ædilitate consulatum petit: solvatur legibus.* Verisimile autem additum in ea lege de magistratuum intervallo, sed exceptos esse eos, quorum opera in bello usus esset: itaque *præmium legis* hic appellat Cicero. Quod autem ait, *licebat:* non ideo abrogatam postea legem Syllæ significat, (nam eam valere locus ex XI. Philippica proxime recitatus indicat) sed neminem jam uti ejus legis beneficio: cum ii, qui pro Sylla contra Marium pugnaverant, aut honores, ipso vivente Sylla, jam cepissent, aut vita excessissent,

aut certe ita senes essent, ut de petenda ædilitate aut prætura minime jam cogitarent. P. MANUT.

Legis præmio] Intelligere videtur legem Corneliam; qua licebat iis qui Syllæ partes essent secuti, magistratus ante tempus capere. Vide *Paulum Merulam* de Leg. Rom. cap. 24. sect. 36. DAVIS.

Indocilem usus displinam] *Indocilis* est, qui non docetur. Propertius, lib. I. Eleg. II. 12.

Et sciat indociles *currere lympha vias.*

Ovidius Fast. III. 119.

Ergo animi indociles, *et adhuc ratione carentes.*

Indocilis autem dicitur *usus disciplina*, quia quod docetur, opponitur experientiæ. Apuleius de Habit. Doctr. Platon. lib. II. *Justitiam artem vivendi ac disciplinam putat, et nunc* docilem *esse, nunc* usu *et* experiendo *provenire. Indocilis* igitur ἄτεχνον, aut *inartificialem*, denotat. DAVIS.

Totiusque belli instrumentis et apparatu] In libris Victorianis erat *instrumento et apparatu;* quæ scriptura longe commodior profecto est. Nam erit illa usitata Ciceroni ἐπεξήγησις commodissima, in qua, si *instrumentis* diceretur, *apparatibus* item dicendum fuerat: neque aliud est hic *instrumento* unitatis appellatione, quam in libro primo de Finibus, ubi dicitur, *quid enim opus tanto* instrumento *in optimis artibus comparandis?* FABER.

Cap. 2. *Sub ipsis pellibus*] Tentoria videlicet ex pellibus erant confecta. Vide Just. Lipsium Mil. Rom. lib. V. Dial. 5. et Fr. Hotomanum ad *Cæsaris* lib. III. B. G. cap. 29. IDEM.

In legatione illa nobili] Vide sis Athenæum, lib. VI. pag. 273. Justinum, lib. XXXVIII. cap. 8. Val. Max. lib. IV. cap. 3. 13. Strabonem, lib. XIV. pag. 985. Plutarchum in Apophthegm. et Ant. Bendinellum, Loc. Controv. sect. 15. IDEM.

In libro] Hortensio.

Cum fungi munere debeamus] Fortasse, *cum fungi munere debebamus* ....*removimus*....*fecimus.* PASSERAT.

Cap. 3. *Contra omnes dicere, qui scire sibi videntur, solemus*] Academici percipi nihil posse dicebant præter unum illud, nihil posse percipi. In hac autem hæresi Cicero cum esset, non erat cur alios a se dissentire moleste ferret: id enim ab iis solet fieri, qui scire sibi videntur; contra quos Academici solent dicere. Sunt qui legunt, *contra omnes dicere, quæ videntur:* quos secuti non sumus. Non enim contra omnes dicere, quæ videbantur, soli Academici solebant; quod commune omnium erat: sed contra omnes qui scire videbantur; quod proprium erat Academicorum, negantium quidquam sciri et affirmari posse. P. MANUT.

Sed, ut potuerint] Vulgo, *sed ut potuerunt omnibus rebus,* &c. Omittamus Manutii, Fabri, ac Davisii conjecturas. Videndus tamen Muretus, Var. Lect. VII. 18. Quanquam facit satis Lambini, quam repræsentamus, lectio: nihil enim, ut ipse ait, neque ad Ciceronis sensum accommodatius, neque scripturæ receptæ affinius excogitari potest. OLIVET.

In xysto] Xystus videtur locus subdialis, ante domum positus, et pro vario dominorum ingenio variis modis ornatus. Vide sis J. Fr. Gronovium ad Senecæ de Ira. lib. III. cap. 18. et Aug. Buchnerum ad Plinii lib. IX. epist. 7. DAVIS.

Cap. 4. *Sosus*] Ascalonita, Stoicus insignis, de quo Stephanus Byz. in Ἀσκαλών. Vide J. F. Fabricii Bibl. Gr. lib. 3. cap. 25. OLIVET.

Tamen est adversarius lenior] Lambino placuit *levior;* et cum eo faciunt *Eliens.* ac *Paris.* 4. 5. DAVIS.

Cap. 5. *Tum ad hos notiores*] Vulgatorum librorum pessimam interpunctionem nos ex re ipsa, veteribusque libris sic mutamus: *tum ad hos notiores, C. Flaminium, (qui legem agrariam aliquot annis ante secundum Punicum bellum tribunus plebis tulerit, invito senatu, et postea bis consul factus sit) L. Cassium. Q.*

Pompeium. Illi quidem etiam P. Africanum, &c. DAVIS.

Duos . . . fratres] Quod *fratres* hic Lambinus tollit, nihil necesse est. Fuisse enim hos fratres scribunt nominatim Cicero, et Gellius, et Pomponius jurisconsultus. Ad rem vero quod attinet, Crassum fuisse Graccho suspicari licet ex Plutarcho, qui de Scævola dicit aperte, ut hic Cicero, cum inducit Nasicam dicentem in Gracchis p. 833. Ἐπεὶ τοίνυν, ἔφη, προδίδωσιν ὁ ἄρχων τὴν πόλιν, &c. FABER.

Nihil nos sentire, nihil cernere, nihil omnino quale sit posse reperire] Respicit ad hos Empedoclis versiculos,

. . . . Τὸ δὲ ὅλον εὔχεται εὑρεῖν
Οὕτως, οὔτ' ἐπιδερκτὰ τὰ δ' ἀνδράσιν, οὔτ' ἐπακουστὰ,
Οὔτε νόῳ περιληπτὰ . . . .

Ubi tamen, nisi fallor, sententia postulat ut rescribatur

. . . . . . Τὸ δὴ ὅλον εὔχεται εὑρεῖν.
Αὔτως. Οὔτ' ἐπιδερκτὰ, &c.

Αὔτως est ματαίως, ut interpretatur Suidas, et in eo sensu legitur apud Homerum. Empedoclis locus extat apud Sextum Empiricum advers. Mathem. lib. VII. sect. 123. aliosque. Vide Isaac. Casaubonum ad Laertii X. 73. DAVIS. Plutarchus, libro *de audiendis poetis*, eosdem laudat versus.

In Africano] Vide lib. III. de Orat. cap. 67.

Cap. 6. *Sed fuerint illa* vetera, *si vultis, incognita. Nihilne est igitur actum, quod* investigata sunt, postea quam *Arcesilas Zenoni*] Levi mutatione verborumque trajectione legerim, *sed fuerint illa* veteribus, *si vultis incognita*. Investigata sunt postea. *Nihilne est igitur actum, quod Arcesilas Zenoni*, &c. His dudum scriptis, Cl. Walkerum reposuisse video, *sed fuerint illa* veteribus *incognita. Nihilne est ergo actum, quod investigata sunt postea? Nam Arcesilas . . . . obducere*. DAVIS.

Confecta] Vict. Man. Grut. *conficta*.

Confecta a Carneade] Optime correxit Lambinus. Nam qui possit intelligi Arcesilæ ratio *conficta* a Carneade, qui fuit, ut hic dicitur, quartus ab Arcesila? Potuit etiam confirmare ex his verbis lib. I. de Nat. Deorum, *hæc in philosophia ratio contra omnia disserendi, profecta a Socrate, repetita ab Arcesila*, confirmata *a Carneade*, &c. Convenit cum *confecta*. Id autem valebat idem quod *absoluta*. FABER.

In hoc] Non de Clitomacho, sed de alio quodam Carneadis discipulo videtur hic agi. Quam ob causam *Gulielmius* voluit, *ingenii non minus in* Æmone, *in* Charmida *eloquentiæ*. Ast *Æmonem* ἐν Καρνεάδου μαθηταῖς numeratum fuisse non constat. Eo quidem magistro *Mentor* est usus, de quo lepidam fabulam videas licet apud Eusebium Præp. Evang. lib. XIV. cap. 8. pag. 738. et apud Laertium IV. 63. Verum is ἀποστὰς ἀντισοφίστευε. Quid igitur? Liber S. Victoris, *Paris*. 4. et *Reg*. a prima manu repræsentant, *ingenii non minus in* hac nonne, *in*, &c. Legerim *ingenii non minus in* Æschine, *in Charmada eloquentiæ*. Æschinem dico Neapolitanum, philosophum Academicum, quem, licet Μελανθίου Ῥοδίου μαθητὴν prodat Diogenes II. 64. a Carneade tamen institutum fuisse docet Plutarchus in libro *an seni sit gerenda resp*. Tom. II. pag. 791. Id etiam patet ex Nostro de Orat. lib. I. cap. 11. DAVISIUS.

In Charmada eloquentiæ] Vulgo *in Carneade*. Quasi Carneades sui fuisset discipulus? Igitur statim vidi rescribendum *in Charmada*. Et sic olim reposuit Petrus Faber. Hinc, ut idem vir doctissimus optime monuit, apud Suidam in Πλάτων, non Ἀρμάδας, sed Χαρμάδας legi debet: quod observare neglexit Lud. Kusterus. Alii porro reponunt *in Charmida*: præstantissimus autem Fabricius ad Sexti Empirici Pyrrhon. Hypot. I. 33. *in Charmide*. Nihil interest; siquidem non modo Χαρμίδας ac Χαρμίδης, sed etiam Charmadas, hic Carneadis discipulus nominetur. Vide Curium

Fortunatianum Rhet. Schol. lib. III. p. 75. Idem. Vide Commentarium in lib. I. de Orat. cap. 11.

Nec vero *esse ullam rationem disputare cum iis*] Sic Paulus Manutius ex codice Maffæano reponit, *nec* vero *esse ullam rationem disputare cum iis:* Lambinus autem, deletis duabus vocibus, unaque addita, legit, *nec* enim *verum esse disputare cum iis.* Lego: *nec enim verum esse* ulla ratione *disputare cum iis;* ac ita fere conjecit J. M. Brutus. *Verum*, est *æquum.* Apud optimos auctores passim reperitur hic loquendi modus: quare *verum pro justo frequenter poni* recte notavit Priscianus, lib. XVIII. col. 1180. Idem.

Visum igitur impressum effictumque ex eo unde *esset, quale esse non posset ex eo* unde *non esset*] Lambinus, assentiente *Fabro*, dedit: *visum igitur impressum effictumque ex eo* quod *esset, quale esse non posset ex eo* quod *non esset.* Favent quidem ea quæ leguntur infra cap. 24. Favet etiam definitio Græca φαντασίας, quam suppeditat Laertius VII. 50. et ex eo Suidas in φαντάσία. Νοεῖται δὲ, inquiunt, ἡ φαντασία ἡ ἀπὸ ὑπάρχοντος κατὰ τὸ ὑπάρχον ἐναπομεμαγμένη, καὶ ἐναποτετυπωμένη καὶ ἐναπεσφραγισμένη, οἵα οὐκ ἂν γένοιτο ἀπὸ μὴ ὑπάρχοντος. Vide et Sextum Empiricum Pyrrhon. Hypot. lib. II. § 4. et advers. Mathem. lib. VII. § 248, 402, 426. Mss. tamen adversantibus haud quicquam mutarim, cum res eodem fere redeat: ac nostram lectionem suis in codicibus reperit *Augustinus*, ut liquet ex lib. II. contra Academ. cap. 5. Idem. Sed Lambinum audiamus. Hic locus, inquit, restitutus est ex ipso Cicerone infra cap. 24. Ibi: *quale igitur visum? Tum illum ita definivisse; ex eo quod esset, sicut esset, impressum et signatum et effictum.* Sequitur paulo post: *hic Zenonem vidisse acute, nullum esse visum quod percipi posset, si id tale esset ab eo quod est, ut ejusmodi ab eo, quod non est, posset esse.* Ut igitur hunc locum aliquanto obscuriorem declaremus, hoc dicebat Philo: si Zeno recte definivit visum quod percipi possit; (sic autem definivit: visum quod percipi possit, est quod impressum ac signatum est ex eo quod est, quale esse non potest ex eo quod non est) verum est nihil comprehendi, nihilque percipi posse. At Zeno visum definivit non recte. Aliquid igitur comprehendi potest. *Effictum* autem edendum curavimus, Manutianam editionem secuti; quamvis in omnibus libris *effectum* scriptum invenerimus. Lamb.

Cap. 7. *Deus aliqui requirat*] Sic habet Victoriana editio, quam expressit Gronoviana. In aliis est, *aliquis.* Porro *qui, quiqui, aliqui* occurrunt apud bonos auctores pro *quis, quisquis, aliquis.* Plaut. Amph. I. 1. 1. *Qui me alter est audacior homo?* Aul. IV. 10. 45. *Ab eo, quiqui est, inde posces.* Cœlius, famil. VIII. 8. *Cum qua sit aliqui deprehensus.* Vide Oberti Gifanii Collectanea in Lucretium, v. *qui* pro *quis.* Cæterum, ut hic, *deus aliqui*, pro *aliquis*, sic infra cap. 34. *Herculi quendam laborem*, pro *Herculis.* Oliv.

In quo Cyrenaici solo putant veri esse judicium, quia sentiatur] Hunc tactum Lucretius in libro II. *tactum animi;* Plutarchus initio lib. V. Συμποσιακῶν, etiam διάνοιαν appellavit. *Sentiat* igitur hic aliquis, potius quam *sentiatur*, putet esse legendum: cur enim tactus, ut cæteri quoque sensus quos hic enumerat, quos sentire dicit, non item dicatur *sentire* probabilius, quam *sentiri?* Et sane quæ sentiuntur, e sententia Cyrenaicorum sunt permotiones animi duæ, et quidem solæ, dolor et voluptas. Diogenes in Aristippo, Δύο πάθη ὑφίσταντο, πόνον καὶ ἡδονήν. Et Aristocles apud Eusebium ait illis esse μόνα τὰ πάθη καταληπτά. Et de Aristippo nominatim, τοῦτον ἔφασκε τῶν παθῶν μόνων ἡμᾶς τὴν αἴσθησιν ἔχειν. Id est, opinor, has permotiones aiebat solum sentire nos. Nisi etiam intelligi potest passive dictum *tactus doloris et voluptatis* pro *voluptate ac dolore quibus afficimur;* ut in orat. pro Cœlio. *Si quem forte inveneritis,*

qui aspernetur pulchritudinem, non odore, non tactu, non sapore capiatur, et quæ sunt his similia, ut et sentire, et sentiri significet. FABER.

Ille deinceps equus est, ille canis] Lucullus e ratione Stoicorum primum posuit ea, quæ singuli sensus percipiant, quæ propria eorum cujusque judicii sunt, ut album sensus videndi; sonus, aurium; et ita deinceps. Sequuntur quæ jam tenere nos animo dicit. Φαντασία efficit, quæ etiam αἴσθησις vocatur a Stoicis, ut Plutarchus quoque nos monet in lib. IV. de Placitis philosophorum. Φαντασία ergo illa ab iis definitur apud eundem Plutarchum et alios, τύπωσις ἐν ψυχῇ. Alexander Aphrodisiensis in lib. I. de Animo, illa impressio in animo ut fiat, exponit his verbis: Ἄνθρωπος κατὰ τὰς αἰσθήσεις ἐντεῦθεν φαντασίας λαμβάνει, et quæ sequuntur. Ubi ille ostendit, ut hic Cicero, ex pluribus in animo impressis, et custoditis, exempli gratia, albis, genus ipsum posse nos cognoscere: ac viso aliquo albo singulari dicere, hoc est album. Hic vocatur a Plutarcho primus modus illius impressionis. Huic igitur secundus erit, Ciceroni tertius, quem adverbio *deinceps* intelligit; non de iis dicetur, quæ sunt propria sensuum singulorum, sed de iis quæ vocant Græci κοινὰ αἰσθήματα, quæ communiter percipiuntur. Velut cum Socratem, aut Cleonem venientem, ut est apud Aristotelem, cernimus; non solum de colore judicat visus, sed etiam de magnitudine, cujus judicium est illi commune cum tactu; tum de motu, de statu, de forma, de numero, quæ communia eidem cum cæteris sensibus. His igitur conjungendis fiunt enuntiationes; e quibus rationis conclusio componitur; ut hic subjungit, *Si homo est;* et quæ sequuntur. IDEM.

Sed ex multis animi perceptionibus constat] Nihil quidem est hic mutandum. Non possum tamen quin te moneam hæc sumpta esse ex illa nota definitione artis; cujus auctores veteres interpres Hermogenis Stoicos esse testatus est. Τέχνη ἐστὶ σύστημα ἐκ καταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων πρός τι τέλος εὔχρηστον τῶν ἐν τῷ βίῳ. Multo minus celem te tam studiosum, ut Cicero illam definitionem in Latinum verterit nescio quo in libro. Diomedes conservavit initio lib. II. de Grammatica, ubi *artem Tullius*, inquit ille, *hoc modo definivit: ars est præceptionum exercitatarum collectio, ad unum exitum vitæ utilem pertinentium.* Apud interpretem Hermogenis tamen est, Ἐκ καταλήψεων συγγεγυμνασμένων, ut apud Quintilianum, lib. II. cap. 17. *Ex perceptionibus coexercitatis.* FAB.

Quam si subtraxeris] Lege, *quas*, nempe perceptiones animi; quod etiam Cl. Walkerus vidit. DAVIS.

Cumque artium aliud ejusmodi genus sit, &c.] Audi Quintilianum, Inst. Orat. lib. II. cap. 18; *Artium aliæ positæ in inspectione, id est, cognitione et æstimatione rerum; qualis est astrologia, nullum exigens actum, sed ipso rei, cujus studium habet, intellectu contenta, quæ* θεωρητικὴ *vocatur: aliæ in agendo, quarum in hoc finis est, et ipso actu perficitur, nihilque post actum operis relinquit, quæ* πρακτικὴ *dicitur; qualis est saltatio: aliæ in effectu, quæ operis, quod oculis subjicitur, consummatione finem accipiunt, quam* ποιητικὴν *appellamus, qualis est pictura.* Vide et Joan. Wowerium Polym. cap. 8. IDEM.

Cap. 8. *Sic et initium quærendi*] Lege cum Walkero nostro, *sic ratio et initium*, &c. Nam vox illa nec subintelligi, nec ex superioribus repeti commode potest. Deinde, ubi *exitus*, malim *exitum*. DAVIS.

Ratio, quæ ex rebus perceptis, &c.] Vide Laertium, VII. 45. IDEM.

Cap. 9. *Sit, ut opinor*] Vel sequenda est Ms. Cantab. fides, *sicut opinor*, quod nos fecimus; vel deleta prima vocula rescribendum, *ut opinor*. Et ita sane dat codex regius. IDEM.

Cap. 10. *Quid eum facturum putem de abditis rebus et obscuris, qui lucem eripere conetur*] Prætermissam hic esse vocem *clarissimis* arbitror a properante librario, ut fere fit. FABR.

Quemadmodum prima *visa*, &c.] Legendum fortasse est *primo visa*, &c. ut *primo* et *deinde* inter se respondeant. Omnino neque *prima visa* neque *secunda* dicuntur. Præterea ubi libri vulgati habent *nos pellerent*, legendum *eos pellerent*. *Eos* autem, videlicet sensus. Lamb. *Prima* non magis hic Lambinum aut quemquam offendere debuit, quam apud Maronem in illis: *Cui prima frementem Fudit equum tellus*; aut, *Consulis imperium hic primus sævasque secures Accipiet*. Nec magis necesse fuit pro *nos* legere *eos*, ut referatur ad sensus: de sensibus enim nominatim subjungitur, *tum ut sensus ad res percipiendas intenderemus; mens enim ipsa*, &c. Illud fortasse magis animadvertendum, quod hic minus videtur ordo quem sequuntur Stoici, servatus esse; quem servabit ipse infra, quo in loco *visum* primum ponit; deinde *assensum*: postremo *appetitionem*. *Primum*, inquit, *videri oportet, in quo sit etiam assensus: dicunt enim Stoici sensus ipsos assensus esse; quos quoniam appetitio consequatur, actionem sequi.* Et sic Alexander, cui non minus videntur Stoicorum, quam Aristotelis fuisse decreta cognita, ait in lib. I. de Animo, Ἕπεται μὲν οὖν τῇ φαντασίᾳ συγκατάθεσις, ὥσπερ οὖν καὶ τῇ συγκαταθέσει ὁρμή. Sed Plutarchus in Colotem eundem ordinem posuit, quem Cicero in his verbis, Τριῶν περὶ ψυχὴν κινημάτων ὄντων, φανταστικοῦ, καὶ ὁρμητικοῦ, καὶ συγκαταθετικοῦ. Quæ postea hoc eodem ordine omnia persequitur, credo, quod ita conjuncte fiant posteriores hi duo motus *assensus* et *appetitio*, ut ratione quadam magis, quam tempore distinguantur. Fab. Eam lectionem temere defendit Petr. Faber, qui solutæ ligatæque orationis characterem non distinxit. Certe necessaria prorsus est hæc Lambini conjectura, *primo visa*, quam ex emendatione præ se fert regius noster. Dav.

Itaque alia visa sic arripit, ut his statim utatur: aliqua sic recondit, e quibus memoria oritur] Locus hic ut doctissimos viros fatigaverit, nihil est necesse dicere. Lambinus reliquit inane spatium, quod ipse multis verbis explere conatus est; at ego una littera *c* hic plus esse existimo; (nam particula *sic*, quia sine redditione est, hic ferri nullo modo potest) quæ littera si in *a* mutetur, nihil quisquam hic, opinor, aut deesse aut superesse dixerit. Cicero duo visorum genera hic facit; alia quibus mens statim utitur; alia quæ recondit, ut reservet scilicet, et his utatur postea, cum erit usus. Sic Plutarchus in libro, quem inscripsit πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα, dividit νοήσεις, in κινουμένας, et ἐναποκειμένας, quæ verba Stoicorum sunt, quæ idem Plutarchus in ipsorum repugnantiis explicat, nominatim in verbis κίνησις et σχέσις: et Philo Judæus in lib. περὶ τοῦ ἐξένηψε Νῶε, qui κίνησιν hic interpretatur ἐνέργειαν, ut σχέσιν ἠρεμίαν. Utrumque sic ostendit exemplo artificis, ut sit artifex σχέσει, cum ex arte non agit, et κινήσει cum agit, nec reconditam mente modo tenet artem, sed ea utitur: quomodo Cicero ipse in lib. III. de Finibus κινήσεις, aut τὰ ἐν κινήσει vertit *quæ sunt in effectu*, ut σχέσει *quæ sunt sine effectu*; ut hic φαντασίας (quas a Stoicis etiam ἐννοίας Plutarchus appellari dicit, et appellat ipse νοήσεις, ut paulo ante retuli) κινουμένας, *visa quibus mens statim utitur*; ut ἐναποκειμένας *quæ recondit*. Aperta res: ipse tamen addit *quasi*, molliendæ metaphoræ causa, si cui verbum Latinum *recondit*, quod tamen Græco verbo proprie respondet, hic videretur durius: quod verbum ubi proprie dicatur a Latinis, notum. Lego igitur, et quidem fidenter: *Alia visa sic arripit, ut his statim utatur: alia quasi recondit, e quibus memoria oritur*. Nam quod ex reconditis illis visis memoriam oriri dicit, idem pene eisdem verbis dicit Alexander de illo viso, et quasi nota impressa, quæ in animo relinquitur, quam τύπωσιν supra Stoicos appellare diximus. Τῆς μνήμης, inquit, ἡμῖν σωζόμενον αἴτιον γίνεται τοιοῦτον ἐγκατάλειμμα, καὶ τὸν τοιοῦτον ὥσπερ τύπον φαντασίαν καλοῦσι. Et sic Plutarchus ait apud Stoi-

σοῦ μνήμας εἶναι μονίμους καὶ σχετικὰς τυπώσεις. Faber.

Similitudinibus constituit] An inductionibus, id est, ἐπαγωγαῖς? Ex singularibus similibus generalia colligit: hic olor est albus: ille etiam albus est; et alius hic albus: ergo omnis olor albus. Hæc nix alba: et hæc, et illa: ergo nix omnis alba. Hæc inductio est ex partibus similibus totum quodam modo constituens; quod ἔννοια et πρόληψις Stoicis, Latine *notio*. Vide Plut. de Placit. IV. 11. Guietus.

Constituit] Vict. *construit*.

In profundo veritatem, ut ait Democritus, penitus abstruserit] Respicit ad illius effatum, quo pronuntiavit ἐν βυθῷ εἶναι ἀλήθειαν. Vide Laertium, lib. IX. § 72. Lactantius Epit. cap. 40. *Democritus in profundo quodam puteo demersam veritatem jacere testatur*. Vide sis et Inst. Div. lib. III. cap. 28. 13. et cap. 30. 6. Davis.

Cap. 11. *Quæ ista regula est veri et falsi*] Ego hoc totum *veri et falsi*, tanquam a librario errante temere positum, funditus delevi. Namque hæc regula, quam dicit, non intelligitur regula veri et falsi; sed regula, qua certum ab incerto, cognitum ab incognito distinguitur, id est regula cognitionis. Lamb. Mihi simul ac Lambino librariorum videntur adsumenta hæ voces. Regula, quam dicit, est ea πιθανότητος, seu verisimilitudinis, qua se uti dicunt Academici. Dav.

Sive tu.......Carneades] Lamb. *sive tu probabilem visionem, et quæ non impediatur; sive improbabilem, et quæ impediatur, ut Carneades*.

Sive tu probabilem visionem, sive improbabilem et quæ non impediatur] Ut ad hujus philosophiæ rationem, et ad verba Græca et Latina minus trita aliquot, egregius erat hic locus: ita male a librariis, aut a lectoribus, aut a correctoribus acceptus est. Non hic divisio est illa visionis in probabilem et improbabilem, quomodo Lambinus accepit; sed illius altera pars, id est, visio probabilis dividitur in eam quæ sit probabilis tantum; quam exponit ipse paulo inferius, *visum, quod cuique occurrit, et primo quasi aspectu probabile videtur*; et eam quæ sit probabilis simul et quæ non impediatur, quam inferius item exponit sic, *quod ex circumspectione aliqua, et accurata consideratione visum sit*. Hoc ita esse doceant etiam Pyrrhoneorum philosophiæ quasi rudera illa, quæ restant apud Græcos. Galenus in lib. IX. de decretis Hippocratis et Platonis hanc eam ipsam divisionem novorum Academicorum sic refert: Ἀνάγεται δὴ τούτων κρίσις εἰς φαντασίαν, ὡς οἱ νεώτεροι τῶν Ἀκαδημαϊκῶν λέγουσιν, οὐ μόνον πιθανήν, ἀλλὰ καὶ περιωδευμένην καὶ ἀπερίσπαστον. Sextus Empiricus, lib. I. Pyrrhonearum hypotyposeων paulo secus distinguit, et verbis tamen utitur eisdem, quibus Græce Galenus; et quibus Latine Cicero. Ille igitur ut quidem est interpretatus Henricus Stephanus (Græcum enim adhuc mihi videre non licuit:) *Præferunt igitur novi Academici ei phantasiæ, quæ simpliciter est verisimilis, eam, quæ est verisimilis, et* περιωδευμένη. *Utrique autem harum eam, quæ est verisimilis, et* περιωδευμένη, *et* ἀπερίσπαστος. Vides eadem verba. Stephanus ipse vir de Græcis litteris et Latinis tam bene meritus, credo, si illi verborum Ciceronis venisset in mentem, maluisset hic *visionem probabilem*, quam *phantasiam verisimilem*, etsi res erat eadem, Latine dicere; neque tantillum hæsisset in verbis περιωδευμένη, et ἀπερίσπαστος: potius ea ex hoc loco in suum Ciceronianum Lexicon retulisset. Quid enim aut potuit φαντασίαν πιθανὴν magis reddere, quam *visionem probabilem*, aut μόνον, quod illi addunt, magis explicare, quam quod hic dicit, cum repetit, *quod cuique occurrit, et primo quasi aspectu probabile videtur*? Deinde *probabilem, et quæ non impediatur* cum dicit; vertit πιθανὴν καὶ ἀπερίσπαστον: reliquit περιωδευμένην; quod postea cum repetit, reddit, ut jam diximus, *quod ex circumspectione aliqua, et accurata consideratione visum sit*, ἀπερίσπαστον reliquit; ut intelligatur ipsum

utrumque pro eodem accipere: ut Galenus etiam περιωδυνωμένα et ἀπερίσπαστα conjuncte posuit: ἀπερίσπαστα igitur est hic ἀνεμπόδιστα, ut Suidas etiam addita præpositione contrariæ significationis ἀντιπερίσπασμα exponit ἐμπόδιον. Et Plutarchus in lib. περὶ φυγῆς, cum dicit τὸν μόνιμον, καὶ σχολαῖον, καὶ ἀπερίσπαστον βίον, ut aliis plerisque in locis, hoc nomine non aliter utitur. At περισπᾶν est in glossis veteribus *distrahere*; et quidem *distrahere* et *impedire* dici promiscue unus locus apud Cæsarem primo libro de Bello Civili, quem tu attente legisti, satis docere poterit: *Subjicitur Metellus tribunus plebis ab inimicis Cæsaris, qui hanc rem* distrahat, *reliquasque res, quas agere instituerat*, impediat. Ut nihil sit apertius, quam ἀπερισπάστως in epist. ad Corinth. I. c. 7. veterem interpretem, cum vertit *sine impedimento*, optime atque eruditissime vertisse. Περιωδυνωμένη ut minus etiam dubites, redditum sic esse verissime, atque ego te hic quasi Græce doceam; περίοδος est præter cætera ἡ τῆς γῆς περιήγησις, ut interpretantur veteres. Cicero lib. II. de Finibus *regionum historiam* dixit; verbum scilicet geographis in usu frequens, ut περίοδοι Eudoxi, Hecatæi, aliorum. Iidem verbo quoque περιοδεύειν utuntur pro περιηγεῖσθαι. Docet Eustathius præfatione commentariorum in Dionysium, id esse non modo καταγράφεσθαι et ἀναμετρεῖσθαι, *describere ac metiri regiones*; sed accipi etiam pro κατὰ λεπτὸν ἀφηγεῖσθαι, *singula accuratius exponere*: ut Cicero vertat *circumspicere* et *accurate considerare*, eodem pertinet; et tu vide profecto jam pridem sic debere scribi, *sive probabilem, et quæ non impediatur*. Faber.

Subtiliter] Id est, κατὰ λεπτὸν, exacte, ἀκριβῶς. Impressa subtiliter animo oportet esse visa, ut sint perspicua, ex illorum sententia. Guietus.

Si magna parte] Lambinus, *magnam partem*. Bene: et multa exempla Budæus in suis commentariis linguæ Græcæ e libris Ciceronis collegerat. Bene etiam legit idem Lambinus *obscurato*; sic enim recitat Capella in libro primo, et cum sequenti participio *oppresso* magis id convenit. Faber. Falsus est Pet. Faber, qui Martianum Capellam ita recitare tradit. Legerem *obruto et oppresso*. Certe *obrui* et *opprimi* passim jungit Cicero. Davisius.

Cap. 12. *Aut ea, quæ est in nostra sita potestate*] Cl. Walkerus, addita negatione, legit, *quæ* non *est in nostra sita potestate*; quia paulo post noster ait *necesse esse animum perspicuis cedere*, et *non posse objectam rem perspicuam non approbare*. Davis.

Assentiatur] Legit, *assentiri*, Lambinus: *assentiamur*, Guietus.

Cap. 13. *Quam obscurari volunt*] Hanc lectionem pertinaciter exhibent nostri; nec tamen ex ea sensum commodum exsculpere queo. Si aliis idem contingat; legant illi mecum, *quæ obscurare volunt*. Nimirum statuebant Academici, sensus reliquaque, quæ memorat Cicero, rebus percipiendis esse parum idonea. Id quibus rationibus effecerint, docebit Sextus Empiricus Pyrrhoniarum Hypotypos. lib. I. cap. 14. Davis.

Cap. 14. *Cumque ipsa natura accuratæ orationis hoc profiteatur*] Legendum videtur potius, *rationis*. Vocavit enim paulo ante *argumentum*: nec ullus est qui nesciat, *rationem* a Cicerone sæpe usurpari pro argumento. Passerat. Neque hic mandatum est quicquam; est enim hæc *oratio* nihil quam συλλογισμὸς, ut ab Aristotele definitur, et explicatur etiam a Gellio in lib. XV. cap. 26. *Aristoteles*, inquit ille, *quid syllogismus esset his verbis definivit*: Λόγος ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει διὰ τῶν κειμένων. *Ejus definitionis non videbatur habere incommode interpretatio facta hoc modo: Syllogismus est oratio, in qua consensis quibusdam et concessis, aliud quid, quam quæ concessa sunt, per ea, quæ concessa sunt, necessario conficitur*. Sic Gellius hic vertit λόγος: et sic Apuleius, etiam cum eandem illam definitionem exponeret; recte scilicet, ut hic Cicero.

Quam enim in aliam rem definitio hic a Cicerone facta conveniat? Fab.

Opinionem a perspicuitate sejungere] Censuit Epicurus, sensus nunquam non veraces esse, cum perspicuitate nitantur, opiniones vero, quæ sunt nostra de visis judicia, nonnunquam veras, nonnunquam falsas statuit. Sextus Empiricus advers. Mathem. lib. VII. §. 203. et 210. Vide et Laertium, lib. X. §. 31. 34. Davis.

Cap. 15. *Animi* inaniter *moveantur eodem modo rebus iis, quæ nullæ sint, ut iis quæ sint*] Walkero nostro delenda videtur vox *inaniter*; ut enim animi *inaniter* moveantur rebus iis, quæ nullæ sint; *vere* tamen moventur iis rebus, quæ sint. Supra cap. 12. *Cum sit incertum*, vere inaniterne *moveantur*. Vide sis et cap. 16. ac lib. I. N. D. cap. 38. Et recte quidem vir eruditus illi voci litem movet. Nescio tamen an non mutanda potius quam delenda sit: ad me enim quod attinet, legerim, *animi frequenter moveantur*, &c. Idem.

Cur non ut plane nihil intersit] Locus obscurior non attendenti ob particulam *ut*. Cujus tamen in ea significatione Ciceroni usus est frequentissimus. *Ut nihil intersit*, valet *etiamsi nihil intersit*. Dicatur plenius, *ut concedamus nihil interesse*. Confer sequentia, et quæ annoto ad illa verba, *ut sibi sint et ova ovorum, et apes apum simillimæ*, qui locus item immerito correctus est. Faber.

Cap. 16. *Simul ac se ipse commovit*] Proverbium tritum sermone ipse in lib. III. de Oratore sic extulit, *Facilius est currentem incitare, quam commovere languentem*. Ductum etiam videri potest ex ritu commovendi sacra bellis indicendis, de quo legendus tibi Servius ad illud Maronis, Æneid, VII. *Cum prima movent in prælia Martem*. Idem.

Visus Homerus adesse poeta] Lucretius I. 121.

Etsi præterea tamen esse Acherusia templa
Ennius æternis exponit versibus, edens;
Unde sibi exortam semper florentis Homeri
Commemorat speciem, &c.

Vide et Somn. Scip. [illegible] Davis.

Cap. 17. *Species ac eor*[illegible]] [illegible] prorsus necessaria est vox media; quam nos ea de causa reposuimus. Id.

Democritum dicere, innumerabiles esse mundos] De hac Democriti sententia videri possunt Æg. Menagius ad Laertii, IX. 44. et Jac. Perizonius ad Æliani Var. Hist. IV. 29. Davis.

Cap. 18. *Internoscere. Nihil enim magis assentiri potest*] Lamb. *internoscere licere. At enim nihilominus assentiri potes.*

Nihil enim magis assentiri potest hoc illud esse, quam si inter illa omnino nihil interesset. Habeo enim regulam] Verba inculcare aut mutare, ut mutavit hic Lambinus, satis tutum non arbitror. Si quid ausim affirmare, tantum pro *potest* legam *potes*; et distinguam sic, *Nihil enim magis assentiri potes, hoc illud esse, quam si inter illa omnino nihil interesset? Habeo enim*, &c. quia sentio dialogismum esse, in quo responsio illa, *Habeo enim regulam*, postulat, ut in priore parte legatur *potes*. Academicus inducitur qui Lucullo hæc dicenti, *nobis satis est ova illa internoscere*, referat *nihil enim*: quasi responderet, *nihil est*, aut nihil est profecto: quomodo ille apud Terentium in Adelphis, *Quid aiunt? quid censes? nihil enim*. Deinde item sibi Lucullus objicit etiam, quod Academicum quæsiturum sciat, *magis assentiri potes*, &c. Ipse respondet, *Habeo enim regulam*. Significare autem vult ejusmodi anthypophora non magis assentiri posse Lucullum, hoc ovum scilicet esse illud ovum quod se dicat se nosse, quam si inter illa omnino nihil interesset. Faber.

Non solemus, inquit, ostendere] Augustinus contra Acad. lib. III. cap. 20. *Cicero ait illis* (Academicis) *morem fuisse occultandi sententiam suam, nec eam cuiquam nisi qui secum ad senectutem usque vixisset, aperire consuevisse*. Vide et cap. 17. et lib. II. cap. 13. Attamen Carneades καίτοι ὑπὸ Στωικῆς φιλονεικίας εἰς τὸ φανερὸν κινῶν, πρός γε τοὺς ἑαυτοῦ ἑταίρους δι' ἀπορρήτων ὡμολό-

γεῖ τε καὶ ἠλήθευε καὶ ἀπεφαίνετο, ἃ κἂν ἄλλος τῶν ἐπιτυχόντων. Hoc testatur Numenius apud Eusebium Præp. Evang. lib. XIV. cap. 8. DAVIS.

Cap. 19. *Et Cimmeriis quidem, quibus aspectum solis,* &c.] Est ab Homero Odyss. Λ. 14. Hinc in proverbio feruntur *Cimmeriæ tenebræ;* de quibus vide Des. Erasmum in Adag. IDEM.

Ea te comperisse] Te comperisse conjurationem Catilinariam. LAMB.

Cap. 20. *Cum de rep. disceptatur, fieri interdum solet*] Respicere videtur ad id jusjurandum, quo post sententias dictas interdum adigebantur senatores: jurabant enim, E REPUBLICA ESSE QUOD CENSUISSENT. Vide Brissonium Form. lib. II. pag. 226. DAV.

Cap. 21. *Carneades nonnunquam secundum illud dabat*] Secundus conclusionis modus, ut vidisti descriptum in Topicis, hic plenus est: *Si ulli rei sapiens assentietur unquam, aliquando etiam opinabitur: nunquam autem opinabitur: nulli igitur rei assentietur.* His verbis porro *primum* et *secundum* Stoici solent uti in his conclusionum modis, quos in eodem libro illo exponit tam accurate Cicero, et Chrysippus apud Diogenem in Zenone, et alii multi. Græci vocant ἡγούμενον et πρῶτον primam partem connexi, ut secundam δεύτερον aut λῆγον, aut ἑπόμενον, quæ Cicero nunc *antecedens et consequens*, nunc *primum et secundum*, nunc *primum et extremum*, eisdem quibus illi verbis exprimit. Hic tamen vocat *primum*, primam sumptionem, id est totum connexum, ut etiam paulo post, cum dicit, *sed illud primum, sapientem, si assensurus esset, etiam opinaturum: secundum* autem ut Græci, quod erat postremum in connexo, *nunquam autem opinabitur;* quæ est etiam secunda sumptio in hac conclusione rationis. Jam Arcesilæ ratio tota est perfacilis. Is probabat conclusionem, id est συμπέρασμα, ut etiam in lib. III. de Finibus conclusionis rationis postremam partem illam sic vocat: *duorum autem,* inquit, *e quibus effecta conclusio est.* (Hoc dixi quod sæpissime conclusionem rationis vocat, quam Græci συλλογισμὸν, aut ἀπόδειξιν) Conclusionem igitur hanc probat hoc ipso quod sumptiones duas, ex quibus ea efficitur, confirmat, id est quasi συγκυροῖ, sua sententia comprobat, aut adeo confirmat rationibus allatis. In hoc autem convenit Arcesilæ cum Zenone, qui primus omnium philosophorum statuit sapientem nihil opinaturum. De Carneade res est item facillima; *nonnunquam probabat secundum:* id erat, *sapiens autem nunquam opinabitur. Nonnunquam* dicit, quia nonnunquam contrariam sententiam probabat, ut supra dixit: *Carneadem autem etiam heri audiebamus solitum esse delabi interdum, ut diceret opinaturum esse sapientem.* Et paulo ante eum locum de assensione. *In qua melius,* inquit, *sibi constitit Arcesilas, si vera sunt quæ de Carneade nonnulli existimant.* Vides igitur Carneades quid hic probaret, et quomodo: vel potius quid simularet se probare. Id enim dicit infra Cicero se putare magis ab illo disputatum, quam probatum, atque in eo se Clitomachum auctorem sequi. FABER.

Possunt] Lamb. *non possunt, iis quæ percipi possunt.*

Ut tamen in præcipitem locum] Legendum est, *ut in tam præcipitem locum.* Atque hanc emendationem et adjuvant codices Mss. et libentius amplector, quod Guidoni Fabro Pibracio, patrono regio, venerat etiam ante in mentem. LAMB.

Sin autem omnino nihil esse quod percipi, &c.] Nam si nihil percipi potest, non potest sapiens assentiri rei incognitæ, quin uno tempore opinetur: at sapiens non opinatur: ergo sapiens assensus omnes cohibere debet. ID.

Cap. 22. *Dissensio*] Man. Lamb. *defensio.*

Mænianorum] Nonius in *Mæniana:* Mæniana *ab inventore eorum Mænio dicta sunt: unde et* columna Mæniana. *Cicero* Academ. lib. IV. *Interim ille, cum æstuaret, veterum, ut Mænianorum, sic Academicorum viam secutus*

est. Ex nostro corrigendi sunt Marcelli codices. Pravam tamen illam rationem non evitavit G. J. Vossius in Etymologico; qui, simul ac Brissonius, Martinius, et Interpretes ad *Festum*, de *Mænianis* plura congessit. Adjiciam tamen *Asconii* verba: *Mænius*, inquit, *cum domum suam venderet Catoni et Flacco censoribus, ut ibi basilica ædificaretur, exceperat jus sibi unius columnæ: super quam tectum projiceret ex provolantibus tabulatis, unde ipsi et posteri ejus spectare munus gladiatorum possent, quod etiam tum in foro dabatur*. Extant ad Divin. in Cæcilium cap. 16. De Mænianorum vero etymologia diversus abit a veteribus Cl. Salmasius ad Spartianum p. 155. edit. Paris. quem, si lubet, vide. Davis.

Cap. 23. *Res non bonas*] Lego, *res novas*. Nihil enim rep. bene constituta, fuit unquam invidiosius, quam non modo tractatio, sed etiam studium novarum rerum. Legisti oratione prima in Catilinam, *Servilius Ahala Sp. Mælium rebus novis studentem sua manu occidit*; ut mittam exempla infinita. In philosophia vult item invidiosum esse Arcesilæ novæ Academiæ principi, atque ejus æmulis, quod nova Academia instituenda ille exortus est, ut antea dixit, qui bene constitutam philosophiam everteret. Quid ergo aut in rep. aut in philosophia bene constituta, aut seditiosis illis tribunis quos memoravit, aut novis Academicis quos cum illis comparavit, vel aptius, vel gravius, quam res novæ ab antiquis potuit objici? Faber.

Quintæ classis] Id est, ultimæ. Populus in comitiis in quinque classes dividebatur. Infimi quique ex plebe in quintam classem conferebantur. Guiet.

Cap. 24. *Imitari nunquam*] Exulet vox nequissima, *nunquam*, et reducatur in suas sedes, *num quem*, cum hac interpunctione. *Videorne tibi non ut Saturninus, nominare modo illustres homines, sed etiam imitari? Num quem nisi clarum? nisi nobilem*. Passer.

Quid Cyrenæi videntur] Vict. *Quid Cyrenæi? Videntur mihi minime contempti philosophi.*

Nemo, inquam] Legit, *nemo unquam*. Lamb.

Ille credo, Nihil opinatur] Alii *opinaturum* legi volunt. Ego nihil muto. Vel facilius est intelligi verbum *inquit*, aut *respondet*, aut aliud simile. In definitione autem *visi* bene *effictum* pro *effectum* reponit Lambinus. Est enim expressum e Græco ἐναπομεμαγμένη, quod verbum in hac definitione posuerat Zeno. Faber.

Cap. 25. *Quod ne id facere posses*] Manutius delet *id*. Lambinus autem legit, *quod ne tu facere posses*. Petrus Faber statuit, *id* ornatus causa hic adjici. Revera *quod*, ut solet, παρέλκει. Vide J. Fr. Gronovium ad Livii XXVII. 7. Davis.

Remo] Supra, cap. 7.

Maneant illa omnia, lacerat ista causa; veraces suos sensus esse dicit. Igitur] Hic de doctorum hominum conjectura nihil dicam. Mihi error omnis videtur esse in uno verbo *lacerat*; isque natus e similitudine litteræ *i*. cum littera *l*. quas plerumque vix liceat internoscere, et litterarum B. et R. quarum item magna similitudo est in libris qui majoribus his, id est Latinis, litteris scripti etiam hoc tempore reperiuntur. Pro illis igitur L. et R. rescribam I. et B. et erit *jacebat ista causa*. Si, inquit, hoc teneo, ut maneant et fixa sint omnia illa, quæ heri diximus, videbas ipse jacere istam causam. Verbum *maneant* in ejusmodi re admodum frequens: quomodo apud Græcos Plato in Sophista dicit, μενέτω ὁμολογηθέν. Sic sæpe alias; nihil opus exemplis. Verbi item *jacere* usus in hac re frequentissimus. *Jacebat ista causa*, hic valet, afflicta ista erat et labefacta defensio. Sic infra dicet in hoc libro, *vides profecto jacere illud perspicuitatis patrocinium*. Faber. Legerim, *manent illa omnia*: Blaterat iste tamen, et *veraces suos esse sensus dicit*, vel, blatero iste tamen *veraces*, &c. Davis.

Veraces suos sensus esse dicit: igitur

semper auctorem habes] Rectum sic est. Est enim anthypophora, qualis infra erit, *cautum est, inquit.* Hic ergo quasi alius quis, qui id pro Lucullo dicat, inducitur. Respondet Cicero, atque addit illi socium Epicurum, ut auctore tam levi magis ei sententiæ fidem deroget. FABER.

Hoc est verum esse, confidere suis testibus, et importune insistere?] Sic lego cum interrogatione. Negat verum esse docere suis modo testibus. Paulus juriscons. in lege 24. de testibus, cum dicit, *testes eos, quos accusator de domo produxerit, interrogari non placuit*, ostendit quid hic licuerit antiquo jure. *Suos* autem *testes* eo magis appellare sensus, eosque improbare, hic videtur, quod eos Heraclitus apud Sextum sic et appellat, et vituperat. κακοὶ μάρτυρες ἀνθρώποισιν ὀφθαλμοὶ, &c. FABER.

Opinionis enim esse mendacium, non oculorum] Ita dicere solebant Epicurei. Vide Lucretium IV. 464. Ac, ne plures memorem, Sextum Empiricum advers. Mathem. lib. VII. § 203. lib. VIII. § 9. DAVIS.

Si quis deus] Viot. *Si, inquis, deus.*

Ego Catuli Cumanum *ex hoc loco video, Pompeianum non cerno*] Sic recte liber *Ursini*. Vulgo, *ego Catuli* Cumanum *ex hoc loco* regionem *video, Pompeianum non cerno:* unde Lipsius epist. Quæst. V. 17. emendabat, *ego Catuli* Cumanum *ex hoc loco* e regione *video:* quod hæc disputatio Baulis fuit habita, et e regione oppositum erat *Catuli* Cumanum. IDEM.

Mille et octingenta stadia] Plinius, VII. 21. *Tradidit Cicero, fuisse qui pervideret* CXXXV. M. *passuum. Huic et nomen M. Varro reddidit, Strabonem vocatum.* Itaque ex Plinio Cicero emendandus: scribendumque, *mille et octoginta,* quæ plane efficiunt, CXXXV. M. passuum, ut habent Pliniani libri omnes, tum manu exarati, tum etiam impressi. HARDUINUS, *Not. et Emend.* ad lib. VII. n. 75.

Quid? talpam non *desiderare lumen putas?*] Vulgo, *quid talpam! num desiderare lumen putas?* Nos vero tam interpunctionem, quam lectionem Ms. *Cantabrigiensis* exhibuimus: id quod loci mens omnino postulat. DAV.

Neque tam quererer] Victorius et Gruterus: *Neque tam* quereretur *cum deo, quod parum longe, quam quod falsum* videret. Ad talpam scilicet referunt: quod viderint eruditi.

Cap. 26. *Ubi igitur illud est semel?*] Pertinet hic locus ad illum capitis 25. *Eo rem dimittit Epicurus, si unus sensus semel in vita mentitus est,* &c. LAMB.

Sitis] Lamb. *sita sit.*

Aliud, quod] Idem. *aliud falsum, quod.*

M. Cotta] Opinor scribendum ut est in Mss. *C. Cotta.* Fuit enim Caius Aurelius Cotta bis consul cum P. Servilio Gemino anno post Urbem conditam DI. et DV. URSINUS.

Agnoscendo] Lamb. *ad noscendum.*

Lysippus eodem ære, eadem temperatione, eodem cœlo, aqua] Bene Lambinus hic nos admonet, ut quæramus, quid *aqua* nomen valeat. Unus tamen Plutarchi locus e libro de defectu oraculorum satis docere id potuit in disputatione de nobilitata sede illa Crateræ, quæ haberet, inquit ille, αἰτίας ὑλικὰς πῦρ, καὶ σίδηρον, καὶ μάλαξιν διὰ πυρὸς, καὶ δι' ὕδατος βαφήν. Idem paulo post illa verba etiam quid ignis, quid aqua hic afferat, exponit pluribus. Nec refert quod illud ferreum, hoc autem æneum est opus, de quo Cicero loquitur: ut enim ferri, sic æris βαφὴν sive βάψιν etiam Pollux esse docet in lib. VII. *Cœlum,* id est aer. FABER.

Cap. 27. *Denique* videantur] Lego, *denique* probentur; quod, nisi fallor, postulat sententia. DAVIS.

Res jam universas profundam] Credo rescribendum, *res jam universas* non *profundam;* addita particula negante. IDEM. Particula, quam addit Davisius, Ciceroni adversatur: qui ait, *profundam,* id est acervatim proponam, *res universas,* id est principia unde ortam dicunt rerum universitatem. ANON.

Siccorum] Id est, sobriorum, non vinolentorum. *Ah! scelesta ego, præter alios meum virum fui rata siccum,*

frugi, continentem, amantem uxoris maxime. Plautus in Asinaria. Id.

Illa visa putare, ut erant, et somnia] Siquidem visa sunt vel vera, vel falsa; fuit cum legendum censerem, *illa visa* falsa *putare, ut erant, et somnia.* Jam vero mihi venit in mentem conjectura, quæ longe videtur præferenda. Ea sic se habet: *experrectus enim potuit illa visa putare, ut erant,* esse *somnia.* Davis.

Dormienti vero æque ac vigilanti probantur] Si non plus probarentur illa visa dormienti quam vigilanti, etiam dormiens ea somnia fuisse censeret. Itaque rescribendum, *dormienti æque ac* vigilantis *probantur.* Subintellige *visa.* Idem.

Mater te appello] Ilionam sic alloqui fingitur umbra Polydori. Sed et hic et illa, liberi fuere Hecubes et Priami. Qui fit igitur, ut Polydorus Ilionam *matrem* dixerit? Lambinus ad Horatii lib. II. Sat. III. 60. hoc ideo putat evenisse, quod Hecuba, Iliona quoque fuit nominata. At id commentum nullis veterum testimoniis fulcitur. Verius igitur est, Ilionam a Polydoro *matrem* vocatam; quia Priamus et Hecuba *Ilionæ filiæ suæ dederunt eum educandum, quæ Polymnestori regi Thracum erat nupta, quem illa pro* filio *suo educavit.* Verba sunt *Hygini* Fab. 109. Eadem est Hieronymi Columnæ sententia ad Ennii Fragmenta. Fabulam sat notam fecit Euripides in Hecuba vers. 3. et seq. Vide et Virgilium Æn. III. 49. Ab iis tamen diversus abit is, quem modo dixi, mythologus. Idem.

Nonne illa credit] Forsan, *nonne* ita *credit filium locutum, ut experrecta etiam crederet?* Idem.

Cap. 28. *Apud Euripidem Herculem*] Herc. Fur. vers. 969. Idem.

Nonne ibidem incitato *furore*] Omnino legerim, *nonne ibidem* incitatus *furore,* scilicet *dicit.* Idem.

Incede, incede] Manutius et Lambinus, *incende, incende,* quod Fabro ac Davisio minus placet.

Cap. 29. *Sed quid* proficit?] Patet secundam requiri personam, si modo Tullius impersonale verbum non posuerit. Legas igitur, *sed quid proficis?* Nihilominus cum terminationem alteram retineant omnes libri; a Ciceronis manu fuisse crediderim, *sed quid* prosit? Davis.

Ego enim....sustinebo] Locus hic mihi parum sanus videtur; nec tamen quicquam juvant codices. Forsan reponendum; *ego enim, ut agitator callidus, priusquam ad finem* veniat, *equos* sustinebit....*sic me,* &c. Id.

Perspicis] Victorius, *percipis.* Quod placet Davisio: et recte quidem.

Inexplicabilia] Ἄπορα. Vide Diogenem Laertium VII. 82. et Gellium V. 10. IX. 15. XIV. 2. XX. 2.

Cap. 31.] *Alia visa esse quæ percipi possint, alia quæ non possint*] Quoniam hæc divisio Stoicorum est, ut in Zenone Diogenes testatur, et Galenus in lib. IX. de decretis Hippocratis et Platonis; Carneadi autem sunt incomprehensa omnia, id est, ἀκατάληπτα ἅπαντα, ut ait Aristocles apud Eusebium, et sæpius idem hoc libro a Cicerone dicitur, facile suspicetur quis hic aliquid esse mendi. Nihil est. Supra dixit Lucullus cum Academicos refelleret, illos etiam componere artem quandam, et *visorum,* inquit, *et vim et genera definiunt, in his quale sit id, quod percipi et comprehendi possit, totidem verbis quot Stoici.* Deinde verbum *esse* usitatum pro *dici* monuit etiam Priscianus in lib. XVIII. Et Donatus eodem pene verbo apud Terentium in illis, *Quem semper te* esse *dictitasti, nominari* interpretatur, idque moris antiquorum esse dicit. Faber.

E saxo sculptus] Respexit ad Homeri versum, Odyss. τ. 163.

Cap. 32. *Ne sit*] Paris. 5. *ne sic:* editio Victorii, *nec sic.* Lego *ne sie,* aut *vel sic illa certe,* &c. Davis.

Academicis placere, esse rerum ejusmodi dissimilitudines] Detrita syllaba magis probo, *similitudines.* Errorem peperit postrema syllaba vocis superioris, *ejusmodi,* temere geminata. Sermonem autem esse constat de hac

Academicorum sententia: non est in visis quicquam tale, quale non etiam falsum, nihil ab eo differens esse possit. Passer. Eam Passeratii conjecturam veterum librorum auctoritate munivit *Ursinus:* quibus etiam *Pet. Faber.* assensus est. Sed, ut verum fatear, illa correctio minime placet; nec placeret, licet omnes codices ei suffragarentur. Nam si rerum essent *dissimilitudines*, non erat cur aliæ probabiles viderentur, aliæ contra. Certe *dissimilitudo* mater est discriminis; *similitudo* vero talem pariat ἀπαραλλαξίαν, ut una res ab altera distingui non possit; adeoque hæc illa nec probabilior evadat, nec improbabilior. Dav.

Cap. 33. *Flavum.* Lamb. *ravum.*

Proximo ei continenti] Idem, *proximo et continenti.*

Polyænus, qui magnus mathematicus fuisse dicitur] Cicero Fin. lib. I. cap. 6. *Si a Polyæno familiari suo geometriam discere maluisset Epicurus, quam illam etiam ipsum dedocere.* Fuit autem Lampsacenus, Athenodori filius, ut discimus ex Laertii X. 24. Ejus etiam meminit Plutarchus advers. Colotem. Davis.

Sed illa sunt lumina *duo*] Quid huc faciant *lumina*, vel quam causam possint continere, non assequor. Paris. 5. *limina.* Forsan Cicero reliquit *vimina*, vel *vincula.* Idem.

Cap. 34. *Herculi*] Pro *Herculis.* Vide supra ad cap. 7. p. 584. *Deus aliqui*, &c.

Antipatrum reprehensum] A Carneade. Vide supra, cap. 9.

Pingue] Crassum, hebes. *Turneb.* in lib. de Fato, cap. 4.

Proinde quasi sapiens nullum aliud decretum habeat, et sine decretis vitam agere possit] Hic locus correctus est, et quidem varie. Nequicquam. Erat enim integer, et apertus: repetenda tantum negatio post copulam, *et.* Similis ellipsis supra cap. 9. in illis verbis, *sapientique satis sit.* Res est etiam confirmata exemplis pluribus. Ciceronis sunt hæc, leviter Antiochum reprehendentis, quod is diceret novos Academicos hoc unum decretum habere, cum haberent multa alia, sed ea probabilia modo, non etiam percepta. Faber.

Cap. 35. *Sed nihilo minor*] Veram lectionem, *sed qui minor est*, mihi præbuerunt *Cantab.* et *reg.* pro varia lectione. Turnebi quidem conjecturam, quam protulit Advers. lib. XVI. cap. 18. satis confutavit Lambinus; nec tamen melius quiddam commentus est ipse, dum reponit *sed* nihilo *minor*, esse *tale verum*, &c. Acutiorem multo se præstitit vir eruditissimus Joan. Clericus; cui placet, *sed* qui his *minor est.* Præponderant autem ii quos dixi codices. Cave vero putes *minorem* vocari Zenonem, habito ad ætatem respectu; quod voluerunt *Andr. Turnebus* et *Petrus Faber.* Acuminis tantum et eruditionis rationem Tullius habuit. Dav.

Sed nihilo minor; quod tale] Vict. Grut. *sed mihi minor est: tale.*

Incognito] Vict. Man. Grut. *in cognitione.*

Cap. 36. *Velut illud ante*] Non muto. *Ante* significat illa *ante* esse quæsita. Faber. Locus Lambino suspectus est: et certe mendo quodam laborat. Mecum legas, *verum illud ante;* nisi melius quid inveneris. Dav.

Priusquam Archimedes] Quærit an sapiens juraturus sit solem majorem esse quam terram, etiam *priusquam* rationes illas geometricas, quibus id efficitur, audiverit. Id autem vix insanus fecerit; potius quæsierit ex Archimede ipso non stultissimus aliquis, cum ex eo rationes eas audiverit, idem quod Diogenes ex illo, qui de rebus superis ac cælestibus dissereret, Ποσταῖος ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ; quod etiam quam sit incertum, doctissimus Philo Judæus, si quis id quærit, exequitur pluribus in libro qui est inscriptus περὶ ὀνείρων. Sed huc revertamur. *Postquam* igitur hic a Cicerone scriptum esse, non *priusquam*, ne sapiens ipse jam, opinor, jurare dubitet. Hoc enim ait, sapientem non juraturum solem multis partibus majorem esse quam terram, ne tum quidem cum Archimedes rationes eas,

quibus id efficitur, inspectante eo, descripserit. Hoc ita esse hæc verba quæ sequuntur, *quod si rationibus geometricis non est crediturus*, ita planum faciunt, ut stulte faciam, si coner pluribus ostendere. Addam hic tamen; idem error, æque gravis, atque æque apertus, nec magis a doctissimis hominibus notatus, quod sciam, hæsit in lib. II. de Legibus non longe ab initio, *ut vestri Attici*, inquit, *priusquam Theseus eos demigrare ex agris, et in astu se conferre jussit, et Sunii erant iidem, et Attici.* Id vel ex historia Thucydidis apparet esse plane falsum. Ex illis notis librariorum, et compendio scribendi, qui *p'* aut *p* varie acciperent, videtur hic esse error: ut Manutius notavit. FABER.

Qua potissimum sententia melius eliget? Disciplinam] Alii: *quam potissimum sententiam melius eliget, aut disciplinam?* Alii, *qua potissimum sententia melius eliget disciplinam? Etsi*, &c.

Cap. 37. *Princeps Thales unus e septem, cui sex reliquos consensisse primos ferunt*] Hunc locum haud satis caute Lambinus ex Paulo Manutio castigatum voluit. Ubi enim omnes legunt, *consensisse primos*, jubet legi, *concessisse primas:* Latine quidem; sed scribentis ad sensum minus apte. Nam qui totam sententiam paulo attentius legerit, non de concessione primarum partium; sed de concessione in eandem sententiam hic agi certissime deprehendet. Quod liquido constat ex his verbis: *at hoc Anaximandro populari, et sodali suo non persuasit:* quasi dicat: persuasit sex reliquis sapientibus ex aqua constare omnia: at hoc Anaximandro non persuasit: vel, quod eodem redit, sex alii primi sapientes Thaleti consenserunt, at Anaximander non consensit. Esto igitur, sex reliqui sapientes Thaleti, velut omnium sapientissimo, primas concesserint: at hoc modo non agitur, ut dixi; agitur, quid de rerum principio senserint, et an consenserint Thaleti; ac illi quidem consensisse dicuntur. Quid autem incommodi sit in vulgato contextu, plane non video. Nisi forte displicet dici sex reliquos primos, cum unus fuerit septem inter sapientes primus; non omnes primi esse potuerint. At dicuntur primi non inter se collati; sed cum cæteris, qui deinde consecuti sunt, sapientibus comparati. LESCALOPERIUS, *in I. de Nat. D. cap.* 10. Hujus loci emendatio debetur *Joanni Scalæ*, qui primus pro *consensisse primos* correxit *concessisse primas;* eamque correctionem *Callimachi* auctoritate confirmavit ex Diogene Laertio. URSIN. Præterquam quod hoc modo *primos* abundare patet; reliquos istos sapientes rebus physicis operam dedisse nulla est memoria. Dedi igitur, auctore Manutio, *concessisse primas.* DAVIS.

Sed ex ea particulas] Manutius, *sed eas particulas.* Lamb. *id est, particulas.* Davisius, *sed ex ea particulas similes inter se, et minutas eas, primum*, &c.

Unquam] Vict. *usquam quidquam.*

Mathematicorum initiis] Initia mathematicorum, quæ memorat Noster, puncta sunt et lineæ: ex his enim planæ solidæque nascuntur figuræ, quæ pro Pythagoræ mente solidorum corporum sunt parentes. DAVIS.

Cap. 38. *Existere*] Recte Walkerus noster legit *efficere.* IDEM.

Perniciosa] Fortasse additum fuerit ex ejus notatione, qui velut *συνώνυμον* adscripserat. FABER.

Myrmecides] De quo Plinius, lib. VII. cap. 21. et XXXVI. 5.

Cap. 39. *Hicetas*] Vulgo *Nicetas*, sed male. Nicolaus autem Copernicus in sua præfat. ad Paulum III. *Reperi*, inquit, *apud Ciceronem, primum Nicetam sensisse terram moveri .... Inde igitur occasionem nactus, cœpi et ego de terræ mobilitate cogitare.* ANONY.

Quasi] Lego, *quæ si.* PASSER.

Egone? Ne bis quidem] Ita Lambinus, cum vulgo sit, *Ego ne vobis quidem.* Petrus Faber minore mutatione legit, *Egone? Nobis quidem*, &c.

An, ut Xenocrates, mens *nullo cor-*

pore] Animus pro mente Xenocratis erat ἀριθμὸς ἑαυτὸν κινῶν. Sed ἀριθμὸν ἀντὶ τοῦ νοῦ posuit. Itaque nihil refert, num *numerus*, an *mens* dicatur animus. Vide Tuscul. I. 10. DAVIS.

Cap. 42. *Megarici, quorum*] Sic legas et distinguas velim, *quam non multum a Platone. Megaricorum fuit nobilis*, &c. IDEM.

Quæ ἀπαθῆ *nominantur*] Ἀπάθεια quod legisse testatur in libro scripto Lambinus, rectum est. Atque in hoc conveniebat Pyrrhoni cum Stoicis, qui ut illud usurparint satis docet unus Gellius in lib. XII. cap. 10. Hoc tamen inter illos differebat, quod Pyrrho hunc bonorum finem esse volebat, Stoici non item. De quo Pyrrhonis fine pluribus disserunt in Pyrrhone Diogenes et Sextus. FABER.

Nunc proxime] Ursini codices, quos probat Faber, exhibent *huc proxime*. Si libri tales usquam extiterunt, eos equidem non sequerer; nam *nunc* dicit, ne Peripatetici temporis illius, quo vivebat Tullius, a magistro suo descivisse viderentur. DAVIS.

Carneades] Vide lib. II. de Finib. cap. 11. 12. 13. et lib. V. c. 7. IDEM.

Cap. 43. *Stoicus*] Vict. Grut. *Stoicis*.

Hic igitur neutri assentiens: si nunquam, uter est prudentior?] Sensum non video, neque videt quisquam, ut opinor, tam obscuro in loco: obscuritatis autem causa, depravatio est; quam judicio meo tollet, qui ita leget: *Hic igitur neutri assentietis: sin utrique, uter est prudentior?* Quorum verborum non absurda sententia est: dicit enim hoc: in hac controversia neutri assentietis, id est, neque Stoicum neque Academicum dicetis esse sapientem: sin utrumque: uter est prudentior? *Assentietis* autem refero ad illud supra positum, *ad vos nunc refero. Utrique* videtur esse necessarium propter insequens verbum *uter*. Sed hæc qui et acumine et judicio præstant, dijudicabunt. P. MANUT. Restituo, *si nunquam, uter* sit sapiens, apparebit; nonne utroque *est prudentior?* LAMB. Sic scriptum hic fuisse non dubitem. *Hic igitur neutri assentiens num, quam uter, est prudentior? Uter* erit simplex pro composito *uterque*, aut *utervis*, non aliter ac citat ex edicto prætoris Verris in lib. I. Accusationis, *inter aratorem et decumanum si uter velit, edicit se recuperatores daturum*. Et post paulo, *si uter volet, recuperatores dabo*. Et paulo etiam post, *sed utrum ita scripsit: si uter volet, an si decumanus volet?* FABER. Legendum suspicor, *hic igitur neutri assentiens, si usquam*, utroque *est prudentior*. Non magna quidem sit mutatio, sensusque commodus videtur. DAVIS.

Cap. 43. *Non posse illa probanda esse*] Manutius legit, *probabilia*. Lambinus delet *posse*. Davisius Lambinum sequitur.

Theophrasto] Vide Tusc. v. 9. et de Finibus v. 5.

Multa diserte] Lamb. *multa contra diserte*.

Cap. 44. *Nec si patria deleatur, non doleat*] Grammaticorum decretum est, duas negationes affirmare in lingua Latina. Hoc semper verum non esse docuit etiam Nonius ex Varrone; et Budæus noster in suis commentariis linguæ Græcæ exemplis e Cicerone pluribus, quibus addi possunt infinita alia; quare nihil hic muto. FABER.

Cap. 45. *Sed ille noster*] Lego, *vester*. Emendationem nostram plane flagitat auctoris mens: Antiochus enim intelligitur, quem Lucullus sequebatur. DAVIS.

Ut Calliphontem sequar] Merito, opinor, visa Lambino est inanis particula *ut* ante *Calliphontem*. FABER. Lego, *aut Calliphontem*. Itaque unius litterulæ additione redintegravi locum satis luxatum, fide Palatini tertii, sententia tam clara, ut vel ipsius unius testimonio stari posse videretur. Lambinus, qui hic eam particulam delere cupiebat ceu supervacuam, non videtur assecutus mentem auctoris. GRUT. Abundare, *ut*, qui totum ambitum verborum attendet, statim intelliget: et, ut dicam quod

sentio, suspicor ipsum ita scripsisse Ciceronem, rem potius, quam verba spectantem. Idem enim alibi quoque vitium deprehendi, ut lib. III. de Finib. *Ne illud quidem est consentaneum, ut, si cum tria genera bonorum sint, quæ sententia est Peripateticorum, eo beatior quisque sit, quo sit corporis aut externis bonis plenior*, ut *hoc idem approbandum sit nobis*. Et lib. I. ep. 1. ad Quintum fratrem, *ut te ante compares;* cum jam dixerit *ut si hoc plane*, &c. P. Manut.

Ipsum] Lamb. *ipsius*.

Veritas] Man. Lamb. Grut. *severitas*.

Cap. 46. *Audi contra illos*] Epicureos. Vide Tusc. V. 26. et 41.

Qui putet id cuique verum esse quod cuique videatur] Vide Menagium ad Laertii IX. 51. et Fabricium ad Sextum Empiricum Pyrrhon. Hypoty. lib. I. cap. 32. §. 216. Davis.

Permotiones intimas] Dolorem, et voluptatem. Vide supra cap. 7.

Noster Antiochus] Ut legatur, *vester*, res ipsa postulat. Davis.

Cap. 47. *Aliter Diodoto*] Sane nulli non notus est Diodotus Stoicus, Ciceroni perfamiliaris; quod in causa, credo, fuit cur illum huc intulerint Lambinus et Gruterus. Sed Diodorus is intelligendus est, qui Κρόνος appellabatur; ut ex sequentibus patebit. Quin etiam Philonem, Antiochi magistrum non vult Cicero, sed Diodori Croni discipulum, contra cujus περὶ σημασιῶν libros scripsit Chrysippus: ut testatur Laertius VII. 191. De Philone illo dialectico plura Joan. Jonsius de Scriptor. Hist. Philos. lib. II. cap. 1. Inter eundem hunc Diodorum et Chrysippum magna fuit etiam περὶ ἀδυνάτων contentio; quod memoriæ tradidit Cicero de Fato c. 7. In aliis etiam nonnullis dissentiebant, quod patet ex A. Gellii Noct. Attic. lib. XI. cap. 12. Idem.

Manum admoverat] Lamb. *manum pugno*.

Nec tamen nimis] Man. Lamb. *hæc tamen minus*.

Jurare ex sui animi sententia... videri pronuntiarent] De iis, quas *Cicero* memorat, formulis vide Cujacium Observ. lib. I. cap. 21. et lib. III. cap. 26. ac Brissonium Form. lib. V. et VIII. Idem.

Cap. 48. *Per ἐποχὴν illam omnium rerum comprobans*] Pruriginosum quiddam, ut ita dicam, et scabiosum videtur inesse in peroratione Luculli, cum causa Academiæ in utramque partem disputata, sententia tandem dicitur. Cum autem velle videatur dicere retinendam esse ἀκαταληψίαν, præsertim cum percipi et comprehendi nihil possit: tollendam tamen ἐποχὴν, cum de omni re assensio sustineri non possit: particulam *per*, veluti scabiem quandam exterens, et in ejus locum, veluti floridam autem, particulam *nec* inducens, lego, nec ἐποχὴν *illam omnium rerum comprobans*. Quo quidem in loco Carneadem sequitur, qui assensionem relinquebat sublata comprehensione: sapientem enim assentiri et opinari, nihil tamen percipere dicebat. Turneb. *Advers*. XVI. 18. Nihil esse mutandum arbitror; sed vocem *per* sic intelligendam, ut, *ad Attic*. I. 15. *Per mihi, per, inquam, mihi gratum feceris*. Et Gell. XVIII. 4. *Per, inquit, magister optime, exoptatus venis*. Quibus, aliisque pluribus locis, *per* significat *valde, magnopere*. Itaque *perexoptatus*, valde exoptatus; *percomprobans*, magnopere comprobans. Neque *per* hic præpositio est, sed adverbium ejusdem formæ ac *pol*. Nam quemadmodum *pol* syllaba est residua ex integra pharsi: *juro per ædem Pollucis*, cujus formulæ vim totam hæc syllaba continet: sic in adverbio *per* inest vis tota vocum duarum: *magno opere*, ex quibus concisis remansit hæc una duntaxat syllaba. Videat, si quis vult, G. J. Vossii *Etymologicon*, V. *Nuper*, et V. *Cur*. Franc. Odinus.

Tum ille ridens, tollendum] Ut Dogmaticorum est *ponere* decreta; sic *tollere*, Academicorum. Quocirca, cum hoc tantum dixisset Hortensius, *tollendum*, hoc est, censeo tollen-

dum esse, vel tolli oportere; visus est Ciceroni in Academicorum transisse partes. *Teneo te:* jam noster es: *nam ista Academiæ est propria sententia.* Poterat aliud velle Hortensius, nam *tollere* est absistere; et qui censet *tollendum* esse, censet de re proposita dictum esse satis. Atque haud scio an vox illa *ridens* indicet, in ista *tollendum* latere quidpiam joci et ambiguitatis. Anonymus. Ex sequentibus manifeste patet, in illo verbo, *tollendum*, quærendum esse præcipuum quoddam Academicorum effatum. A quo tamen mirum quantum aberrant omnes, quos hactenus vidi, Ciceronis interpretes. Horum autem error, ni fallor, procedit ab ignoratione singularis, et parum usitatæ, significationis verbi, *tollo;* quam tamen patefecit talium rerum non incuriosus grammaticus, Nonius Marcellus. *Tollere*, inquit, *est et differre*. Quod probat eo Plauti versu, *Pœnul. act. II. sc. I. v.* 52.

Res serias
Omnes extollo ex hoc die in alium diem.

Alia idem affert exempla in *extollere;* et *protollere*. Itaque, cum ridens Hortensius ea voce, *tollendum*, usus est, in ambigua illius significatione ludendo, dicere voluit, de hac disputatione amplius esse deliberandum. Quæ vere, ut ait Cicero, *Academiæ propria fuit sententia*. Illius enim sectæ disciplina, inquirendum esse potius quam decernendum docebat, teste Phavorino, apud A. Gellium, XX. 1. Sic igitur Hortensius, verbum usurpans forsan comicum, et vulgare, seriam nimis disputationem in risum convertit. Buher.

DE FINIBUS
BONORUM ET MALORUM,
AD M. BRUTUM.
LIBER PRIMUS.

Argumentum. *Vide Mureti Var. Lect. lib.* XVII. *cap.* 1. *cui titulus:* Rectene inscripti libri M. Tullii; *De Finibus bonorum et malorum.*

Cap. 1. *Mandaremus*] Ego et tu. Nam Brutus quoque in hanc exercitationem studiose incumbebat. Liber ejus de virtute cum alibi, tum hoc ipso in procemio a Cicerone laudatur. Veteres grammatici citant librum ejusdem de officio, sive περὶ καθήκοντος, ut eum vocat Seneca, lib. XIV. epistolarum. Cic. lib. II. Acad. cap. 3. *Brutus quidem*, inquit, *noster, excellens omni genere laudis, sic philosophiam latinis litteris persequitur, nihil ut iisdem de rebus Græcæ desideres.* Muret.

Ab Hortensio] Hortensium abhorruisse a philosophia, vel hinc colligi potest. Neque sane mirum est, piscinario illi philosophiam parum probatam fuisse. Lege, quæ de eo narrat Macrobius lib. III. Saturnaliorum: non quæres, cur ejusmodi homini philosophia sorduerit. Idem.

Missum] Ut eo respexisse videatur Cicero, quid dici solet, telum emissum revocari non posse. Morelius. Lego, *admissum*, id est, incitatum. Metaphora ab equis: in qua persistit, etiam cum addit, *coerceri* ac reprimi. Mur.

Justioribus utamur illis] Justiores in nos sint illi. IDEM.

Cap. 3. *Male, credo, mererer*] Vel hæc εἰρωνικῶς sunt intelligenda, vel legendum *non male, credo, mererer*, prout exhibent Mss. Scalig. et Eliens. sec. DAVIS.

Sed id neque feci adhuc] Verterat tamen adolescens aliquot Platonis dialogos. MURET.

Utinam esset ille Persius] Vide lib. de Orat. II. cap. 6.

Quem quidem locum] Ursinus, *quem quidem jocum*. Davisius, *quem quidem lusit*. Vide lib. de Orat. II. 45.

Ponti, Tritanni] De T. Pontio centurione, vide Cic. de Senectute, cap. 10. De Tritanno, sive Tritannio, Plinius VII. 19.

Lictores] Quæ proxime antecedunt verba ex persona Scævolæ sunt: hæc autem, *Lictores*, &c. ab ipso Lucilio pronuntiantur; cum dicat, post Scævolæ verba lictores ejusdem cohortemque prætoriam, quo magis Græca salutatione Albucius eluderetur, exclamasse simul omnes, prætoris exemplo, χαῖρε. Erat autem hoc tempore adolescens Albucius. De quo in Bruto cap. 35. et in oratione de Provinciis cons. cap. 7. Scævola hic est Q. Mucius augur, gener C. Lælii, socer L. Crassi oratoris, accusatus postea repetundarum ab hoc Albucio, ut legitur in Bruto, cap. 26. Quam accusationem spectavit Lucilius poeta in illo versu,

Hinc hostis Muci Albucius, hinc inimicus.
MANUT.

Cap. 4. *Partus ancillæ sitne in fructu habendus*] Ulpianus Dig. lib. VII. Tit. I. leg. 68. *Vetus fuit quæstio,* an partus ad fructuarium pertineret? *Sed Bruti sententia obtinuit, fructuarium in eo locum non habere.* Vide sis et Justinanum Inst. lib. II. Tit. I. leg. 37. DAVIS.

Cap. 5. *L. Torquato*] Filio L. Manlii Torquati qui consul fuit cum L. Aurelio Cotta, altero anno ante Ciceronem consulem. Hic bis accusavit P. Syllam; semel ambitus, et condemnavit: deinde majestatis, quod Catilinariæ conjurationis particeps fuisset; qua in causa Syllam Cicero defendit. MURET.

Triarius] In quo errat Seb. Corradus (in Bruto, cap. 76.) qui, quod plena senectutis fuisse dicitur illius oratio, senem ex eo significari putat: ideoque non esse eundem, qui hic adolescens vocetur. Cum revera hoc Cicero, tanquam admirabile, proponat, fuisse Triarii in illa ætate, nempe in adolescentia, plenam senectutis, id est, senilis gravitatis orationem. IDEM.

In Cumanum] Acad. I. 1.

Cap. 7. *In tertia vero parte*, &c.] Hoc totum, quod reperitur in libris vulgatis, ab hoc loco *in tertia vero parte*, &c. usque ad *confirmat*, &c. non reperi in libris nostris manuscriptis; quæ credibile est a docto aliquo esse assuta. Nam cum certum sit, hic aliquid deesse in libris manuscriptis, neque difficile admodum sit, quid desit, conjicere; hoc totum ille, quisquis fuit, non inepte supplevit: nisi forte in alio meliore exemplari reperitur. Ego in nostris libris manuscriptis non reperi, neque ullam reperi lacunam. LAMB. Vetus exemplar quo usi sumus, ea verba non habebat: vera tamen esse videntur. Sed adhuc quædam desiderari, verba quæ sequuntur satis indicant: ea enim apte cum illis non cohærent. MORELIUS.

Eum Torquatum] Q. Claudius Quadrigarius, cujus verba, quibus hanc historiam retulit in litteras, leguntur apud Gellium cap. 13. lib. IX. putavit hoc contigisse anno ab U. C. CCCLXXXVI. M. Furio Camillo quintum dictatore: ut testis est Livius lib. VI. extremo. Ipse autem lib. VII. Livius decem haud minus post annos. Idem tamen narrat id factum C. Sulpicio et C. Licinio Calvo coss. dictatore T. Quintio Penno: id est, sex annis posterius. Considera per otium. MURET.

L. Torquatus] Lego *T. Torquatus* ex lapidibus Capitolinis, e Valerio

lib. V. cap. 8. e libro LIV. epit. Livii. Idem. Vide et Val. Max. lib. VI. cap. 3.

Cap. 9. *Quid aut ad naturam, aut contra sit*] Rectius (ut puto) legendum est, *quid aut ad naturam* aptum, *aut contra sit*: nullis enim exemplis adductis probant interpretes voces, *ad naturam*, significare *secundum naturam*, licet eas ita interpretentur. Pearc. Præclarum enim ab eo munus accepi, *Conjecturales in Ciceronis philosophica emendationes*, hactenus ineditas. Pro quibus magnas ipsi gratias ago, litterati habebunt immortales: ideo in illis multa sunt animadversa solerter, et nitide explicata, quibus ægre caruit hacteaus Cicero, et hæc abundabit editio, doctissimi Pearcii opibus locupletata. Agnoscent sane lectores non frustra esse, quæ de illius eruditione ac judicio in præfatione posui. Olivet.

Cap. 11. *Conclusum est*] Chrysippi rogatiunculam, quæ contra Epicuri sententiam facere videbatur, artificiose rejicit in Cyrenaicos, qui solum, ut dixit, motum illum jucundum et suavem nomine voluptatis intelligebant. Morelius.

Cap. 12. *Huc possit, quod melius sit, accedere?*] Man. Lamb. *huic . . . accidere*.

Præterea]. Vict. Lamb. *præterita*.

Cap. 13. *Naturales*] Epicurus: *Si ad naturam vives, nunquam eris pauper: si ad opinionem, nunquam dives. Exiguum natura desiderat: opinio immensum. Naturalia desideria finita sunt: ex falsa opinione nascentia ubi desinant, non habent: nullus enim terminus falso est.* Seneca lib. II. ep. Muret.

Cap. 16. *Natura depravata desideret*] Illud *depravata*, scriptum erat in margine, quo significaretur depravata esse, quæ statim sequuntur. Inde per errorem translatum est in contextum. Lambinus, *non depravata*, sed ex conjectura. Muret.

Cujus in mente consedit] Man. *cujus in mente impietas* (Lamb. *in justitia*) *consedit*.

Sic cujus in mente consedit, &c.] Locus est a librariis pessime habitus, eumque conjecturis suis tentarunt eruditi. Fred. Gronovius reposuit, *sic cum vis in mente consedit, hoc ipso quod adest, turbulenta non potest* non *fieri*. Ubi *vim* pro *injustitia* positam censet. *Tullius* tamen ambiguæ saltem significatonis vocem hoc in loco vix, ut opinor, adhiberet. Gruterus urit secatque, totum locum sic constituens, *quemadmodum temeritas et libido et ignavia, si cujus in mente consedit, hoc ipso quod adest, turbulenta est; si vero molita quippiam*, &c. Denique Cl. Clericus Art. Crit. P. III. § 1. c. 16. 10. vitii nihil in his verbis inesse censet. Mihi vero fidem non facit vir doctissimus, licet prioris membri sensum videatur assecutus. Nunc varias lectiones videamus. Eliens. sec. dat. *sic cujus in mente consedit* justitia, *hoc ipso*, &c. Idem codex, Paris. unus, et alter P. Manutii repræsentant, *etsi vero* impietas *molita quippiam est*. Itaque, non spreta Mss. ope, legerim, *sic* si *cujus in mente consedit* justitia, *hoc ipso quod adest, turbulenta non potest* ea *fieri: si vero* impietas *molita quippiam est, quamvis occulte fecerit, nunquam tamen confidet id fore semper occultum*. Davis.

Non potest fieri:] Man. *non potest non esse*, Lamb. *non potest non fieri*,

Infanti] Lego, *neque homini infami, aut impotenti*. Idem.

Cap. 18. *Monstrosi*] Lambinus, conjecturam suam secutus, edidit *morosi*. Nulla vero mutandi fuit causa; nam receptam lectionem servat etiam *Nonius* in *minutum;* nisi quod ille *monstruosi*, prout etiam nonnulli Mss. Nec refert utrum *monstrosi* legas, an *monstruosi*. Davis.

Cap. 19. *Maximasque* ab eo, *et gravissimas*] Duo verba, *ab eo*, in veteri codice non sunt, nec in Græco Epicuri. Ideo expungenda, cum ad sententiam nihil faciant. Morel.

Verborum vis] Nam verba non hominum instituto, sed natura constare dicebat. Muret. Vim verborum et

naturam orationis ex naturæ cognitione percipi censuit. Ideo crebro dicebat diligenter oportere exprimi, quæ res subjecta esset vocibus, ut extaret quo disputationem omnem referre liceret. Imo docebat voces ipsas hominum instituto positas non fuisse, sed naturam ipsam rerum id docuisse: nimirum eam suis permotionibus homines incitasse, ut peculiarem et rebus accommodatum spiritum efflarent. MOREL. Patet igitur superiora verba, *ea scientia*, intelligenda esse de physica; ut Guieto placuit: non de logica, ut affirmat Davisius. OLIVET.

Cap. 20. *Quod quia nullo*] Aliqui satis otiose, ut videtur, primam vocem onerant apice gravi, perinde ac si conjunctio sit. Atqui pronomen est quarti casus. Ellipsis detraxit præpositionem *propter*. Ut in his Terentii, Andr. IV. 3. 23. *Si quid est, quod mea opera opus sit*. Eun. III. 5. 10. *Quid est quod sic gestis?* Heaut. IV. 7. 6. *Nihil est, illic quod moremur diutius*. Phorm. II. 3. 14. *Adolescenti nihil est quod succenseam* . . . . Hoc itaque loco *quod* est, *propter quod*, *quamobrem*, ut monet Horat. Tursellin. *de particul.* Aliter explicat Obert. Gifanius, Collectan. in Lucr. V. *Quod nunc;* et putat *quod* esse pro *autem*. ANON.

Si ludicras] Victorius: *Si ludicra exercendi aut venandi, consuetudine adamare solemus*. Quæ lectio ut a nobis reduceretur, fecit ipse loci sensus. Nam fieri contendit noster, ut homines loca, fana, cæteraque, quorum meminit, *consuetudine* soleant adamare. DAVIS.

DE FINIBUS
BONORUM ET MALORUM,
LIBER SECUNDUS.

Cap. 1. *Scholam*] Disputationes, quibus, perpetua oratione, una aliqua de re philosophi in cœtu hominum explicabant, scholæ dicebantur. Cicer. I. Tuscul. *Dierum quinque scholas, ut Græci appellant, in totidem libros contuli*. Idem lib. III. *Separatim autem certe scholæ sunt de exilio*, &c. MURET.

Cap. 4. *De Pelasgis*] Id est, de rusticis. MURET. Vide Victorii Var. Lect. I. 10. Turnebi Advers. IV. 8.

Non pereruditos] Erasmus in Adagio, *More Romano*, legit hic, *non semper eruditos:* inepte, ut solet. MURET.

Voluptatem animi nimiam, lætitiam] Interpunge; *voluptatem, animi nimiam lætitiam*. IDEM.

Tanta lætitia] Vide Tuscul. IV.

Nunc demum] In orat. pro Cælio, c. 16. *Sed dubito*, inquit, *quem patrem potissimum sumam. Cæcilianumne aliquem vehementem atque durum?*

Quanquam hæc inter nos] Terent. Heaut. Act. I. Sc. 1.

Cap. 6. *Omnes Danai*] Versus est anapæsticus, qui speciem habet proverbii, ad significandum universum genus: ut dicimus, *cælo, terra, marique*, cum ubique designare volumus. MOREL.

Anapæsto] Nos anapæstum intelligimus totam eam quam appellant

Græci ἀναπαιστικὸν ζάσιν, quæ est μέτρων συναγωγὴ ἤτοι δύο ἢ πλειόνων, ἢ ὁμοίων ἢ ἀνομοίων, quæ etiam alio nomine σύστημα appellatur. Ita anapæsti, vel ut alii legunt, anapæstici nomine, multos inter se conjunctos versus intelligimus. Sic nuncupat Cicero Tuscul 3. versus quosdam, qui in Iphigenia Aulidensi expositi sunt, anapæstum. *Nec siletur*, inquit, *illud potentissimi regis anapæstum, qui laudat*, &c. Idem.

Cap. 7. *Id est, quasi maxime ratas*] Has voces alienas esse suspicatur Lambinus. Ego vero (quæ Gruteri quoque, et Guieti mens est) nullus dubito quin hoc totum, *id est, quasi maxime ratas: quia gravissimæ sunt ad beate vivendum breviter enuntiatæ sententiæ*, ab homine stolido barbaroque sit profectum. Nam præterquam quod Tullius jam scripserat *in quo* (libro) *breviter comprehensis gravissimis sententiis quasi oracula edidisse sapientiæ dicitur*, adeoque nihil *aliud* sit quam futilis et inepta ταυτολογία; vix est ut ab ejus manu fuerit inelegans illud *ad beate vivendum breviter enuntiatæ*. Davis.

Si ea quæ sunt luxuriosis] Græca se sic habent apud Diogenem Laertium X. 142. Εἰ τὰ ποιητικὰ τῶν περὶ τοὺς ἀσώτους ἡδονῶν, &c. In editione Westeniana locum corrupit M. Meibomius, ut errasse Ciceronem longa verborum ambage frustra contenderet. Idem.

Nihil hæreremus] At Pall. tres et Balliol. *nihil haberemus*. Exciderunt autem propter ὁμοιοτέλευτον voces *quod reprehenderemus*, ut aperte docent Græca, οὐκ ἄν ποτε εἴχομεν ὅ, τι μεμψαίμεθα αὐτοῖς. Hoc etiam vir doctus ad editionis Stephanicæ marginem notavit, ac Fr. Guietus et M. Meibomius animadverterunt. Lambinus, Aldus nepos, aliique plures edidere *nihil haberem quod reprehenderem*. Sed Epicurus hæc *pluraliter* extulit, eodemque numero Tullium usum fuisse docet illud *haberemus*, quod est in Mss. Itaque lego, *nihil haberemus, quod reprehenderemus*. Idem.

Similiter et] Aut *similiter ut* legendum videtur, aut veteres *similiter* ita cum *et* junxisse, ut cum *ac, atque*, ut putandum est, quod interdum suspicor, utpote cum sæpe animadverterim *æque et* scriptum in antiquis libris, ubi est in recentioribus *æque ut*. P. Manut.

Si nec cupidi sint, nec deos metuant, nec mortem, nec dolorem] Totus hic locus præpostero verborum ordine ita perturbatus est, ut elicere sententiam nullo modo liceat; et ne lectorem multis morer, verba recitabo, non ut leguntur in omnibus libris, sed ut videtur sententia postulare: "Si ita dicit, non esse reprehendendos luxuriosos, si nec cupidi sint, nec deos metuant, nec mortem, nec dolorem; dicit absurde; similiter et si dicat non reprehendendos parricidas, si sapientes sint. Etenim quid attinet luxuriosis ullam exceptionem dare? aut fingere aliquos, qui, cum luxuriose viverent, cætera caverent, a summo philosopho non reprehenderentur eo nomine duntaxat? Sed tamen nonne, &c." Lego autem, nec dubitanter quin recte, *etenim quid attinet*, ubi est in omnibus libris *et tamen quid attinet*. Davis.

Ut edant de patella] Patellis sacrificio vasa accommoda significari indicat Cælius; unde illud Ovidii in Fastis: *Fert missos Vestæ pura patella cibos*. Inde appellari *patellarios* deos, qui patellis placarentur. Ex quo illud Plauti, *Dii me omnes magni, minutique, et patellarii*. Eos ergo profert luxuriosos contra Epicurum Cicero, qui neque mortem metuant, cum parati sint paulo post expleta voluptate de vita decedere: nec deos ita revereantur, quo minus e sacrificiis securi abripiant quod libeat. Morel.

Ex Hymnide] Cæcilii fabula, quam plus vice simplici laudat Nonius. Hunc versum imitatus est Lucilius Satyr. lib. XXVI.

Qui sex menses vitam ducunt, Orco spondent septimum.

Extat apud eundem Nonium in *duci* et in *annos*. Davis.

Narthecio] Narthecium appellat thecam medicamentorum: Martialis:

Artis ebur medicæ narthecia cernis: habebis
Munera, quæ cuperet Pactius esse sua.

Est autem νάρθηξ ferula, cujus semen ait Plinius morbis quibusdam succurrere, et ejus lignum servandis medicamentis accommodatum est. Morelius.

Cap. 8. *Viderent*] Lege *viderint*. Hoc de luxuriosis hominibus et abdomini vinoque natis dicitur. Id quidem Sybaritis fuit solenne. Vide Athenæum, lib. VI. pag. 273. et lib. XII. pag. 520. Iterum de Colophoniis pag. 526. Inter Romanos id primus usurpasse videtur M. Cato. Vide Senec. ep. 122. Davis.

Quibus vinum defusum e pleno sit; hir, siphon, ut ait Lucilius, cui nihil demsit] Græci τῷ σίφωνι ad gustandum in caupona vinum utebantur. Inde σιφωνίζειν est furtim vinum pitissare. Vinum *cui siphon aliquid dempserit*, si ita diu *deintegratum* maneat, ut loquebantur veteres, acescit. Propterea Lucilius, ex cujus verbis hæc scribit Cicero, proponit vinum integerrimum, et nulla parte periclitans acescere; id quod siphone depletum non est, neque vola manus pitissatum. Nam *hir* est vola manus, et qui vinum furtim deplent ut gustent, solent id vola manus haurire. Hæc sane est vera sententia Lucilii, quæ elegantissima est; quam Ciceronis præposteri æmuli cur mutarent, causa non erat. Si enim Ciceroni putabant injuriam fieri, quod prisco verbo *hir* uteretur; saltem hoc cogitare debebant, ipsum Ciceronem verbis Lucilii, non suis, loqui. Quod sequitur apud eundem Ciceronem, *vis et sacculos abstulerit* (nam ita habebant antiquæ editiones) lego *vires sacculus abstulerit*. Firmissima vina olim sacculis vinariis castrari solita notissimum est ex Plinio. Itaque delicatissimum vinum esse proponit Lucilius, tum quod de pleno defusum sit (nam quod deminuto et σεσιφωνισμένῳ haustum est, id acescit) tum quod sacco castratum contumaciam illam, ut ita loquar post Plinium, exuit. Jos. Scaliger. in *Append. Conject. ad Varronem.*

Jus et sacculus abstulerit] Ob. Gifanius Syll. Burmann. Tom. II. pag. 308. reponit *cui nihildum nix et sacculus abstulerit*. Lævinus autem Torrentius ad Horatii lib. I. Od. IX. 6. legit *cui nihil dempserit* nix *et sacculus abstulerit*. Ei præivere P. Man. et D. Lamb. Davis.

Ei non sapiat palatum] Sic recte Paris. pr. sec. Vulgo *palatus*, quam vocem lingua Latina non agnoscit. Davis.

Lælius præclare et recte sophos, illudque vere] Versum putant Lucilii, qui ne pedibus claudis incederet, Ursinus rescribit *illaque vere*, Lambinus autem *illeque vere*. Sed renituntur Mss. quemque dedimus ordinem præstant. Revera, quod Fr. Guietus et Th. Bentleius censuere, verba sunt Tullii, quibus Lælii dictum, quod expresserat Lucilius comprobavit. Id.

Quæri'] Pro *quæris*, ut constet metrum. Versus enim Lucilii erat hujusmodi:

Quid bene? cocto,
Condito, sermone bono, si quæri', libenter.

Manut.

Cap. 9. *Ut loqui deceat frugaliter*] Neque vacare mendo locum hunc existimo; (quid enim sibi vult *loqui frugaliter?* cum hic frugalis cœna potius quam sermo laudetur) neque mihi tamen, cupienti emendare, probabile quidquam succurrit. In quo quia meliore forsitan eventu aliorum exercebitur industria, notandum putavi. Idem.

Esset. Vitiosum] Grut. *esset. Qui hæc didicerunt, quæ ille contemnit, sic solent. Vitiosum.*

Cap. 10. *Argumento, esse*] Sic Gruterus: alii aliter. *Argumento esse voluptatem ullam.* Victor. *Est argumento, voluptatem illam esse nullam,* Lamb. Locus est corruptus. Forsitan haud male rescripseris, *hoc viro* scilicet Epicuro) *non videri, maximo argumento* est, *esse voluptatem illam, qua sublata,* &c. Nam si dolori sola

privatio doloris contraria videretur; non esse posset voluptas; qua sublata, bonum tolleretur. De voluptate quam dicit, vide supra cap. 3. Emendatio Lambini nullam reddit Ciceronis argumentationem. DAVIS.

Quanquam hæc sunt contraria] P. Faber ad Acad. I. 2. legendum statuit: *quam hæc sunt contraria!*

Quam nemo unquam voluptatem appellat] In vetusto codice ita scriptum est, *quam nemo unquam voluptatem* appellavit, *appellat*. MOREL.

M. Curium] M. Curius Dentatus vir insignis frugalitatis fuit et modestiæ; qui aliquando legatis Samnitum auri pondus offerentibus, cum ipse rapam in foro torreret, *malo*, inquit, *hanc in fictilibus meis edere, et aurum habentibus imperare*. IDEM.

Nec ullum *habet ictum, quò* (accentu perperam notatur) *pellat animum*] Melius alii libri habent, *nec* illum *habet ictum, quo pellat*, &c. IDEM.

Cap. 11. *Eligente ea*] In veteri codice est, *eligentem* ea quæ essent .... *rejicientemque* ..... Qua forma loquendi usus est quoque Cic. lib. IV. *Vivere adhibentem scientiam earum rerum, quæ natura evenirent*. Et paulo post eodem libro, *officia omnia media aut pleraque* servantem *vivere, et iis quæ secundum naturam sint* facientem *vivere*. Quod a Græcis loquendi genus sumpsit. Sic enim dicunt, πάντα τὰ καθήκοντα ἐπιτελοῦντα ζῆν. MOREL.

Cap. 12. *Ut voluptatem illam* non *Aristippi*] Sic Eliens. sec. et optime quidem. Vugo deest particula negans; quo modo fit ut exsurgat sensus a mente Ciceronis alienus. DAVIS.

Illud est judicatum, quod judicat sensus] Sensu quidem nullo; prout Lambinus etiam vidit. Itaque doctissimus ille vir edidit *illud est judicatum. Quid* judicat *sensus?* Non male; sed melius esset *judicant*. Cum tamen Eliens. pr. haberet *quod judicat sensibus*, statim legendum succurrebat, *quid judicatur sensibus?* Eamque conjecturam, quoniam certa videbatur, recepi. IDEM.

Nec ulla *de summo bono*] Vulgo *illa*. Sed recta prorsus est hæc Palatinorum pr. tert. et Med. scriptura, quæ Grutero fere allubescebat. ID.

Cap. 13. *Quæ prima natura approbavisset, ea cum voluptate conjungerent. Quæ cum*] Lamb. *qua prima, natura approbasset. Quæ cum.*

Cap. 14. *Nisi memoria forte defecerit*] Vict. Man. Lamb. *ubi si memoria forte defecerit, tuum est ut suggeras.*

Cap. 15. *Ergo ita, non posse* honeste *vivi, nisi* honeste *vivatur, an* nisi *populari fama?*] Lambinus pro *nisi* legit *sine*, Davisius vero *cum*. At neuter eorum duplicem (nam duplex est) hujus loci mendam mihi videtur abstulisse. Si forte mentem Ciceronis satis feliciter assecutus sim, sic scripsit, *ergo ita* (scilicet dicit) *non posse* jucunde *vivi; nisi* jucunde *vivatur: an* (scilicet honeste vivere dicit idem, quod vivere) *populari fama?* Quæstio fuit de sensu horum verborum Epicuri, *non potest jucunde vivi, nisi etiam honeste*. Quærit igitur Cicero, quid Epicurus velit per vocem *honeste:* si idem (inquit) quod *jucunde*, tum nihil aliud quam hoc dicit; *non potest jucunde vivi, nisi jucunde vivatur:* quod qui dicit nugatur, non argumentatur. Sed si per vocem *honeste*, Epicurus vult *populari fama*, tum ille (ut ait Noster) facit id quod turpe est, *negando sine populari fama sapientem jucunde posse vivere*. Hinc bene concludit Cicero, Epicurum non aliud *honestum* intelligere, nisi quod *rectum sit, ac sua natura laudabile*. En sensum loci, ni fallor, Ciceronemque jam suo more pulchre recteque argumentantem! Quod si cum vulgatis codicibus legamus *honeste vivi, nisi honeste vivatur*, non video hoc esse consequens eorum quæ ante dixerat, *quid nunc honeste dicit? idemne quod jucunde?* PEARC.

Cap. 16. *Plato*] In Phædro. Vide Cic. de Offic. I. 5.

Quicum in tenebris] Deest verbum, *mices*. Certe in ejusmodi proverbiis, mos est Ciceroni prima tantum ver-

ba proferre, quod statim reliqua facile tum intelligerentur. Erat autem illa digitorum micatio ludi genus, quod digitorum citissima erectione fiebat, et divinatione quot erecti essent. Propterea acri aspectu opus erat, et summa fide. MOREL.

Cap. 17. *Q. Pompeius*] De quo in Bruto, cap. 25.

Quis enim redargueret? Nemo nostrum negabat: eratque, &c.] Corruptus certe est hic locus; quis enim diceret amicos Sextilii non negasse, cum ideo, quod rei non interfuerint, non potuerint vel negare vel affirmare? Davisius et alii, hac (ut opinor) ratione adducti, ex duobus tribusve Mss. protulerunt *credebat*, vice *negabat;* ut sit *nemo nostrum credebat.* Sed cum cæteri Mss. uno ore habeant *negabat*, sic ope interpunctionis locus emendari possit, *quis enim redargueret? nemo nostrum: negabat, eratque verisimilius*, &c. *Nemo nostrum* scilicet, redargueret: *negabat* scilicet Sextilius. PEARC.

Animi causa] Lambinus maluit *cum casu*, Davisius *sua causa*, sed omnes codices scripti, *cum causa*, et recte: nam *cum causa dimicare* idem est quod rationem habere dimicandi. Sic Cicero de Orat. II. 60. *quod nos* cum causa *dicimus, ut proficiamus aliquid, illi totum diem et sine causa.* PEARC.

Cap. 18. *Qui tamen solebat uti suo bono*] Id est, ea potestate, quam divitiæ ipsi et honores dederant. Ironice hic potentia nimia Crassi dicitur ejus *bonum:* non opus igitur est, ut legamus *bene uti suo bono*, quod doctus vir quidam se probaturum dicit. ID.

Nec usquam id scripserit, ut scripsit Fadius] Vetus codex habet, *nec usquam id scripserit fœdus, nec cuiquam*, &c. Judicent eruditiores: mihi sat est, quod reperi, bona fide indicasse. MORELIUS.

Cap. 19. *Imperiosum illum*] Cognomen T. Manlii Torquati, ejus, a quo *Manliana* imperia dicuntur infra, cap. 32. Solo *Imperiosi* nomine ipsum designat Plinius, lib. XXII. c. 5.

Nam ubi eam caperet] Paris. pr. tert. *nisi ut eam.* Pal. pr. *ubi ut eam.* Forsan *ubi autem caperet.* Alioquin *eas* potius scripsisset Cicero. DAVIS.

Cap. 20. *Thorius Balbus fuit Lanuvinus*] Extat L. Thorii hujus Balbi denarius argenteus; in quo Junonis Sospitæ simulacrum, quale Lanuvii colebatur, cum pelle caprina signatum est, adjecta inscriptione, L. THORIUS BALBUS I. S. M. R. hoc est, *Juno Sospita, maxima regina.* URS.

Hunc vero beatum] Lege, *hunc vos beatum: ratio quidem vestra sic cogit. At ego*, &c. T. BENTLEIUS.

Voluntarius] Nos, *voluptarius*, quam lectionem præstant C. C. C. et vetustiores editi, quamque loci mens omnino flagitat. DAVIS.

Cap. 21. *Themista*] Vide Menagium in hist. Mulierum Philos.

Tabulæ, quam Cleanthes] Tabellæ hujus et picturæ meminit D. Augustinus lib. V. de Civ. Dei, cap. 20. cujus verba hunc locum explicant. MORELIUS.

Cap. 22. *Cur Chius*] Apposui notam, quam ad mendas indicandas consuetudo jam recepit. Antiquus liber nihil mutat; historia nihil, equidem quod meminerim, suppeditat. Quatuor puto colligi Epicureos, L. Thorium Balbum Lanuvinum, de quo proxime mentio facta est; Postumium, quem ignoramus; Curium tertio loco si ponamus, (nec tamen *Curius* a *cur Chius* longe distat) eum esse dicemus de quo legimus in Pediano versiculum istum Calvi,

Et talis Curius pereruditus.

C. vero Sergius Orata nominatur a Cicerone lib. III. Offic. cap. 16. et Valerio lib. IX. cap. I. MANUTIUS. Quod legitur, *Chius*, arbitror, mendum esse. Cur autem arbitrer, facit locus Plinii, lib. IX. cap. 55. ubi ait, *murænarum* vivarium ante alios excogitasse C. Hirium. Itaque forsan pro *Chius*, legendum *C. Hirius.* MOREL.

Malet existimari bonus vir, ut non sit; quam esse, ut non putetur] Probitatis famam probitati anteponet. *Malet existimari bonus vir*, quamvis *non*

sit; quam esse talis, eo modo, eo pacto, ea conditione, *ut non putetur* esse vir bonus. PASSERAT.

Quod *adulterium*, quod *stuprum*, quæ *libido non se proripiet*] Opinor legendum, *quo adulterium, quo stuprum, quo libido non se proripiet*. Virgilius Eclog. III. 19.

Et cum clamarem, quo *nunc* se proripit *ille?*
DAVIS.

Cap. 24. *Pythagoreus*] Vide Tuscul. v. 22. et Offic. III. 10.

Cap. 27. *Etenim quemadmodum*] Non reddit rationem superioris sententiæ, quod beatam appellari vitam perpetuitate temporis dixerat; sed apponit Epicuri opinionem, negantis diuturnitate temporis augeri beatam vitam: quod refellit infra in eo loco, *hæc dicuntur inconstantissime*. Videant igitur eruditi, an sit aptius, quod mihi quidem videtur, *at enim* pro *etenim*, verecunda, ut ita dicam, correctione, quæ unam modo litteram mutet. P. MANUT.

At enim *hic etiam dolore*] Duas priores voces delendas esse censeo, utpote ex sequentibus verbis *ait enim* natas. Procul dubio nullus hic locus est voci *enim*. Ecce totam sententiam, *uterque enim summo bono fruitur: hic etiam dolore* (fruitur) *at eum nihil facit; ait enim,* &c. Verum est (quod dixit Servius ad Virg. Æn. VII. 90.) *frui* de rebus tantum bonis dici: hinc minime propria locutione Epicurus hic dicitur *frui dolore*, pro *habere dolorem*. At recte notavit Davisius sæpius apud bonos scriptores verbum uni rei proprium pluribus adhiberi. Exempli loco sit illud Virg. Æn. II. 320.

Sacra manu, victosque deos, parvumque nepotem
Ipse trahit

Ubi *trahit nepotem* proprie dicitur: improprie vero *trahit sacra manu*, cum potius dicatur quis ea *portare*. PEARCIUS.

In qua *quid est boni*] Pronomen ad *deum*, non ad *æternitatem* spectat; ideoque legas oportet, *in* quo *quid est boni*. Hoc olim vidit Joan. Walkerus. IDEM.

Cap. 29. *Resonando* mutum] Vulgo *multum*, sensu vix ullo. Sed elegantissimus est ille, quem præbet lectio nobis recepta, et Victorio. Vide Tusc. II. 13. et Jos. Scaligerum ad Varronis lib. VI. L. L. p. 102. ID.

Debilitari, dolore frangi] Alii sic distinguunt: *debilitari dolore, frangi,* &c. Victorius, *debilitari, dolere, frangi*.

Dictata sunt] Id est, dictari possunt; atque ut dicitur lib. I. de Orat. cap. 23. *loquacitas sine usu, cantilena ex scholis*. ANONYMUS.

Cap. 31. *Veneuntque scripta ejus*] Quidam legi volunt *vincunturque*. LAMB. Putidissime, *veneunt*. Eliensis sec. Med. et Pal. pr. *vincunturque*. Malim tamen *convincunturque*, hoc est, refelluntur, redarguuntur, confutantur. Supra cap. 25. *Ita enim vivunt quidam, ut eorum vita* refellatur *oratio*. DAVIS.

Cap. 32. *Manliana*] Vide supra, cap. 19.

Sardanapali epigramma] Vide Tuscul. V. cap. 35.

Cap. 33. *Partim* indulgenter, vel cum labore, *ut in gignendo .... appareat*] Suspectus est mihi hic locus, cui sanando sic se Lambinus offert, *partim indulgenter, vel cum labore in gignendo, in educando, ut perfacile appareat,* &c. Bene ille, opinor, quod mutavit locum conjunctionis *ut;* nam *labor* iste est labor *in gignendo* et *educando*, ut Cicero dicit in III. 19. *bestiarum in fœtu et educatione laborem cum cernimus, naturæ ipsius vocem videmur audire.* Sed ne sic quidem satis se mihi commendat vulgata lectio; quia non video quid velint ista *indulgenter, vel cum labore.* Annon opus est verbo quodam, cum proxime sequatur *partim lætantur?* Equidem suspicor Ciceronem scripsisse, *quid, si etiam bestiæ multa faciunt, duce sua quæque natura? partim* indulgent labori *in gignendo*, vel (sive *et) in educando, ut perfacile appareat .... non voluptatem.* Tum demum voces, *indulgent labori*, respondebunt sequen-

tibus, partim cursu et peregrinatione lætantur. Et per phrasin *indulgent labori* lector intelligat, multum laborant: cui simile est illud Virg. Æn. II. 776.

Quid tantum insano juvat indulgere labori?
PEARCIUS.

Disciplinam] Vict. Grut. *desideria videmus*.

Cap. 35. *Velut hoc ad portam*, uno ore cui *plurimæ, &c.*] Cum codices habeant, *uno cum*, vel *uno cui*, recte Davisius aliique legunt *velut hoc ad portam unicum: Plurimæ*, &c. Cicero de Leg. II. 23. dicit, antiquitus aram fuisse extra portam Collinam cum hac inscriptione, *Domina Honoris: eamque causam fuisse ædis honoris* postea *dedicandæ: sed cum multa in eo loco sepulcra fuissent*, a pontificibus *exarata sunt; statuit enim collegium locum publicum non potuisse privata religione obligari*. Hoc igitur Cicero in eo, quem excutimus, loco videtur innuere, sepulcrum solius Atilii Calatini ibi a pontificibus intactum relictum fuisse: inde vere dici potuis hoc *unicum* fuisse *elogium*, cum ne monumenta quidem elogiis cæterorum extarent. Nec aliter Noster dicit in Senect. c. 17. *Quanta in Atilio Calatino! in quem illud elogium unicum*.; Plurimæ, &c. IDEM.

De Calatino] Anno 495. A. Atilius Catalinus Enna, Drepano, Lilybæo hostilia præsidia dejecit, Panormum cepit, totamque Siciliam pervagatus, paucis navibus magnam hostium classem duce Amilcare superavit MURETUS.

DE FINIBUS
BONORUM ET MALORUM,
LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Occurrent sane in tertio hoc libro multa, opinor item in quarto, quæ homines, cæteroqui non indoctos, impediant ac morentur: tricæ videlicet Stoicorum; vocabula, vel nata in Porticu, vel, si minus nova ipsa, novum certe pravumque in usum detorta. Ubi ego, si Morelianas, quas in præfatione indicavi, observationes ad hæc explicanda sæpius adhiberem, illudere huic ætati ac studiorum usitatæ rationi existimarer voluisse. Hanc enim explicandi viam instituit Morelius, ut varios e Plutarcho, Laertio, atque aliis ejusdem linguæ scriptoribus, locos afferat longiusculos, quibus illustrat ea scilicet, quæ obscura quidem per se, tamen Cicero dixit planius, quam a Græcis dicebantur. Neque hæc τεχνικὰ dilucidiora faciunt, vel Justus Lipsius, vel Gaspar Scioppius. Mihi quidem, præter illam Zenonicæ doctrinæ partem, quæ est de judicio veritatis, *a Petro Valentia, peculiari opusculo, diligentissime pertractata, cæteræ omnes videntur jacere adhuc in tenebris, et lucem expectare. Spoponderat vero hic ipse Valentia in* Academicis, *eandem se Stoicæ de moribus doctrinæ impensurum esse operam. Ego, etsi vix dubitabam, quin illi id evenisset, quod plerisque scriptoribus, cum præsertim ejus operis nullam viderem, neque in Hispana Nic. Antonii Bibliotheca, neque in aliis mentionem esse; tamen ne quidem omitterem inquirendo, datis in Hispaniam litteris, imploravi fidem amici summi ac popularis mei, Jacobi Antonii Fabri, qui illic nunc degit regiorum liberum præfectus; oravi,*

videret etiam atque etiam, num quod in Laurentiana regali bibliotheca vestigium ejus libri esset, cujus potiundi tanta me cupiditas tenebat. Respondit vir oppido eruditus ac diligens: perlustratis curiose scriniis omnibus, inventum prorsus nihil. Idoneo itaque artifici non deerit in explicatione Stoicæ doctrinæ labor, cui hactenus defuit idoneus artifex. OLIVETUS.

Cap. 4. *Ephippiis*] Ephippiorum nomine utimur, pro equi tegmine ad mollem vecturam parato, ut ait Nonius. Cato de liberis educandis, *mihi puero modica fuit una tunica et toga, sine fasciis calceamentum, equus sine ephippio.* Et notus est versiculus,

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Vocabulo *acratophori* Varro utitur de re rust. lib. I. *Ea minus sumptuosa vinea, qua sine jugo ministrat acratophoro vinum.* Ἀκρατοφορὸν Julius Pollux in catalogo poculorum ait esse, quod alii ψυκτῆρα, alii δῖνον ἐν ᾧ ἦν ὁ ἄκρατος, nominant, ubi vinum merum servabatur. MOREL.

Fortuna fortes] Subaudi, adjuvat. Proverbium est, cujus in Tuscul. II. 4. mentio sit. *Fortes enim non modo fortuna adjuvat, ut est in vetere proverbio, sed multo magis ratio, quæ quibusdam quasi præceptis confirmat vim fortitudinis.* Admonet adagium, ait Erasmus, fortiter periclitandam esse fortunam; nam his plerumque res prospere cedere. IDEM.

Cap. 5. *A se diligendi*] In antiquo exemplari est, *a se diligendo.* IDEM.

Quam eodem *usu imminutas*] Forte, *easdem*, scilicet partes corporis. PEAR.

Arbitrantur] Cum nullus sit casus nominativus, qui præcedat aut sequatur hoc verbum, malim legere *arbitramur;* ut paulo ante dictum est *putamus* et *arbitramur*. IDEM. *Arbitramur*, habet liber Ms. URSIN.

Ipsæ res verba rapiunt] Eorum probo conjecturam qui reponunt, *ipsæ res verba* pariunt. Sic certe locutus est noster lib. II. de Orat. cap. 34. DAVISIUS.

Cap. 6. *Apellamus*] Legendum *appellemus;* quod etiam Th. Bentleio placuit. Post eam vero vocem in editione Victoriana ponitur hiatus indicium, Paulusque Manutius et D. Lambinus locum supplemento carere judicantes reponunt, *æstimabile esse, dicitur (sic enim, ut opinor, appellamus ἀξιωτὸν,) id quod*, &c. At ἀξιωτὸν Græcæ linguæ non est cognitum, Stoicique hac in re ἀξίαν ἔχον adhibent. Vide Plutarchum advers. Stoic. p. 1072. Stobæum Eclog. Ethic. lib. II. pag. 173, 174. et Laertium lib. VII. §. 105. 106. Revera nihil deest, Tulliusque subjicit, *sic* enim, *ut opinor, appellemus;* quoniam vacabulum *æstimabile* primus ipse finxit. DAVISIUS.

Quam ille ἀξίαν vocat] Si hæc est vera loci lectio, subintelligendus est Zeno; quem tamen Cato ex eo, quo in hanc disputationem ingressus est, ne semel quidem nominavit. Opinor igitur legendum esse *quam* illi ἀξίαν vocant, scilicet Stoici, quas Cato memoravit modo, et quorum dogmata hic explicaturus est. Huic vero conjecturæ favet id, quod infra in hoc ipso capite occurrit, *quam appellant* ἔννοιαν *isti.* PEARC.

Contraria. Qua inventa selectione et item rejectione, sequitur deinceps] Vict. Grut. *contraria: quæ, inventa selectione et item rejectione, sequuntur: deinceps.*

Deinceps cum officio selectio] Lamb. *deinceps officiorum selectio.*

In qua primum inesse incipit et intelligi quid sit *quod vere bonum possit dici*] Vel auctoris mentem non assequor, vel hæc a sciolis corrupta sunt. Omnes Pall. Paris. pr. tert. Eliens. uterque, Med. C. C. C. Balliol. et editio Victoriana, *incipit et intelligit.* Ciceronem scripsisse suspicor, *in qua primum inesse* concipit et intelligit id *quod vere bonum possit dici.* Nam *simul vidit rerum agendarum ordinem; statuit in eo collocatum summum illud hominis per se laudandum et expetendum bonum*, sicut Noster paulo post loquitur. Περὶ τῆς ὁμολογίας, sive τῷ ὁμο-

λογουμένως ζῆν, qui Zenoni finis fuit, agit Noster. DAVIS.

Ut enim, si cui propositum sit collimare, &c.] In omnibus his de philosophia libris nullus est forsitan hoc vel obscurior, vel corruptior locus. Multi igitur editores multa ad eum sanandum et illustrandum excogitarunt: nec ita mihi mea placent, ut iis, quæ de hac re dicturus sum, satis expurgari locum credam.

Ante vero, quam doceam quomodo locum legendum esse censeam, quatuor res dignæ notatu memorandæ sunt. 1°. Cato hæc e media Stoicorum philosophia depromit: si qua igitur in his insit obscuritas, non ea Ciceronis verbis tribuenda est, sed rebus ipsis de quibus Cato stoice agit. 2°. *Collimare* et *collineare* inter se differunt: nam *collimare hastam* idem significat quod dirigere hastam ad aliquem locum; *collineare* vero, idem quod locum ferire. 3°. Aliud est secundum Stoicos *ultimum, finis, expetendum* (nam idem hæc tria valent) aliud *seligendum*, cum hoc de eo dicitur, quod non propter se, sed rei alius gratia fiat. 4°. Stoici docuerunt, alium esse finem, alio tamen actiones esse referendas. Exempli gratia; dixerunt omnia officia eo referri, ut adipiscamur principia naturæ, hoc tamen non esse bonorum ultimum: sic Cato paulo supra in hoc ipso capite. Docuerunt (notante Plutarcho in libro *advers. Stoicos*) ei, qui suum corpus ambulando exercet, aut medicina utitur, non finem esse ut sanus sit; sed huic exercitationem et medicinam finem esse sanitatis. Dixerunt etiam (secundum eundem Plutarchum) *eum, qui sagittet, non omnia, quæ possit, facere, ut scopum attingat; sed ut omnia, quæ possit, faciat.*

His igitur præcognitis, ita locum legendum esse arbitror, *etenim, si cui propositum sit collimare hastam aliquo aut sagittam, huic omnia sunt facienda ut collineet: et tamen, ut omnia faciat quo propositum assequatur, hoc quasi ultimum dicimus; illud autem, ut feriat, quasi seligendum, non expetendum.* Cato hæc dicit, ut probet non esse Stoicis *duo ultima bonorum:* et ad hanc rem probandam profert exemplum collimantis hastam. Non est huic (inquit) finis, ut feriat; sed ut omnia faciat, quo propositum suum collimandi aliquo hastam assequatur: illud, ut collineet sive feriat, est *seligendum:* hoc vero proprie *ultimum* jaculatoris dicitur. Ridicula hæc sunt (fateor) sed Stoicorum ridicula; quapropter non est Ciceroni vitio dandum, si quid solito obscurius in his insit. Interim Mss. ex scriptoribus vitio dandum sit, obscura multo obscuriora facta esse, multaque in textum recepta esse, quæ inter lineas olim interpretamenti loco extarent. PEARCIUS.

Cap. 7. *Nec enim gubernationi*] Artium ultimum cum sapientiæ ultimo non apte comparari posse docet: dissimilitudinem explicans. In artibus est et artificis habitus, et artis affectio. Cum habitu, sapientiæ nihil est commercii. Otiosus est enim habitus ille, nisi materiam in qua versetur, habeat. At sapientia in se tota conversa est: nihil ad se tuendam eorum quæ sunt externa, requirit. Est enim in animi cura et cogitatione posita, non in fortunæ temeritate: et non minus exercetur in rerum omnium penuria, quam in abundantia. Est quoque sapientia dissimilis artis effectioni. Cum enim suum munus ars effecit, et prodiit opus, jam ab arte ipsum alienum est: nec artis dignitatem amplectitur. At sapientiæ effectio, quæ est illa εὐλογιστία, in se omnes retinet sapientiæ numeros, imo ne nomen quidem sapientiæ amittit. Qui enim ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν didicit, is sapiens est, prudens, justus, fortis, et temperans, quæ sunt sapientiæ propria officia: imo ipsam constituunt tuenturque sapientiam: et ea recte facta, sive κατορθώματα dicuntur. MORELIUS.

Nihil esse, quod intersit, aut differat aliud ab alio] Legerim *nihil esse quod intersit, aut quo differat aliud ab alio.*

Vide Tuscul. lib. I. cap. 11. et infra III. 15. DAVIS.

Cap. 9. *Singulis singulas*] Si legamus *singuli;* et sententia erit planior, et explicatio facilior: singuli enim intelligentur Aristoteles seu Peripatetici, Callipho, Diodorus, qui virtuti res singulas ex illis tribus addiderunt. Sic igitur legendum arbitror, *singuli singulas addiderunt*, &c. LAMB.

Tollatur omnes ea] Nihil obscuritatis in sententia; in elocutione fortasse aliquid desiderarem: hoc enim, *quid apertius quam tollatur omnis prudentia*, recedere videtur ab usu Latinæ linguæ. Usitatum autem erat, *quid apertius quam tolli omnem prudentiam.* Consului veteres libros; nihil adjumenti. MAN.

Sed in cæteris artibus cum dicitur artificiose] Effectorum quæ ab artibus et quæ a sapientia in convenienter naturæ vivendo posita proficiscuntur, discrimen aperit. Quod artis effectum, arte ipsa posterius sit et inferius: at quod sapiens sapienter efficit, non posterius gignatur, quam ipsa unde proficiscitur sapientia: quodque virtutis munus, id virtutis omnibus partibus sit absolutum et perfectum. Nam ut non ad perfectionem progrediatur sapientia, tamen ubi statim προαίρεσις munus suum præstitit, in convenienter naturæ seligendo, appetendo, &c. jam sapientiæ est effectio. Eam enim foras, ut perficiatur, non est necesse exire, sed apud se ipsa manens, etiam recta efficit, dum εὐλόγως propria instituit et proponit munera. At artis non extat munus ullum, quod non extrinsecus fiat, quod non artem relinquat. MORELIUS.

Adprimo] Originem hujus adverbii, quod ejusdem formæ, et significationis est, ac *profecto*, Gellius ostendit, *Noct. Att.* VII. 7. Videri autem potest Cicero id prætulisse, quod, ut antiquum, Catonis erat consuetudini atque ingenio magis consentaneum. Victorius, Manutius, Lambinus, non *adprimo*, sed *apprime* ediderunt. OLIVET.

Cap. 10. *Motum aut statum esse dixit e natura absoluta*] Non invitus fateor me nihil sensus ex his verbis posse elicere. Arbitror sane Ciceronem sic scripsisse, *motum aut statum esse dixit* natura absoluti, id est, ejus quod est absolutum natura. Diogenes (ut paulo ante dicitur) definivit *bonum id quod esset natura absolutum:* hujus igitur est consequens, ut idem definiendo diceret *illud, quod prodesset, motum aut statum esse natura absoluti.* PEARCIUS.

Hoc quarto, quod extremum posui bonum, *notitia facta est*] Sic Victorius et Gruterus ediderunt, nec aliter omnes fere codices. Quid autem sibi velint hæc verba, plusquam Œdipus sit oportet, qui dixerit. Quid autem in mente Noster habuerit, docet cum paulo post ait *animum collatione rationis ad notionem* boni pervenire. Ms. Scaligeranus et Eliens. pr. *quod extremum posui* bonum boni *notitia* factum *est.* Lego *hoc quarto, quod extremum posui* horum, boni *notitia facta est.* Quin et Lambinus exhibuit, *quod extremum posui*, boni *notitia facta est:* idque non male. Alii, *bonorum notitia:* parum recte. DAV.

Non accessione neque crescendo] Hoc ex eo sequitur, quod Stoicis omnia bona sint æqualia. Diogenes Laertius VII. 101. Vide sis et infra cap. 14. ac Senecam ep. 76. IDEM.

Cap. 11. *Qui* majorum *aut Africanorum*] Legendum *qui* Manliorum *aut Africanorum;* ut recte conjecit eruditissimus vir Joan. Clericus: nam, nisi fallor, illud *majorum* lectori semel monito non potest non incommodum videri. De Manliis Torquatis habuimus supra lib. I. cap. 7. et II. 19. DAVIS.

Proavi mei] Ne quis ideo mendum subesse suspicetur, quia Cato Censorius, quem Cicero significat, multo antiquior fuerit quam proavus: nam est hoc familiare Ciceroni, ut *proavos* appellet ab ejus ætate longissime remotos; ut in epistola ad Appium, lib. III. Fam. ep. 11. *Si censor es, de proavo multum cogitato tuo:* cum

de Appio Cæco, qui Pyrrhi pacem dissuasit, eum loqui constet. P. Man.

Cap. 12. *Scio* enim *esse quosdam, qui quavis lingua philosophari possint; nullis* tamen *partitionibus*] Nihil est apertius quam legi debere, mutatis particularum sedibus, *Scio* tamen *esse quosdam, qui quavis lingua philosophari possint; nullis* enim *partitionibus, nullis definitionibus utuntur.* Ad Epicureos respicit. Vide supra lib. II. cap 2. 9. 10. Davis.

Complecti] Pall. nostrique Paris. pr. tert. C. C. C. Med. et Eliens. *compleri beatam vitam.* Recte sine dubio; quod etiam Gruterus statuit. Id arripiens, Guietus reponit, *nostri* eo, *quod æstimatione omnino aliqua dignum sit,* compleri *vitam beatam putent.* Sed hæc emendatio, non minus ac vulgata scriptura, Stoicorum sententiæ prorsus adversatur; nam, cum Peripatetici bona tripartito diviserint, nec sine corporis firmitate fortunæque stabilitate compleri vitam beatam posse censuerint, *honestum* Stoicis solum bonum videbatur, eoque vitam beatissimam putabant effici, nec in alio loco τὰ ἀξίαν ἔχοντα, quæ Cicero vocavit *æstimabilia,* quam ἐν ἀδιαφόροις, *in indifferentibus,* ponebant. Vide modo nostrum infra cap. 15. 16. Laertium VII. 135. et Stobæum Eclog. Ethic. lib. II. pag. 172. seq. Hoc quod fugit interpretes, nonnullis librariis fuit cognitum: quapropter Eliens. sec. habet *complecti beatam vitam* non *putent.* Sed ineunda est alia corrigendi ratio. Paris. pr. sec. *nostri* non *quod æstimatione omnino aliqua dignum sit.* Pal. pr. *nostri* non *quod* ex omni *æstimatione aliqua dignum sit.* Leges oportet, *nostri* non ex omni, *quod æstimatione aliqua dignum sit,* compleri *beatam vitam putent.* Adi cap. 13. Tusc. V. 14. 16. et Agellium XVIII. 1. Davis.

Cap. 13. *Etenim si valere et sapere magis expetendum sit, quam sapere solum*] Hic locus varie legitur. In nonnullis codicibus in hunc modum, *etenim si valere et sapere magis expetendum sit, quam sapere solum; neque tamen si utrumque sit æstimatione dignum, pluris sit conjunctum, quam sapere ipsum separatim. Nam,* &c. In veteri codice sic legitur, *etenim si et sapere expetendum sit et valere, conjunctum utrumque magis expetendum sit, quam sapere ipsum separatim. Nam qui valetudinem æstimatione aliqua dignam judicamus, neque tamen,* &c. Alii codices plura habent, in hunc modum; *etenim si et sapere expetendum sit, et valere; conjunctum utrumque magis expetendum sit, quam sapere solum: neque tamen si utrumque sit æstimatione dignum, pluris sit conjunctum, quam sapere ipsum separatum. Nam qui valetudinem æstimatione aliqua dignam videamus, neque tamen eam,* &c. Morelius. Hoc modo tamen aliquid manifeste deest. Ut autem locum recte capiamus, reminiscamur oportet virtutes solas Stoicis αἱρετὰς *expetendas* videri; cum res ἀδιάφοροι *indifferentes,* et quæ nec bonæ nec malæ sunt, ἀξίαν ἔχωσι, ληπταὶ ὦσι καὶ ἐκλέγονται *æstimatione dignæ, sumendæ sint et eligendæ.* Vide Nostrum IV. 8. Stobæum Ecl. Ethic. pag. 170. et Plutarchum de Repugn. Stoic. pag. 1042. Davis.

Cap. 15. *Utrumque eorum fundi*] Seneca epist. 74. *Quod rectum est, nec magnitudine æstimatur, nec numero, nec tempore: non magis produci, quam contrahi potest. Honestam vitam ex centum annorum numero in quantum voles corripe, et in unum diem coge: æque honesta est. Modo latius virtus* funditur; *regna, urbes, provincias temperat, fert leges, colit amicitias, inter propinquos liberosque dispensat officia: modo arcto fine circumdatur paupertatis, exilii, orbitatis: non tamen minor est, si ex altiore fastigio in privatum: ex regio in humilem subducitur,* &c. Forsan *in privatum* statum, *ex* regio in humilem *subducitur.* Vide Lipsium Manud. ad Philos. Stoic. III. 3. Davis.

Divitias autem Diogenes] Diogenem intellige Babylonium, Chrysippi auditorem, et Antipatri magistrum, magnum et gravem Stoicum, qui aliquando Romam ab Atheniensibus

cum Carneade legatus missus est, adolescentibus Scipione et Lælio, ut est in Tuscul. a Cicerone scriptum. Ejus sententiam de divitiis ad voluptatem et valetudinem gignendam non modo valentibus, sed etiam ut retineantur et serventur vim habentibus, non recte accommodari posse ad virtutem et artes, dissimilitudine ostendit. Dictum est antea quæ Stoicis τὰ μέσα dicuntur, ἀρχὰς εἶναι τῶν καθηκόντων: in officiis vero et recte factis neminem ea continere possunt. Addit rationem, bonum non nisi a bono contineri posse. Ea vero media neque in bonis esse, neque in malis. Morelius.

Cap. 16. *Vel promota* et *remota* , ... *vel præcipua*, et *illa rejecta*] Lambinus legit *vel promota*, ut illa *remota*. Bene: nam *remota* ἀποπροηγμένα proprie opponuntur *promotis* προηγμένοις. Insuper tamen (id quod illum, acutissimum licet, fugerat) legendum arbitror, *vel præcipua*, ut *illa rejecta*: eadem enim ratione hæc mutanda esse videntur, atque illa. En totam sententiam eo modo, quo scripsisse Ciceronem arbitror: *quæ vel ita* (producta) *appellemus (id erit verbum e verbo) vel promota, ut illa remota; vel (ut dudum diximus) præposita vel præcipua, ut illa rejecta.* Pearcius.

Cap. 18. Quod *quoniam nunquam fallitur*] Lego *qui quoniam nunquam*, &c. ut pronomen ad *sapientem* referatur. Et ita legendum suspicatur Guietus, nisi forte *quod quoniam* sit additamentum. Davis.

Erit autem *etiam inchoatum*] Vel cum Lambino deleatur *autem*; vel legatur, *erit* item *etiam inchoatum*. Id.

Facit *recte factum*] Lambinus emendavit *fit recte factum*. Mihi placet *evadit recte factum*; quod litterarum ductus a Tullii manu fuisse suadet. Idem.

Virtute retinentur in vita, neque] Lamb. *virtute fruuntur, manendum in vita; neque.*

Ut sæpe] Lamb. *et sæpe.*

Desciscere a vita . . . . quod est convenienter naturæ vivere] Qui non discedit e vita, cum discedendum sapientia præcipit, non vivit convenienter naturæ: ergo qui tum discedit, quando debet, vivit convenienter naturæ. Non vivit quidem, postquam discessit e vita, sed vivit, cum discedendi consilium capit. Anonymus.

Si usus] Vict. Man. Lamb. *si jusserit.*

Cap. 19. *Natura fieri*] Quod et convenienter naturæ, et ut obsisterent Epicuro, statuerunt Stoici. Negabat enim Epicurus illam naturalem φιλοστοργίαν ad hominem pertinere. Ideo, ne liberos alerent sapientes, jubebat. Noverat, ait Epictetus, fore, ut si semel liberi susciperentur, non in nostra esset potestate eos non amare, eos non tueri, eos non educare, &c. Morelius.

Pinna] Plinius, IX. 42. Concharum, inquit, generis et pinna est. Nascitur in limosis subrecta semper, nec unquam sine comite, quem pinnoterem vocant, alii pinnophylacem: is est squilla parva, alibi cancer dapis assectator. Pandit se pinna, luminibus orbum corpus intus minutis piscibus præbens. Assultant illi protinus, et ubi licentia ac audacia crevit, implent eam. Hoc tempus speculatus index, morsu levi significat. Illa ore compresso, quicquid inclusit exanimat, partemque socio tribuit. Idem.

Quo minus, ipsis mortuis, terrarum omnium deflagratio consequatur] Græcus, ad quem respexit, versus est,

Ἐμοῦ θανόντος, γαῖα μιχθήτω πυρί.

Extat apud Suetonium Nerone cap. 38. Dionem lib. LVIII. et Joan. Xiphilinum in epit. Hic idem versiculus in mentem fuit Senecæ de Clement. II. 2. Davis.

Cap. 20. *Ad* naturalem *communitatem esse natos*] Homines *ad* naturalem natos *esse communitatem* vix, ut opinor, Cicero diceret. Igitur vel vocem *naturalem* delendam puto, vel legendum *ad* civilem *communitatem esse natos*. Paulo post: *inter nos na-*

tura ad civilem communitatem *conjuncti et consociati sumus.* Vide sis et N. D. II. 31. IDEM.

Ne amores quidem sanctos] Eleganter mihi videtur Panætius respondisse adolescentulo cuidam quærenti, an sapiens amaturus esset? *De sapiente,* inquit, *videbimus: mihi et tibi, qui adhuc a sapiente tam longe absumus, non est committendum ut incidamus in rem commotam, impotentem, alteri emancipatam, vilem sibi.* Seneca, ep. CXVI. OLIVET.

Cynicorum] κυνιεῖν σοφὸν, pro Stoicorum sententia, testantur Diogenes Laertius VII. 121. et Stobæus Eclog. Ethic. p. 184. Et sane, præter *Arrianum,* Cynicam vitam summopere laudat Maximus Tyrius Dissert. XX. A Stoicis nulla fere re differebant, nisi quod sordibus et impudentia gauderent, in propatulo res Veneris exercerent, in sermone decori rationem non haberent, et dialecticam, physicam, disciplinasque liberales spernerent. Vide Laertium VI. 103. 104. Lactantium Div. Inst. III. 15. ac Epitomes cap. 39. denique Ciceronem Offic. I. 35. 41. In vestitu quoque nonnulla fuit discrepantia, de qua consule Juvenalem XIII. 121. DAVIS.

Cap. 21. *De bonis et malis* diceremus] Omnino legendum *disseremus,* ut optime Jos. Scaliger emendavit. IDEM.

Ars *ea, quæ tollit hæc*] Cui teretes aures sunt, intelligensque judicium, is non dubito quin hoc magis probet, accedente libri veteris auctoritate, quam illud vulgo receptum *ab his ea quæ tollit hæc.* P. MAN. Vulgo *ab his ea quæ tollit,* &c. Multis autem parasangis elegantior est lectio, quam præstant Scaligeri codex et Eliens. quamque Manutius in Ms. repertam probavit. DAVIS.

Tempori parere] Sic aliorum, sic etiam nostri Mss. Verumtamen, probante Grutero, Victorius legit *tempori parcere.* Prius itaque audiamus virum doctissimum, quam sententiam dicamus. Sic igitur ille Var. Lect. XI. 19. " Vereor ne *parcere* pro *parere,* injecta in medium indefinitum verbum littera, legi debeat... " Nam qui præcepta hæc septem " Sapientium tradiderunt, χρόνου φείδου, " in illis posuere; nullum autem " quod respondeat huic, si, ut nunc " in omnibus libris est, *parere* legatur, attulere. Ut Sosiades qui " plurimas ipsorum ὑποθήκας hujuscemodi collegit. Leguntur autem " illæ apud Joannem Stobæum in " III. libro. Præterea Clemens Alexandrinus in primo Stromate [immo " Strom. V.] hujus vocis mentionem " fecit, ubi docet, brevibus quibusdam acutisque dictis Sapientium " virorum magnarum rerum sensum " contineri, ut hac ipsa χρόνου φείδου." Hæc et plura huc spectantia vir eruditissimus; nec reniterer, si modo scripti codices faverent. Cum autem magno consensu vulgatam lectionem retineant, eam loco movendum non puto. Cicero Fam. IV. epist. 9. Tempori *cedere, id est necessitati* parere, *semper sapientis est habitum.* Et ad Attic. VII. 18. *Stomachari desinamus,* tempori pareamus, *cum Pompeio in Hispaniam eamus.* DAVIS.

Sequi deum] De hoc effato plura suppeditabunt Just. Lipsius ad Senecam de vit. Beat. cap. 15. Th. Gatakerus ad Antonini VII. 31. et Ren. Vallinus ad Boetii Cons. lib. I. Pros. 4. IDEM.

Se noscere, et nihil nimis] De celeberrimis hisce præceptis sat multa collegit Menagius ad Laertii I. 40. 41. IDEM.

Cap. 22. *Quid non sic aliud ex alio nectitur, ut* non *si ullam litteram moveris, labent omnia?*] Quod a quibusdam dici solet, duplicem negationem tam apud Latinos aliquando, quam apud Græcos, affirmative significare; id in hujusmodi sententiis, quæ interrogatione fiunt, vix alibi occurrere arbitror. Ne igitur hæc prorsus contraria Catonis menti sonent, legendum censeo, *quid non sic aliud ex alio nectitur, ut, si ullam litteram moveris, labent omnia?* scilicet hoc vult Cato,

fore ut omnia labent, si commutaris vel unam litteram. Deleo posterius *non;* meæque conjecturæ fidem facit id, quod Noster dicit in IV. 19. *Et ais, si una littera commota sit; fore, tota ut labet disciplina.* PEARCIUS.

Ullum tempus ætatis] Optime vir Cl. Th. Bentleius reposuit *ultimum tempus ætatis,* nisi forsan eodem sensu malis *summum tempus ætatis.* Martialis X. 47.

Summum nec metuit diem, nec optat.

DAVIS.

Crœsum monuit] Vide supra, lib. II. cap. 27.

Usque ad illum a Cyro exstructum rogum] In quo Crœsus incenderetur. Herodot. lib. I.

DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM,

LIBER QUARTUS.

Cap. 1. *Non est facile perdiscere*] Sic omnes quidem habent libri, et Mss. et typis impressi. Sed quid sibi vult hoc *perdiscere?* aut quomodo hic locum habere potest? Videtur enim potius scribi debere, *dissolvere, subvertere,* aut *evertere,* aut aliquid aliud tale: nisi forte dicamus, hoc esse referendum ad oratorum et patronorum consuetudinem, quos non solum ejus, pro quo dictum erat, sed etiam adversarii jura et argumenta *perdiscere* oportebat, ut eis respondere possent. Quod ea quæ sequuntur, comprobant. LAMB.

Nova lege] Novam legem dicit Pompeianam, ut arbitror, de qua est apud Asconium in Milonianam; et de qua in Bruto, cap. 94. MOREL.

Immo isto quidem, inquam, loco, nisi iniquum postulo, responde] Vict. *Immo istud quidem, inquam; quo loco,* Lamb. *Immo isti quidem, inquam, loco, nisi iniquum postulo, respondebo.*

Æquum cuique] Idem. *æquius, suum cuique.*

Cap. 2. *Materia tantum*] Materiam virtutum fecerunt Peripatetici τὰ πάθη, animi commotiones: quæ, quia variæ sunt, varias genuerunt virtutum species. Nam virtus omnis ratio est, quæ actionibus et illis animi vehementibus motionibus modum adhibet: quam multi unam tantum fecerunt virtutem, quam prudentiam nominarunt, et pro varietate rerum in qua versaretur, aliis atque aliis nominibus appellarunt. Si enim in eo occupetur, ut suum cuique distribuat, appellari justitiam: si in moderandis doloribus et periculis honestatis causa, fortitudinem. Itaque qui unam earum habeat, reliquas item habere: et qui unam amiserit, nullam eum habere censuerunt. MOREL.

Ad meliorem partem] Quid sibi hæc verba velint *ad meliorem partem,* non dispicio. Omnino mihi suspecta sunt. LAMB.

Cap. 3. *De spinas vellentium*] Sine remigio librorum bibliothecis insepultorum locum velle constituere, mera Grutero videtur insania. Sit sane: tamen insaniamus, dum nec nobismet ipsis, nec aliis noceat hæc insania. Forsan itaque Cicero scripsit, *de* virtute omni, non *hominum*

more *spinas vellentium*; nam *fortitudinem* jam memorarat, ut huic verbo non sit locus. Eliens. habet *de animis hominum spinas vellentium*; sed in ea lectione nihil opis video. DAVIS. Petrus Marsus legit, *de fortitudine: nec more* hominum vellentium spinas, ut, &c. MORELIUS.

Quid ille incendat] Sic distinguo, *Quid? ille incendat?* LAMB.

Illorum vero ista ipsa quam exilia de virtutis vi? quam, &c.] Primum iterari non placet *ista ipsa*; deinde illud *de virtutis vi* distinguendum ab antecedentibus et cum sequentibus conjungendum existimo, ut legatur et distinguatur hoc modo. *Illorum vero quam exilia! de virtutis vi, quam tantam volunt esse ut beatum per efficere possit, pungunt, quasi aculeis*, &c. MANUT.

Cap. 5. *Sed* etiam *molestiam quandam cognitio rerum cœlestium affert*] Deesse videtur particula causalis: qua de causa Lambinus conjecit, *sed* quod et *modestiam*; ego *sed* et quia *modestium quandam*, &c. DAVIS.

Zeno id dixit esse ignem] Vide Acad. I. 12. De N. D. II. 9. III. 14.

Cap. 6. *Quod virtute* fruitur] *Finitur* pro *fruitur* habet vetus liber. URSINUS. Hoc est, τελειοῦται, perficitur, absolvitur. DAVIS.

Cap. 12. *Quo hæc adjecta sint*] Conjectabat Gruterus, scripsisse Ciceronem *quoi*. Et videri potest non improbabile; cum testetur Velius Longus, *lib. de Orthograph.* scripsisse veteres *quoi*, quod nunc scribimus *cui*. Illud *quoi* placuisse Lucretio, Catullo, Ciceroni, Virgilio, probant grammatici. Creditu facile est, cecidisse inter librariorum manus extremam litteram, et ubi erat *quoi* remansisse *quo*. Atenim observat Jac. Perizonius, *in Sanct. Minerv. III.* 14. *quo* veterem esse dativum pronominis *qui* omnium generum, a plerisque habitum loco adverbii, atque gravi apice notatum. ANONYMUS.

Ampulla] Vasculum vinarium e corio. Gestabatur a Cynico, mendicisque. Plautus, in Persa, Act. I. Sc. III.

Cynicum esse egentem oportet parasitum probe,
Ampullum, strigilem, scaphium, soccos, pallium, marsupium habeat, &c. MOREL.

Cap. 14. *Sensus non reliquit. Ut si cultura vitium, cujus hoc munus est, ut efficiat, ut vitis cum partibus suis omnibus quam optime se habeat: (sed sic intelligamus: licet enim, ut vos quoque soletis, fingere aliquid docendi causa) si igitur illa cultura vitium in vite insit, ipsa*] Lamb. *sensus non reliquit: quod sic intelligemus. Licet enim, ut vos quoque soletis, fingere aliquid docendi causa. Ut si cultura vitium, cujus hoc munus est, ut vitis cum partibus suis omnibus quam optime se habeat: si igitur illa cultura vitium in vite insit, ipsa.*

Cap. 15. *Atenim jam dicitis*] Manutius, *Atenim* veram *dicitis* &c. quam scripturam non improbo, et eam confirmant nostri libri, quamvis depravati. Sed codex Memmianus tollit omnem dubitationem, in quo scriptum est: *Atenim* natura *dicitis*, &c. LAMBINUS.

Cap. 16. *Quod ea non occurrentia fingunt*, &c.] Magis, opinor, ad mentem loquentis legas mutato verborum ordine, *quod ea occurrentia non fingunt, vincunt Aristonem.* Stoici erant, qui non fingebant ea occurrentia; Aristo, qui fingebat. Sic Noster paulo ante, *Aristo introduxit, quibus commotus sapiens appeteret aliquid, quod cuique in mentem incideret, et quodcumque tanquam occurreret.* Sic et paulo infra, *ille* (Aristo) *occurrentia nescio quæ comminiscebatur.* Hæc igitur, de quibus agimus, cum de Stoicis dicantur, particula negativa non cum voce *occurrentia*, sed cum *fingunt* debet conjungi. PEARC.

Si quidpiam, nisi quod honestum sit, numeretur] Lambinus duabus voculis adjectis, rescribit *numeretur in bonis.* Certe deest simile quiddam, nisi forsan id Cicero subaudiendum reliquerit. DAVISIUS.

Cap. 18. *Quo nihil putatis esse vitio-*

sius] Inter editores satis constat hunc locum esse corruptum: Cicero enim hæc de Stoicis dicit, quibus iste *sorites* vehementer placuit, quique eo perpetuo fere usi sunt. Ergo illud ad Stoicos vere dici non potuit, *quo* (sorite) *nihil putatis esse vitiosius.* His de causis Davisius ex uno Ms. legit, *quo nihil putatis esse melius.* Aliam viam alius vir doctus tentat, legendo, *quo nihil putamus* (sc. nos Academici) *esse vitiosius.* Si mihi etiam conjicienti detur locus, malim legere, in *quo nihil putatis esse vitiosius.* Satis notum est comparativum vice positivi sæpius usurpari: hinc per vocem *vitiosius* intelligat lector *solito vitiosius.* Omnis sorites a Cicerone credebatur *vitiosus* (vid. Acad. II. 16.) hic vero cæteris *vitiosior.* Solet noster ita comparativo uti, ut in lib. V. 15. *animadvertunt ea, quæ domi fiunt curiosius.* Alibi idem notandum est. PEARCIUS.

Hebes illorum: gloriatione] Vict. Man. *hebes, illorum scilicet nominum gloriatione.*

Hebes illorum] Vide Mureti Var. Lect. IV. 13.

Cap. 19. *Consequentibus*] Sic lego et distinguo: *Sic, consequentibus vestris sublatis, prima tolluntur. Quæ sequuntur igitur,* (nempe illa, *Omnes,* &c.) *cum magnifice primo dici,* &c.) TH. BENT.

Sensus enim] Horat. I. Sat. III. 96.

Queis paria esse fere placuit peccata, laborant,
Cum ventum ad verum est: sensus, moresque repugnant,
Atque ipsa utilitas, &c.

Cap. 20. *Pœnulus*] Non Pœnulum vocat Noster Zenonem, quod callidus esset; sed appellatione diminutiva propter contemptum utitur. Alioqui cognomine *Pœnus,* sive φοῖνιξ appellabatur, ut tradit Suidas. Vide sis et Laert. VII. 3. DAVIS.

Ducimus] Vict. Man. *dicimus.*

Natura ipsa] Lamb. *naturæ ipsi.*

Si id gessissent] Idem. *si processissent.*

Verbis illi commodius utuntur] Lego, *verbis illi commodis* (Lamb. *commodioribus*) *utantur:* nam latinitas, nisi fallor, haud sinit, ut indicandi modum Tullius adhibeat. DAVIS.

Cap. 21. *Partim ** quæ voluptatem habeant in omni animante, sed in homine rationem etiam*] Silent interpretes, nihilque juvant codices. Lambinus quidem edidit *partim* habere, *quæ voluptatem habeant,* &c. Mihi locus non videtur integer. At licet eum mendosum esse video; quæ tamen ineunda sit emendandi via, non intelligo. Defectus tamen apposui notam, quod librarii nonnulla prætermisisse videbantur. IDEM.

Posse: valetudinem autem, pulchritudinem, celeritatem, vires corporis, divitias, et cæteras res hujus generis, *non faciles illas quidem,* &c.] Post *obteri posse,* et ante *faciles illas quidem,* erat lacuna in uno libro manuscripto, longe omnium antiquissimo: quæ sic in ora libri aliena manu, ut videtur, expleta est, ut jam olim edidimus. LAMB.

Non faciles illas *quidem, nec contemnendas*] Hoc fortasse vident alii quo referatur: mihi, homini non acuto, tenebras esse confiteor. Quod si legatur cum Sigonii libro *non facilia illa quidem, nec contemnenda;* nemo erit tam hebes qui hæc non cernat ab iis pendere *quæ dura, difficilia, adversa videantur.* P. MANUT. Nisi forsan hic quædam desint, quod equidem vehementer suspicor; ductu libri Sigoniani, qui dabat *non facilia illa quædam, nec contemnenda,* rescripserim, *non* ut futilia *illa quidem* et *contemnenda....sed ut hoc judicaremus,* &c. DAVIS.

Beatam autem vitam eam solam, *quæ cum virtute degatur*] An igitur Academici vel Peripatetici vitam beatam sine virtute posse fieri concedebant? Nullo modo. Pro Zenonis itaque sententia legas oportet, *beatam autem vitam eam quæ* sola *cum virtute degatur.* IDEM.

Cap. 23. *Neque tamen* pluris, *quam illis* videatur] Hic vel Tullii calamus, vel librarii deerrarunt; nam sensus omnino flagitat, *neque tamen*

minoris *quam illis* videtur, *qui illud non dubitant bonum dicere.* Scilicet Stoici, quod illis philosophis passim exprobrat Cicero, non *minoris* ea, quæ *præposita* vocabant, fecere, quam Peripatetici, qui eadem *bona* dicebant. ID.

Barbati] Quidam edunt, *barbari:* alii melius, *barbati.* Et apparet, inquit Erasmus, apud Romanos, proverbiali loco, barbatos dici consuesse, homines priscis ac simplicibus moribus, rusticanæque veritatis: quod illic sero receptum sit barbam radere aut tondere. Huc spectat, quod ait Juvenalis, *Facile est barbato imponere regi.* MOREL.

Nihilo miseriores esse] Cum Davisius censuerit Ciceronem hæc de Academicis, non de Stoicis, dicere, istud *nihilo* mutare voluit in *nimio.* Guietus vero legit *non nihilo,* item alius vir doctus *non paulo,* vel *multo.* Nempe hi omnes id unice curarunt, ut ea, quæ crederent dicta esse de veteribus Academicis, ad veritatem opinionum eorundem accommodarentur. Et mihi quidem videntur hæc de Stoicis dicta, nihilque censeo mutandum esse, modo parenthesin sic interjiciamus sententiæ, *Stoici hæc videlicet viderunt (illos autem id fugerat superiores) qui arbitrabantur homines sceleribus et parricidiis inquinatos nihilo miseriores esse, quam eos, qui cum caste et integre viverent, nondum perfectam illam sapientiam essent consecuti.* Hoc Stoicorum placitum consequens est ejus, quod Cato dixerat in III. 14. *Ita qui processit aliquantum ad virtutis aditum, nihilominus in miseria est, quam ille, qui nihil processit.* PEARC.

Cap. 25. *Contra Aristonem*] Hujus disputationis Chrysippi contra Aristonem, plura Galenus lib. 7. de decretis Hippocratis et Platonis. MOR.

Cap. 27. *Si nulla earum ita contenta numeris sit*] Quid loci possit esse *numeris,* equidem nullus intelligo. Paris. pr. tert. et Eliens. *contenta* nervis *sit.* Lego *si nulla earum ita* contentis nervis *sit.* Hoc certe melius videtur, quam si cum Lambino vocem penultimam funditus expunxeris. DAVIS.

Omnes æque incontentæ sint necesse est] Particula *æque* ad nomen *omnes* referri potest, ut sit sensus, æque contingit omnes ut incontentæ sint: et ita non efficitur, quod Stoici volunt, peccata paria esse; sed tantum inde colligere possis, pariter esse peccata, id est, similiter peccati nomine omnia appellari. Si vero illud *æque,* ad verbum *incontentæ* pertineat, jam quod assumitur, falsum est: et ita consequens necessario verum esse non concluditur. Debet enim omnis ratiocinatio, quæ fidem factura sit, ex veris et concessis proficisci. Præclare M. Tullius hanc ἀμφιβολίαν dissolvit: qua in re quantum arte disserendi valuerit, satis ostendit. MOR.

Cap. 28. *L. Tubulum*] De quo supra, lib. II. cap. 16. et de Nat. Deor. I. 23. III. 30.

Et quasi nihil] Siquidem præcessit *quasi vero* aut *concedatur;* hic omnino legendum *aut quasi nihil,* ut vir eruditus Th. Bentleius recte monuit. DAVIS.

Re eadem defendunt quæ Peripatetici; verba tenent mordicus] Quomodo possunt Stoici Peripateticorum verba mordicus tenere, si nova verba finxerunt, et quæ illi bona appellant, hi proegmena seu producta; quæ illi mala, hi apoproegmena sive rejecta nominarunt? Omnino hic locus mendo non vacat: quod sic fortasse purgari possit, *re eadem defendunt, quæ Peripatetici et tenent mordicus: verbo non item: quæ rursus,* &c. vel, *re eadem defendunt, quæ Peripatetici et tenent mordicus: verbo deserunt, quæ,* &c. Conjecturam probabiliorem faciat lector ingeniosus; mihi satis est, mendum quasi digito indicasse. LAMB. Paris. *verba* sibi *tenent mordicus.* Et revera deest simile vocabulum. Cum vero mox recurrat idem illud, forsan in eo tantum vitiosi sunt plerique Mss. quod *sibi* suam non assignent sedem. Totum igitur locum sic lego: *verba* sibi *tenent mordicus; quæ rursus dum evelli,* &c. DAVIS.

DE FINIBUS

BONORUM ET MALORUM,

LIBER QUINTUS.

Cap. 1. *Antiochum*] Antiochum Ascaloniten, quem Plutarchus, ut hominem eruditissimum, ingeniosissimum, eloquentissimum, veteris Academiæ illis temporibus principem, in Lucullo commendat. Hic scripsit librum ad Q. Lucilium Balbum, quo contendebat Stoicos cum Peripateticis re concinere, verbis discrepare. *Cic. I. de Nat. Deor.* MURET.

Solebat] Lamb. *solebam.*

In eo gymnasio] Man. *disputantem in eo.*

Ptolemæium] A Ptolemæo Lagi filio conditum: Pausanias in Atticis. ID.

A Dipylo] Porta ea velut in ore urbis posita, major aliquanto patentiorque quam cæteræ est: et intra eam, extraque latæ sunt viæ: et extra, mille ferme passus in Academiæ gymnasium ferens. Livius, lib. XXXI. MURET.

Œdipodis] Locus ad quem respicit Tullius, extat in Sophoclis Œdip. Colon. vers. 1. seq. DAVIS.

Vivorum memini] Vide Petronium Satyr. cap. 43. et 75. ac Erasmum Adag. Chil. I. Cent. II. 52. IDEM.

Cap. 2. *Pythagoræ ipsum illum locum, ubi vitam ediderat*] Finierat. Vide J. Fr. Gronovium ad Agellii III. 15. De re ipsa sic Justinus XX. 4. *Pythagoras autem, cum annos* XX. *Crotonæ egisset, Metapontum migravit, ibique decessit.* Tam vero de loco, quam de modo, quo mortem Pythagoras obiit, varia tradunt auctores. Vide Menag. ad Laert. VIII. 40. ID.

Carneades] Nemini dubium esse potest, quin legendum sit *Charmades.* Quomodo enim Cicero Carneadem videre potuisset, quem Crassus non viderat? H. VALESIUS, *Emend.* lib. I. cap. 29. Vide quæ annotavit Pearcius ad lib. I. de Orat. cap. 11.

Cap. 5. *Quia duo genera librorum sunt*] Primum genus appellabatur ἐξωτερικὸν: quod vulgares continebat disputationes, et quæ erant scriptæ negligentius, adque captum popularem accommodatæ; quodque omnibus legendum proponebatur. In iis autem libris procemiis Aristoteles utebatur, ut ad Atticum scribit Cicero. Alterum genus ἀκροαματικὸν, in quo philosophia remotior, subtiliorque tractabatur: id ad vulgi intelligentiam minime aptum erat. Priori generi exercendo vespertinum tempus, posteriori matutinum dabat: et quia utroquo tempore ambulans disserebat, illum δειλινὸν περίπατον; hunc ἑωθινὸν nuncupabat. Quam rem latius Gellius lib. XX. cap. 4. persequitur. MOR.

Theophrasti de beata vita liber] Vide Acad. I. 10. Tuscul. V. 9.

Cap. 6. *Negabat ullam esse artem, quæ ipsa a se proficisceretur*] Carneades, qui infenso in Stoicos fuit animo, quos semper studiosissime refellebat, ut in primis, quæ sunt secundum naturam, esse finem bonorum constitueret, negabat, artem vivendi quæ est sapientia, in se conversam esse: quia ne id quidem fiat in cæteris artibus. Quod de aliis quidem artibus Stoici fatentur: sic enim aiunt, πᾶσα τέχνη καὶ δύναμις προηγουμένων τινῶν ἐστι θεωρητική. Sed addunt, ut ex eo genere sejungant sapientiam, id est, artem vivendi, ὅταν μὲν μὴ ὁμοειδὴς τοῖς θεωρουμένοις καὶ αὐτὴ, alioqui ἀναγκαίως, inquiunt, καὶ αὐτῆς γίνεται θεωρητική: id est, nulla ars est, nullaque facultas, quæ non in re-

bus quibusdam antecedentibus versetur, ac spectetur: quod verum est, quando non est ea ejusdem generis sive formæ, cujus res illæ quas ipsa tuetur: alioqui, necessario ipsa in se converteretur, a seque proficisceretur. Quod si de effectionibus agatur, meminerimus quid lib. III. dictum sit a Catone, sapientiam non foris petere extremum, id est, artis effectionem: eam enim et animi magnitudinem complecti, et justitiam, et uno nomine omnes numeros virtutis continere: quod idem in cæteris artibus non fiat. Fatentur ergo id de reliquis artibus Stoici: de arte vivendi negant. Dum ergo progreditur; quasi hoc constituto, Carneades, docens in primis illis suis naturalibus versari, indeque constitui sapientiam, frustra ex minime concessis progreditur, si cum Stoicis agat. Peripatetici id libentissime amplectuntur, quibus in virtute satis esse causæ non videtur, ut beatam vitam efficiat. Omnes a recta via deflectentes, labuntur, ac in contentiosas incidunt disputationes, e quibus se non bene extricant. Mor.

Cap. 7. *Alii rursus iisdem a principiis omne officium referunt*] Junctos fines bonorum exposuerunt nonnulli: alii ad voluptatem virtutem adjungentes; alii ad doloris vacuitatem; alii ad prima naturæ: quæ Varroni, ut ait Augustinus, primigenia nominabantur. Varro autem longius has producebat sententias. Aut enim cum ad voluptatem accedit virtus, ita accedere potest, ut præferatur, aut ut postponatur, aut ut juncta æquetur: ita tres existent sententiæ. Præterea ex adjunctione ejusdem virtutis cum primogeniis illis aliæ tres: et si conferatur quoque cum Epicuri voluptate, tres insuper emergent: quæ omnes in duodenarium numerum sententiarum excurrunt. Cicero eas enumerat non quæ esse potuerunt, quod Varro facit: sed simpliciter quæ fuerunt, defensoresque invenerunt inter alicujus nominis philosophos. Idem.

Facere omnia, cum, *etiamsi*] Locum sic lege, *nam voluptatis causa facere omnia*, ut, *etiamsi nihil consequamur, tamen ipsum illud consilium ita faciendi per se expetendum, et honestum, et solum bonum sit, nemo dicit.* Hanc mutationem mens Tullii videtur flagitare. Davis.

Cap. 8. *Quoniam igitur et de voluptate cum Torquato*] Certe Cicero, cum illa scriberet, oblitus erat, non se, sed Pisonem loqui, inquit Muretus, *Var. Lect.* XIV. 20. Sed videtur Muretus ipse oblivisci, qui sit mos dialogorum. Vide A. Schotti Tull. Quæst. IV. 5.

Cap. 9. *Quæ ad vivendum*] Omnino legendum, *quo ad vivendum.* Dav.

Cap. 10. *Apud Terentium*] Heautontim. act. I. sc. I. 95.

Mihi sic] Ibid. I. 1. 28.

Cap. 11. *Sanguen*] Neutro genere. Sic Lucretius, I. 838.

Propagabat tamen vitam] Inde, ait Seneca, illud Mæcenatis turpissimum votum, quo et debilitatem non recusat, et deformitatem, et novissime acutam crucem, dummodo inter hæc mala spiritus prorogetur.

Debilem facito manum.
Debilem pede, coxa:
Tuber astrue gibberum,
Lubricos quate dentes,
Vita dum superest, bene est.
Hanc mihi, vel acutam,
Si das, sustineo crucem. Muret.

Sive, ut doctissimis] Vetus, *sive* enim, *ut doctissimis*, &c. Mor. Sic etiam Guietus ac Davisius, qui mutata nostrorum quatuor editorum interpunctione, maluit, *sive enim, ut doctissimis viris visum est, major aliqua causa atque divinior hanc vim ingenuit; sive hoc ita fit* (Vict. et Man. *sit*) *fortuito; videamus*, &c.

Cap. 13. *Magis* proprio *nomine*] Lego *magis* proprie eo *nomine.* Dav.

Prioris generis est docilitas, memoria: quæ fere omnia, &c.] Vox *omnia* videtur postulare, ut plures duabus res antea nominarentur. Ciceronem igitur scripsisse censeo, *prioris generis est docilitas, memoria, cætera* (vel

similia) quæ fere omnia, &c. PEARCIUS.

In sue, animam] Varro idem habet lib. II. de R. R. cap. 4. et Plinius, VIII. 77. Chrysippum hujus dicti auctorem facit Cic. de Nat. Deor. II. 64.

Cap. 14. *Illis et apta quædam ad naturam aptare*] Lego quam minima mutatione, *illis et apta quædam natura putare et aliena.* Sic omnia fiunt plana. DAV.

Eo possit ire] Legerim *eo* possint *ire,* scilicet arbores, &c. IDEM.

Et inter hæc multo esse cariora] Si quæras, inter quæ? nemo (ait Davisius) responderit. Legit igitur, *insuper hæc,* vel *nupera hæc,* vice vocum *inter hæc.* Ego vero nihil mutandum esse opinor: nam voces *inter hæc* idem valent *ac interea.* Exempla hujusmodi locutionis suppeditabit Stephani Thesaurus. PEARC.

Cap. 15. *Virtutis quasi* carmen *efficitur*] J. Fr. Gronovius reponit, *virtutis quasi* germen *efficitur.* Lubens equidem fateor mihi vulgatam lectionem satis non facere: non enim *elementa* de litteris intelligi possunt, siquidem ex iis, non *auctis,* sed conjunctis et ordine certo dispositis, efficitur carmen. Forsan, *quibus auctis, virtutis quasi* cacumen *efficitur.* LAMBINUS.

Cap. 18. *Homeri*] Vide Mureti Var. Lect. XIV. 20.

Cap. 19. *Aristophanem*] Aristophanem, non poetam comicum, sed grammaticum Byzantinum vult, de quo Suidas et alii. Vide Cl. Fabricium Bibl. Græc. DAV.

Quæ qui non vident, *nihil unquam* magna *cognitione dignum amavērunt*] Quid sit *magna cognitio,* quidve huc faciat *vident,* haud intelligo. Forsan a Tullii manu fuit, *quæ qui non* laudent, vel *quæ qui non* mirentur, *nihil unquam* magnum aut *cognitione dignum amaverunt.* Codices autem nihil adjuvant. IDEM.

Qualis natura *sit vita sapientium*] Omnino legendum, *qualis* futura *sit,* &c. quod recte monuit J. Clericus ad Æschinis Axioch. §. 17. DAV.

Facile pateremur] Lamb. *facile nos eo carere.*

Cap. 20. *Voluptatem*] Idem. *voluntatem.*

Circulos aliquos et sessiunculas *consectari*] Sic Mss. Scalig. et Eliens. quod Grutero recte perplacebat. Vulgo *semicirculos.* Hæc autem vox in tali sensu, qualem locus postulat, non usurpatur. IDEM.

Cap. 21. *Rerump. administratio, aut administrandi sciendique prudens*] Etsi nihil mutavi, tamen, nisi prorsus nihil in litteris video, rectius est *administrandi scientia, tum prudens,* &c. Sic in vetere libro. P. MAN.

Plato] II. de Leg.

Cap. 22. *Cum autem etiam exitus* ab utroque *datur conturbato erranti que regi*] Locus parum sanus. Jos. Scaliger emendabat, *cum autem etiam exitus utrique datur a conturbato erranteque rege;* quod Fr. Guieto placet. Mihi legendum videtur, *cum autem etiam exitus* alterutri *datur* a *conturbato* hærenteque *rege.* Dubius scilicet erat Thoas, uter Orestes esset; quapropter non utrique, sed vel huic vel illi, vitam concedebat. DAV.

Nos tutores misimus regibus] Pertinent hæc ad argenteum denarium M. Lepidi, in cujus una parte turrita imago Ægypti signata est cum litteris ALEXANDREA; in altera inscriptio M. LEPIDUS. PONT. MAX. TUTOR. REG. EX S. C. URSIN.

Cap. 24. *Tiberina decursio*] Meliores codices *dissensio,* non *decursio,* habent. Sed quid prodest hoc animadvertisse, cum locus sit adhuc corruptissimus? Quare recte fuit in Asulana editione, ut depravatus et mancus, notula signatus. Agitur autem de re, ut opinor, obscura, et parum ab antiquis auctoribus, quod sciam, pertractata. Quid enim juxta Tiberim, quod tantopere delectaret et gaudio afficeret, gereretur, non mihi valde compertum est. Declaratur autem verbis Ciceronis, magnas omnino corporis voluptates eo loco capi solitas, et eas quidem certo quodam die, quem festum ob

eam rem agebant. Existimo sane posse fieri, ut aliquis, qui majore studio diligentiaque ritus et mores antiquorum observarit, aliquid, quod hunc locum illustret, invenerit; et hæc causa fuit, cur adnotarem: proposita enim hac quæstione, aut qui hoc deprehenderit, alios docere animum inducet, aut aliquorum ingenia ad id investigandum excitabuntur. Epigramma quoddam (ut quod ego hactenus indagavi, in medium proferam) satis argutum et elegans, sed parum integrum et purgatum Virgilii nomine legitur; in quo significatur turpes quasdam et obscœnas voluptates prope Tiberim exerceri solitas esse, ut de eadem fortasse re hic intelligi debeat, quod tamen non affirmo: nihil enim mihi de hoc compertum est. VICTOR. Vide num huic loco conveniant piscatorii ludi, de quibus Festus meminit in voce *piscatorii*, aut ludi Μαΐουμα, de quibus mentio est apud Suidam. URSIN. Ovidii versibus adductus sum, ut pro *dissensio* legendum putarem *decursio:* hoc facilius, quod Maffæi et Tertii veteres libri comprobant. Erat autem festus ille dies, quem Romani in honorem Fortunæ celebrabant. Ovidius, Fast. VI. 773. MAN.

Cap. 27. *Quia cum a Zenone*] Putat excellens ingenio Sigonius, cujus acquiesco sententiæ, abundare *cum*. P. MANUT. Secundam vocem cum Sigonio Manutioque non sustulerim; potius vero totum locum sic refinxerim, *Quia, cum a Zenone, inquam, tanquam ex oraculo editur*, virtus ad beate vivendum se ipsa contenta est; *quare?* inquirenti, *respondet*, quia nisi quod honestum est, &c. DAVISIUS.

Si ista mala] Sensus est: non impedio quo minus valetudinem, vires, reliquaque corporis, ut et eorum conficientia, dicas bona: sed si ista mala sunt in quæ potest incidere sapiens, dico satis ad beate vivendum non esse, ut aliquis sapiens sit. DAVISIUS.

Cap. 29. *Tecum enim, ut ait Theophrastus, mihi instituenda, &c.*] Quis non videt, verborum ordinem hic esse perturbatum? Quo modo enim potuit Theophrastus, qui multis annis, atque adeo sæculis, ante Lucium Ciceronem natus est, de eo cogitare, aut loqui? Sic igitur videtur legendum, *tecum enim, Luci, mihi instituenda oratio est. Omnis auctoritas philosophiæ, ut ait Theophrastus, consistit in beata vita comparanda*, &c. LAMB.

Acrionem Locros] Valerius Maximus VIII. 7. 3. Ext. ubi tamen *Arione* pro *Acrione* perperam scribitur, quemadmodum observat Davisius.

Vere, falsone, quæreremus] Victorius, Var. Lect. XV. 9. *Vere, falsone, quæremus;* supple, alias.

'Αταραξίαν] Vict. Man. Grut. ἀκακίαν.

Præscribi] Ex consuetudine jurisconsultorum, apud quos *præscribere*, est excipere. MAN.

Fecit] Lamb. *dixit*.

Desinis] Vict. Man. Grut. *definis*.

Cap. 30. *Cum expetenda*] Vict. Man. *quam expetenda*.

An hoc usquequaque, aliter in vita] Hæc sententia est. An hoc usquequaque, id est, in omni re, judicabis, nempe unumquidque esse appellandum ex majore parte. Verbi gratia, bonum id dicimus, quod plus habet boni, quam mali: et id dulce dicimus, quod plus in se continet dulcedinis, quam amaroris, et ita de cæteris. Aliter autem in vita se habere existimabis, et non de tota vita ex majore parte vitæ judicabis? id est, non judicabis eam vitam beatam esse, in qua plus sit boni, quam mali? LAMB.

Cætera] Man. Lamb. Grut. delent *cætera*.

Cap. 31. *Stoici scilicet*] Vict. Man. Grut. *Stoicis licet*.

Propter oculorum dolorem] Aut *oculorum* depravatum est, aut Cicero sibi non constat: nam Tusculana II. cap. 25. *renum* dolore Dionysium hunc laborantem memorat. P. MAN. In Tusculanis Ciceronem memoria lapsum putarim; cum Dionysium

hunc propter ὀφθαλμίαν a Stoicis descivisse tradat etiam Laertius, lib. VII. §. 37. 166. Dav.

Quis vero] Lamb. *quasi vero.*

Carneades Epicuri perfamiliaris] Adversantur rationes chronologicæ: nam Epicurus mortuus est anno secundo Olymp. CXXVII. Carneades autem quarto Olymp. CLXII. ut inter eorum fata CXLII. intercesserint anni. Quærendus igitur est alius, qui revera fuit Epicuro familiaris: Carneades enim Academicus philosophus intelligi non potest. Forsan autem latet *Corniades*, de quo Plutarchus Tom. II. p. 1089. C. ut legendum sit, *visitassetque hominem* Corniades *Epicuri perfamiliaris, et tristis exiret, Mane, quæso, inquit,* Corniade *noster,* &c. Idem.

TUSCULANARUM QUÆSTIONUM

LIBER PRIMUS.

DE CONTEMNENDA MORTE.

ARGUMENTUM.

Quomodo inscribendi sint hi Tusculanarum libri, docet Turnebus in fragmentum de Fato, *cap.* 2. *Dialogi forma scripti sunt interrogante uno, altero respondente. Personas colloquentes designant in libris hactenus excusis litteræ M. A. in quibus quid sit, utrum in priore* Marcus *an* Magister; *in posteriore* Atticus, Adolescens, Auditor, *certant curiosi; modico, ut videtur, operæ pretio; neque firmis admodum argumentis. Qui* Marcum, *hoc est, Ciceronem cum* Attico *videre colloquentem, volunt, ii pugnare possunt auctoritate Lactantii,* lib. I. Divin. Instit. cap. 15. *itemque Eliensium duorum codicum, quos vidit Davisius. Verum hic ipse et suorum codicum, et Lactantii auctoritatem elevans, Atticum ab his dialogis excludit.* Atticus enim, *inquit,* tum temporis senex erat; juvenis autem ille, qui cum Cicerone disputavit, ut patet ex lib. II. cap. 12. Hac igitur littera, quod etiam Lambinus vidit, *Adolescentem* denotari puto. *Ita Davisius. Huc facit quod is, quicum disputat Cicero, mortem ait esse* malum. *Secus Epicurei sentiebant, quos Atticus sequebatur. Alii, quibus placet* Auditor, *præsidio habent hæc e lib. I. cap.* 4. Ponere jubebam, de quo quis audire vellet...Fiebat autem ita, ut cum is, qui audire vellet, dixisset, quid sibi videretur, tum ego contra dicerem. *Quid si autem illas Cicero litteras non apposuerat? Earum sane nullum extare in libris manuscriptis vestigium testis est Lambinus; neque, dissentiens a Lambino, Davisius ullum vidisse se affirmat, nisi in illis, quibus fidem ipse non habet, Eliensibus. Est hic Lutetiæ in bibliotheca regia vetustus, a Salmasio,* in Prolegomenis ad Solinum, *laudatus codex Tusculanarum Quæstionum: in quo nec litteras* M. A. *neque ullam videre est notam loquentium personarum. Unde ergo in libris sunt vulgatis? Omnino ex eorum, qui olim ediderunt, diligentia, lectoribus eas cavente tenebras, quæ oriri ex ignorata personarum mutatione possunt. Proinde ego, in re tam incerta, neque tanti porro, integrum mihi esse existimavi, id malle, quod opportunius ad intelligendi facilitatem videretur. Cujusmodi visa sunt vocabula,* Marcus: Auditor. *Si quis litem movet, erit certe de vocibus tota.* Olivet.

Cap. 1. *Annis enim fere* CCCCX.] Dubio procul excidit numerus centenarius. Testatur quidem Ursinus in suo Ms. legi IↃXIV. librariumque ex DXIII. facili lapsu DXIV. fecisse censet. In Fastis sane Claudii et

Tuditani consulatus ad A. U. C. DXIII. refertur. At quemadmodum testatur Cicero in Bruto cap. 18. *Livius primus fabulam, C. Claudio Cæci filio et M. Tuditano consulibus, docuit, anno ipso antequam natus est Ennius; post Romam conditam autem, quarto decimo et quingentesimo;* adeo ut ille codex calculum suppeditet, quem alibi Tullius est secutus. Immo vero nullus dubito, quin ex hoc loco refictus sit iste liber; Noster enim paucos annos sciens prætermisit, quia non erat cur chronologiam nimis anxie traderet. De ea vide Jos. Scaligerum ad Eusebii Chron. DAV.

Anno ante natum Ennium, qui fuit major natu, quam Plautus et Nævius] Videtur Cicero dicere, Ennium Plauto, Nævioque, natu esse majorem. Sed secus se res habet. Quippe provocabulum relativum *qui*, non Ennium respicit, sed Livium. Ut sententia sit, Livium, non Ennio modo antiquiorem fuisse, de quo satis liquet: ut quem dixerit demum natum esse, cum Livius jam primam fabulam docuisset: sed ipso etiam Plauto, Nævioque: de quibus minus erat apertum. G. J. VOSSIUS. Pronomen relativum non ad Ennium, sed ad Livium respicere censet G. J. Vossius de Hist. Lat. lib. I. cap. 2. Incommode quidem; præterquam quod nulla fuit unquam controversia, quin Livius Nævium et Plautum ætate præcesserit, siquidem Romanorum primus fabulam dederit. Vide Quintilianum Inst. Orat. lib. X. cap. 2. Ego sane cum multis exemplis Tullium non ἀναμάρτητον esse deprehenderim, nullus dubito, quin σφάλμα μνημονικὸν hic admiserit; Nævius enim fuit Ennio vetustior. Vide Ciceronem in Bruto cap. 15. 18. 19. et Agellium N. A. lib. XVII. cap. 21. Immo Plautus ipse prius fato cessit quam Ennius, sed quot annos natus obierit, haud constat. DAV. Ms. Reg. Luparensis, in editione Verburgii ad marginem citatus, omittit voces *et Nævius*, quas omittendas esse potius puto, quam cum Davisio credam Ciceronem hic σφάλμα μνημονικὸν admisisse. At legendum fortasse est, *quam Plautus*, ut *et Nævius:* id est, ut et Nævius fuit major natu quam Plautus. Satis constat, Nævium antiquiorem fuisse Ennio, utrumque Plauto. PEARC.

Cap. 2. *Est in Originibus*] M. Porcii Catonis opus, qui *senex scribere historias instituit, quarum sunt libri septem. Primus continet res gestas regum P. R. Secundus et tertius, unde quæque civitas orta sit Italica, ob quam rem omnes* Origines *videtur appellasse*, ut ait Corn. Nepos in vit. cap. 3. Eliens. tert. et Petrens. hic exhibent, *gravissimus auctor Cato in Originibus solitos dicit esse canere convivas ad tibicinem*, quod glossema est ex lib. IV. cap. 2. huc traductum, ubi hæc sunt verba: *Gravissimus auctor in Originibus dicit Cato morem apud majores hunc epularum fuisse, ut deinceps qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum hominum laudes atque virtutes.* Eandem consuetudinem memorant Varro apud Nonium *in assa*, Cicero in Bruto cap. 19. Valer. Max. lib. II. c. 1. 10. et Quintil. lib. I. cap. 10. Eamque lege sancitam voluit Noster de Leg. lib. II. cap. 24. DAV.

Si Fabio] De quo Sigonius. Vide in *Bruto*, cap. 21.

Cap. 3. *Latini libri.... non satis eruditis*] Amafanium notat aliosque nonnullos ex Epicuri grege, quos eo nomine perstrinxit etiam lib. I. Acad. c. 2. Adi sis et Tusc. IV. 3. IDEM.

Illa manabant] *Illa* sc. *disponere, illustrare*, et *delectatione afficere lectorem.* Sed mihi, fateor, fere persuasum est Ciceronem scripsisse *manabat*, ut hoc verbum ad *oratoriam laudem* respiceret, quæ proxime præcesserat. PEARC.

Cap. 4. *Isocratis rhetoris gloria*] Vide Cic. de Orat. II. c. 35. IDEM.

Dicere etiam cœpit, adolescentes docere, et prudentiam cum eloquentia jungere] Video te (Davisium, quod semel dicam, semper alloquitur) hæc cum vulgo sic accipere, ac si asyndeton esset, pro *cœpit dicere, et do-*

cere adolescentes. Perperam quidem: quippe auferendum illud comma, et sine interpunctione legendum: *dicere etiam cœpit adolescentes docere:* hoc est, cœpit docere adolescentes etiam artem dicendi. Sic infra Tusc. I. 18. *Aristoxenus hæc magistro concedat Aristoteli;* canere *ipse* doceat. Græci, διδάσκειν τοὺς νέους λέγειν. Rich. Bent.

Ita nos studiose operam dedimus] Lambino assentior delenti *operam*, quem secutus est Janus Gebhardus, *Crepund. lib.* I. *cap.* 23. nec tamen nego ei voci posse præsidium esse in hoc versu, *Prolog. in Casin. Plaut.* 22.

Benigne ut operam detis ad nostrum gregem. Buherius.

Scholas] Disputationes; quo sensu *pomeridianas scholas* dixit Quintilianus III. 1. Noster infra III. 34. *Separatim certæ* scholæ *sunt de exilio... Hæc Græci in singulas* scholas *et in singulos libros dispertiunt.* Et de Fin. II. 1. *Ne me tanquam philosophum putetis* scholam *aliquam vobis explicaturum.* Augustinus C. D. lib. II. c. 7. *An forte nobis philosophorum* scholas *disputationesque memorabunt?* Sic τὴν γενομένην ΣΧΟΛΗΝ περὶ τοῦ ἀκούειν memorat Plutarchus Tom. II. p. 37. Vide sis et Arrianum Epict. lib. IV. c. 9. p. 424. et Diogenem Laertium X. 26. Davis. Omissum nolim, quod animadvertit in Anglica scriptione quadam Phileleutherus Lipsiensis, hoc est, Richardus Bentleius, has quæstiones non ejusdem esse generis, cujus illæ sunt, quæ vel præcessere, *Academicæ*, et *de Finibus;* vel sequentur, *De Natura Deorum*, et *De Divinatione*. Hæ Tusculanæ in morem scholarum, quas habebant Græci, sunt compositæ: aliæ sunt proprio nomine disputationes. In *disputationibus* agunt philosophi, et sui quisque ordinis et sectæ proprias sententias ita defendunt, ut quod mente præceptum attulerant, domum reportent. Quod enim a disputantibus philosophis fieri videbat Cicero, et nos quoque videmus, id in his servabit fictis disputationibus, ne quis forte dubitaret esse philosophos, si videret cedentes veritati. In *scholis* unus est qui velit doceri; alter, qui doceat. Auditor nihil defendit, non repugnat, parce loquitur, neque alio fine, quam ut alteri det causam loquendi, atque explicandi. Anonym.

Cap. 6. *Quid miserius, quam omnino nunquam fuisse*] Alia interpunctione sic distinguenda videtur sententia, *quid, miserius, quam omnino nunquam fuisse?* Pearc.

Cap. 7. Ἀξίωμα] Ad hunc locum respicit Agellius N. A. XVI. 8. *Quicquid ita dicitur plena atque perfecta verborum sententia, ut id necesse sit aut verum aut falsum esse, id a dialecticis* ἀξίωμα *appellatum est ... a M. Cicerone* pronunciatum, *quo ille vocabulo tantisper uti se attestatus est*, quoad melius, *inquit*, invenero. Quod si alia veterum loca desideres, ea suppeditabit Æg. Menagius ad Laert. VII. 63. Dav.

Cap. 8. *Quia si* mori *etiam mortuis miserum esset, infinitum quoddam et sempiternum malum haberemus* in vita. *Nunc video calcem: ad quam cum sit decursum, nihil sit præterea extimescendum*] Ita omnes, credo, editiones, saltem quas ipse viderim. Sed aut ego dialectica perversissime didici; aut falsissimum est quod hic infertur ut consequens. Quid enim? concedamus mori etiam mortuis miserum esse; ideone *in vita* sempiternum malum haberemus? minime vero: nam certe non ante mortem. Sed noli credere Ciceronem tam prave et inscite argumentari: sic enim lege et distingue. *Quia si* mors *etiam mortuis miserum esset, infinitum quoddam et sempiternum malum. haberemus.* In vita *nunc video calcem;* &c. Vides, opinor, novam jam lucem exoriri. *Mors* lego, non *mori:* hoc enim in puncto temporis fit; illa sempiterna. Sic cap. 5. Malum *mihi videtur esse* mors. *Est* miserum *igitur, quoniam malum.* Cæterum geminus huic locus est lib. I. c. 41. *Intelligamusque, si mors malum: nam vitæ miseræ mors finis esse videtur;*

mortis, si est miserum, finis esse nullus potest. Bentleius. Intelligere hæc noluit vir doctissimus, qui mutare voluerat. Sic opinor intelligenda. Fateris mortuos non eo esse miseros, quod sint mortui, et vita careant. Vide ista confessione *quantum mali de humana conditione dejeceris.* Etenim cum nascamur omnes ea conditione et lege, ut moriamur, cum esse mortuum sit sempiternum, et in tempus infinitum duret vitæ privatio; si mortui eo essent miseri, quod mortui sunt, *haberemus in vita,* cum vita acciperemus, malum *quoddam infinitum et sempiternum.* Si non essemus nati, si vitam non accepissemus; ea non privaremur, neque possemus in sempiternum et infinitum tempus esse miseri. Fassus es non esse miseros, qui nati non sunt, quia nempe vitam non habuerunt. Si ergo vitam non habuissent mortui, carerent illo sempiterno et infinito malo, quod est in privatione vitæ: illis ergo vita sempiternum illud malum attulit; acceperunt illud cum vita, et in vita quasi inclusum habuerunt. Anon.

Epicharmi, acuti nec insulsi hominis, ut Siculi] Si Laertio fides VIII. 78. erat Κῷος... τριμηνιαῖος δὲ ὑπάρχων ἀπηνέχθη τῆς Σικελίας εἰς Μέγαρα. Hinc ejusdem libri §. 7. Ἡλοθαλῆ τὸν Ἐπιχάρμου τοῦ ΚΩΌΥ πατέρα memorat. Sane de ejus patria inter auctores non convenit, ut ex Suida liquet. Plerique tamen eum *Siculum* dicunt; is autem populus ob acumen erat nobilis. Hinc Siculis facetias tribuit Noster de Orat. lib. II. cap. 54. Idem.

Cap. 9. *Catus Æliu' Sextus*] Vox *Catus* scribenda est, opinor, cum majuscula littera initiali: nam cognomen fuit Sexti Ælii *Cati,* et ab eo derivatum in familiam Æliorum transiit, ut testatur Plinius in Nat. Hist. VII. 31. *Reliquis animi bonis præstitere cæteros mortales sapientia: ob id* Cati, *et* Corculi *apud Romanos cognominati.* Pearcius.

Empedocles animum esse censet cordi suffusum sanguinem] Huic philosopho eandem opinionem tribuunt Tertullianus de Anim. cap. 5. et Macrobius in Somn. Scip. lib. I. cap. 14. nec deerat ansa, cur ita se gererent;

Αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα,

ut ille cecinit. Extat apud Stobæum Eclog. Phys. p. 131. et eos, quos laudat Menagius ad Laertii VII. 159. Ejus tamen auctorem Critiam facit Philoponus ad Aristotelem de Anim. cap. 8. et is sane animum e sanguine constare dixit, ut perhibent veterum multi. Eadem fuisse videtur Hebræorum veterum sententia; quemadmodum patet ex Genes. IX. 5. Hoc loco prolato sic loquitur Chalcidius in Platonis Timæum §. ccxvii. *Quæ si ita intelliguntur ut debent, animam esse animalium sanguinem, quia sit vehiculum irrationabilis animæ, cujus partes sunt importuni appetitus; habet plane rationem talis assertio.... Rationem qua ratiocinamur, sanguinem putare esse, non rectæ opinionis est.* Post corporis quidem fata μένειν ψυχὰς crediderunt Hebraici, quod e Pythonissa Samuelem evocante merito collegit Justinus Martyr Dial. cum Thryphon. p. 333. Ac, ut puto, non ipsum sanguinem esse animum, sed animi sedem existimavit Empedocles; hoc enim diserte tradit Plutarchus Plac. Phil. lib. IV. cap. 5. et in Stromat. apud Eusebium P. E. lib. I. cap. VIII. pag. 24. Immo necesse est ita se res habeat, siquidem animorum æternitatem docuit, ut inter alios referunt Lactantius III. 18. et Theodoretus Therap. V. p. 73. Hinc ille,

Χαίρετ', ἐγὼ δ' ὔμμιν θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητὸς
Πωλεῦμαι μετὰ πᾶσι τετιμένος....,

Adi Diogenem Laertiem VIII. 62. Sextum Empiricum advers. Mathem. p. 60. Anthol. lib. I. cap. 86. Philostratum vit. Apollonii I. 1. et Suidam in Ἐμπεδοκλῆς. Davis.

Animum autem alii animam; ut fere nostri declarant nomen. *Nam et agere animam et efflare dicimus, et animosos, et bene animatos, et ex animi sententia. Ipse autem animus ab anima dictus est.*]

Non incommode, opinor, ut et tu propemodum conjeceras, legere possis; *alii animam, ut fere nostri: ipsum declarat nomen.* Ita Tuscul. III. 5. *Totum igitur id quod quærimus quid et quale sit, verbi vis ipsa declarat.* Div. I. 42. *Quorum ostentorum vim, ut tu soles dicere, verba ipsa prudenter a majoribus posita declarant.* Sed dic, sodes, quid sibi velint aut quo pertineant illa quæ sequuntur? Equidem hic nihil video, neque possum animo concipere, quo tandem pacto declaretur *animum* esse *animam* (hoc est aerem) ideo quod Latine dicant *animosus*, et *ex animi sententia.* Nihil stolidius absurdiusve dici potest. *Animosus*, inquit, et *animatus* derivatur ab *animo:* ergo qui hæc derivata primi finxerunt, declararunt se credere *animum* esse *animam.* Haud vidi magis. Fruantur per me suo judicio, qui a Cicerone hujusmodi quid proficisci posse existimant. Tu, si sapis, totum hoc, quod a mala manu notatum e margigine in textum irrepsit, recide: et sic locum constitue: *animum autem alii animam; ut fere nostri: declarat nomen ipsum: nam animus ab anima dictus est.* BENTLEIUS. Hunc locum minori, quam Bentleius, mutatione sic restituo: *animum autem alii animam, ut fere nostri. Ipsum declarat nomen. Nam et agere animam, et efflare dicimus. Dicimus et animosos, et bene animatos, et ex animi sententia. Ipse autem animus ab anima dictus est.* Quæ verba hunc mihi sensum offerunt. Aliqui putant animam nihil esse nisi auram quandam. In his sunt Romani: quod usus ipse nostri sermonis comprobat: dicimus enim *agere animam*, &c. Vocibus quidem aliis utimur, quæ videantur propius ad *animum* accedere: sed tenue discrimen est: nam ab *anima* est *animus.* Sic ego hæc explicari oportere judico. Veri quidem similius videtur vocem Latinam *animus* fluxisse a Græca ἄνεμος, quæ communis sententia est. At enim non tam quid in re sit, quærimus, quam quid in verbis Ciceronis. BUHERIUS.

Cap. 10. *Sed hæc quidem quæ dixi, cor, cerebrum, animam, ignem, vulgo: reliqua fere singuli, ut multi ante veteres*] Quid vero est, quo referatur illud *ante?* quomodo autem, si *singuli* reliqua tenebant, eadem tamen et *multi?* Enimvero in omnibus quas vidi editionibus, labefactatur hic locus a prava distinctione: quæ eo demum inhonestior est, quod, ut nuper editione Batava, novum hic caput inchoetur. Tu sic distingue, et sequentia cum prioribus connecte. *Sed hæc, quæ dixi...vulgo: reliqua fere singuli: ut* multo *ante veteres, proxime autem Aristoxenus musicus idemque philosophus, ipsius corporis intentionem quandam, velut in cantu et fidibus, quæ harmonia dicitur.* Quorum hæc est sententia: animum esse cor, sanguinem, &c. vulgo est creditum: reliquas opiniones singuli auctores tuentur: ut ignem Zeno, numerum Xenocrates, ἐντελέχειαν Aristoteles, *harmoniam Aristoxenus proxime* quidem, sed non primus, neque solus: nam *multo ante eum veteres in eadem erant sententia.* Hoc verum esse constat ex Platone (*in Phæd. et Tim.*) et Aristotele (*de Anima.* I. 4.) Repone insuper *multo ante*, non *multi;* ut mox cap. 10. de hac ipse re: *et tamen dixit aliquid, quod ipsum quale esset, erat* multo ante *et dictum et explanatum a Platone,* BENTLEIUS.

Cor, sanguinem] Vulgo deest vox ultima, cui sedem suam dedimus ex antiquo codice, quem laudat Paulus Manutius. Ratio est in promptu; hanc etiam sententiam inter reliquas numeraverat Cicero, quam memorat etiam postea cap. 11. 25. DAVIS.

Xenocrates animi figuram et quasi corpus negavit esse: verum numerum dixit esse, cujus vis in natura maxima esset] Codex vetus Sigonii, quod tu in notis tuis attingis, *negavit esse ullum: verum numerum dixit esse.* Unde P. Manutius, τῷ *verum* ejecto locum restituisse sibi visus est. Tu autem illud *verum* retines; et non, ut ille, pro adjectivo, sed pro conjunctione accipis, ut nunc vulgo faciunt:

vel ex codice tuo scripto probas, *illum vero numerum dixit esse.* Atqui illud pro Manutio dicere liceat, utramvis conjunctionem, seu *verum* sive *vero*, dure hic et coacte versari: neque enim sententia tale quid postulat. Alter ex tuis manuscriptis, et vetustior, et fidelior, cum Sigoniano fere consentit: habet enim *negavit esse illum*, et pro varia lectione *ullum: verum* autem similiter agnoscit. Lego una litterula mutata: *Xenocrates animi figuram et quasi corpus negavit esse* ullum: merum *numerum dixit esse, cujus vis, ut jam ante Pythagoræ visum erat, in natura maxima esset.* Eleganter, ni fallor, *merum numerum* ψιλὸν ἀριθμὸν, merum et purum sine figura et corpore. Ita Noster sæpe alibi; *meræ nugæ, mera monstra, solitudo mera, meræ proscriptiones, meri Sullæ.* Cæterum de Xenocratis sententia aliud plane narrat in Lucullo, c. 39. *Tresne partes habeat animus, an simplex unusque sit? si simplex, utrum sit ignis, an anima, an sanguis? an, ut Xenocrates,* mens *nullo corpore? quod intelligi, quale sit, vix potest.* Ergo qui hic *numerum* esse animum statuit, ibi *mentem* esse vult. Neque tamen quidquam vel in codicibus varietatis est, vel editoribus dubitationis. Tu vero fidenter repone *numerus nullo corpore;* quod cum scriberetur *nums*, facilem errori ansam porrigebat. *Mens* vero et per se cum sententia loci, et alias cum historia pugnat. Nemesius de Natura hominis cap. 11. pag. 70. Πυθαγόρας δὲ ὡρίσατο τὴν ψυχὴν ἀριθμὸν ἑαυτὸν κινοῦντα, ᾧ καὶ Ξενοκράτης ἠκολούθησεν. Hoc est, *Pythagoras definivit animum, numerum seipsum moventem: quem et Xenocrates secutus est.* Bentleius. Cum Xenocrates animum *numerum se moventem*, ἀριθμὸν ἑαυτὸν κινοῦντα dixerit, mirum videri posset, cur Acad. II. 39. pro Xenocratis sententia animum esse *mentem nullo corpore* statuerit. Sed hæc re conveniunt, verbis tantum discrepant. Plutarchus, de Plac. Phil. lib. IV. cap. 2. Πυθαγόρας (ἀπεφήνατο τὴν ψυχὴν) ἀριθμὸν ἑαυτὸν κινοῦντα. ΤΟΝ ΔΕ ΑΡΙΘΜΟΝ ΑΝΤΙ ΤΟΥ ΝΟΥ παραλαμβάνει. Vide et lib. I. Acad. cap. 11. Davis.

Cap. 11. *Cuperem equidem utrumque, si posset: sed est difficile* confundere] In Lambini et Aldi Nepotis, et credo in aliis plerisque ante Gruterum editionibus sic habetur, *sed est difficile* non *confundere.* Hoc, opinor, ab iis invectum est, qui sententiam ipsam crederent particulam illam flagitare. Quid ergo? an difficile erat *non confundere* sententias tam varias, tam inter se diversas? Quas enim enumeraverat, fere erant hæ; *animum esse cor, aut sanguinem, cerebrum, animam, ignem, harmoniam, numerum,* ἐντελέχειαν, *nihil.* Crassa profecto Minerva fuerit, qui has tam dissidentes non sine confusione tractare et dijudicare poterit. Sed in nullis usquam codicibus repertum est illud *non:* quod idcirco Victorius omiserat, in ea re plerumque fidus, ne dicam superstitiosus. Quin et a suis omnibus abfuisse testatus est Gebhardus; sicque manum de tabula tollit, quasi insititiæ particulæ ejectione res confecta esset, et sententia explicata: quæ, aut multum ego fallor, aut eo magis hæret et impedita est. Quid enim, obsecro, sibi volunt, *sed est difficile confundere?* Enimvero potius distincte, distribute, enucleate scribere difficile est, confundere, dormitare, labi longe facillimum. Quorsum autem *difficile*, quasi vero id *studio et data opera* fieret, et in orationis virtutibus esset, ut res *confunderentur?* Apage lectionem tam stultam, tam portentosam. Viderunt scilicet hoc, qui illud *non* invitis codicibus introduxerunt: viderunt quoque, credo, qui rursum ejecerunt; sed cum loco labanti medicinam non reperirent, silentio rem dissimulare prudenter est visum. Ego vero, cum in uno ex tuis codicibus *confundere*, in altero *confutare* vidissem exhiberi; continuo ex ipsa sententia veram lectionem extudi, quæ sic se habet: *cuperem equidem utrumque, si posset;* esse *difficile* confitere: hoc est, *confiteris.* Atque hæc emen

datio ex ipso solo quasi sponte nascebatur.' Dixerat enim Cicero, *quæ ex his sententiis vera sit, supra hominem esse dijudicare; quæ veri simillima, magnam et arduam quæstionem esse.* Ergo quod ipse confessus erat esse difficile, modestus interlocutor veritus est ab eo exigere. BENTLEIUS. Conantur critici hæc refingere. Sed nihil opus est. *Confundere* est miscere multa diversi generis, *quasi cum una multa jura confundit coquus,* ut ait Plautus alicubi. Velim, inquit Ciceroni Auditor, docere me possis, quid sit de animæ natura sentiendum. At enim difficile est agere hæc simul, et in unam disputationem includere res varias ac multiplices. Si ergo mortis metum excutere possumus, sine hac disceptatione; eam sane omittamus. *Sin id non potest* fieri, ut liberemur mortis metu, *nisi hac quæstione* de natura *animorum explicata, nunc, si videtur* tibi, *hoc* agamus, et in quæstione animorum immoremur; *illud* argumentum de mortis abigendo metu, in quod eramus ingressi, exequemur *alias.* BUHERIUS.

Ejus eum librum, qui est de animo] Phædonem dicit. DAVIS.

Cap. 12. *Quos* Cascos *appellat Ennius*] In illo versiculo, quem laudat Varro L. L. lib. VI.

Quam primum casci *populi genuere Latini.*

Hieronymus epist. 42. *Rudes illi Italiæ homines, quos* cascos *Ennius appellat.* Plura vide sis apud Hier. *Columnam* ad *Ennii* Fragm. pag. 14. Quin et *casce loqui* dixit Agellius N. A. lib. I. cap. 10. IDEM.

In cæteris humi retineretur, *et* permaneret *tamen*] Tres codices Lambiniani *in cæteris humi* retineret, *et* permanerent *tamen:* cum quibus fere conveniunt alii nonnulli Mss. Sed retinenda recepta lectio; hæc enim ad *vitam* sunt referenda. Sensus est, mortem animos hominum vitiis deditorum humi retinere, ita tamen ut non pereant, sed durent adhuc maneantque. Multorum sane philosophorum mentibus inhæsit, bonos corpore liberatos in cælum recta pergere; malorum vero animas circa tumulos oberrare. Hanc opinionem luculenter explicant Plato in Phædone pag. 386. 398. et Hierocles in Aur. Carm. 69. 70. eamque secutus est Origenes. Vide lib. VII. in Cels. p. 334. et P. D. Huetii Orig. lib. II. qu. VI. 17. seq. Plura suppeditabit Just. Lipsius Phys. Stoicæ lib. III. c. 14. DAVIS. An locus sic legendus? *quæ claris viris et fœminis dux in cælum soleret esse: cæteros humi retineret, et permanerent tamen.* Primum τὸ *in* ante *claris* videtur irrepsisse in textum: deinde τὸ *cæteros* in *cæteris* mutatum. GUIETUS.

Liber Semele natus] Aut valde fallor, aut scripserat *Semela* ex antiquo usu linguæ Latinæ, quem demonstrarunt Obertus Gifanius, in indice Lucretiano, v. *Effigia*, G. J. Vossius, *De Analog.* lib. II. cap. 2. Claudius Dausquius, *Orthograph. Part.* I. *p.* 56. 57. Jacobus Cujacius, *Observat.* XII. 18. Ea consuetudo post Augusti ætatem vix tenuit: in edendo tamen Cicerone retinenda. BUHER.

Cap. 13. *Majorum gentium dii*] Ad hunc locum respicit Augustinus C. D. lib. VIII. cap. 5. Majorum vero gentium deos quos etiam *Consentes* vocabant, hoc disticho complexus est Ennius:

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi', Neptunus, Volcanus, Apollo.

Id exhibent Apuleius de Deo Socr. et Martianus Capella lib. I. DAVIS. Per metaphoram. Nam senatores illi centum, quos legit Romulus, appellati sunt *majorum gentium.* Centum illi quos legit Tarquinius Priscus, *minorum gentium.* Hoc transtulit, ac festive quidem, Cicero ad deos electos ad adscriptitios. GUIETUS.

Ut porro firmissimum] Cum non sequitur vel *sic*, vel *ita*, vel ulla alia hujusmodi particula, Lambinus censuit scribendum fuisse, *at porro firmissimum.* Celeberrimus vero Buherius (cujus et acumini et doctrinæ

multum debent hæ *Tusculanæ disputationes*, ut et libri *de Natura Deorum*) legit *et porro firmissimum*. Mihi quidem nihil mutandum videtur, si hæc possit esse constructio sententiæ, *hoc porro videtur afferri ut firmissimum*, id est, tanquam firmissimum. Pearc.

Nec vero id collocutio hominum, aut consensus efficit] *Consensus* ex collocutione. Ita *sentiunt* omnes, inquit Petrus Victorius, *quamvis consensio nulla hominum intercesserit, neque ita inter se ipsi pepigerint*. Itaque consensus hic est pactio, et ut jurisperiti vulgo loquuntur, *conventio*. Anonymus.

Cap. 15. *Nec funera fletu faxit*] Est in veteri codice Leydensi: *nec funera lessum*. Quod tenendum videtur. *Funeram* dicebant feminam, ad quam funus pertinebat, et in exequiis præcinebat ejulationem funebrem, hoc est *lessum*. Quam vocem huic significandæ rei maxime propriam, sed minus notam librarii scriptores mutarunt, et *fletum* substituerunt, tum hoc, tum aliis pluribus in locis. Quod miror non animadvertisse Josephum Scaligerum, cum in Catalectis hos Enniani epitaphii versus explicaret. At ille quidem scite exposuit quæ ad *funeram* attinent; itemque G. J. Vossius in *Etymolog. Ling. Lat.* v. *Funus* et v. *Lessus*. Buherius.

Phidias sui similem speciem inclusit in clypeo Minervæ] Hanc historiam refert Aristoteles de mundo cap. 6. Ejus verba Latine reddit Apuleius p. 746. *Phidiam illum .... vidi ipse in clypeo Minervæ .... oris sui similitudinem colligasse, ita ut siquis olim artificis voluisset exinde imaginem separare, soluta compage, simulacri totius incolumitas interiret*. Eodem respiciunt Valerius Maximus lib. VIII. cap. 14. 6. et Noster de Orat. II. 17. Davisius.

Cum inscribere non liceret] Moris erat, ut fictores nomina sua statuis insculperent. Plinius H. N. præf. *Pingendi fingendique conditores invenies absoluta opera ... pendenti titulo inscripsisse, ut* Apelles faciebat *aut* Polycletus. Idem.

Cap. 16. *Easque formidines*] Hoc loco *formidines*, quod opinor esse hactenus observatum a nemine, haudquaquam timores sunt ac metus; sed eorum causæ. *Formido* veterum superstitione consecrata, quam Hyginus, in aditu fabularum, natam ait *ex Venere et Marte*, fingebatur uti spectrum quoddam, cujus officium terrere mortales, unde etiam *terricula* dicebatur. Idem ille scriptor, Fabul. 145. de Vacca, in quam conversa Io fuerat: *Juno Formidinem ei misit, cujus timore exagitata*, &c. Virgilius Æneid. XII. 335. de Martis comitatu, *Circumque atræ Formidinis ora, Iræque, Insidiæque*, &c. *Formidines* dixit Cicero ad emphasim, quemadmodum Lucilius in fragmento, quod servavit Lactantius, *Instit. Div. lib.* I. 22.

Terriculas, Lamias, Fauni quas, Pompiliique
Instituere Numæ. Buherius.

Homeri tota Νεκυία] Ita vocatur Odyss. XI. quod in eo libro Ulysses inferos adiisse, et cum umbris collocutus esse fingitur. Vide Eustathium. Davisius.

Ea, quæ meus amicus Appius Νεκυομαντεῖα *faciebat*] Nec vitio caret hæc scriptura; non enim νεκυομαντεῖα, seu locos ubi responsa dant manes evocati, *facere*, sed iis *uti* solebat Appius. Vide lib. I. de Divin. cap. 58. Forsan igitur, cum nonnulli libro νεκρομαντεῖα, alii ψυχομαντεῖα, reliqui νεκυομαντεῖα dent; eæ varietates librarii produnt additamentum, meritoque Pet. Ciacconius illud verbum, quodcumque sit, abundare statuit; aut, quod probabilius videtur, cum acutissimo Bentleio legendum, νεκυομαντεῖα *consulebat*. Non absurde tamen legeris, νεκυομαντεῖα *adhibebat*. Idem.

Unde animæ, &c.] Deseris hic Gebhardum, qui ex manuscriptis suis dederat *salso sanguine*; ut et prius conjecerat Turnebus: qui quidem *salsum sanguinem* quasi perpetuo epitheto a Latinis veteribus tragicis dictum autumat. Mirum tamen, san-

guinem, qui non sit, salsum appellari: et præterea loca sunt suspecta, ne addam aperte mendosa; ut illud Ennii ex Cresphonte apud Macrobium VI. 2.

Neque miseræ lavere lacrimæ salsum sanguinem.

Ubi reponendum cum viro summo Gerhardo Vossio, *lacrimis salsis*. Citatur etiam ex Accii Phinidis apud Nonium in Lavit:

Salsum cruorem guttis lacrimarum lavit:

Sed rectius hodie editur, *salsis cruorem*, &c. Quare abeat Gebhardus cum insulsa illa lectione, *salso sanguine:* et videamus, si quid in altera melioris sit frugis. Vossius imagines mortuorum *falso sanguine* dici existimat, *quia non sunt id quod videntur: quippe exsangues umbræ duntaxat.* Sed paucis, credo, approbabit hanc interpretationem. Durus et ferreus poeta sit, qui sic loqui sustineat: potius *falso corpore:* nam *sanguis* ne in viventibus quidem videri potest, nisi vulneratis. Quid ergo? an conjecturam meam expetis? Equidem sic locum constituerim;

Unde animæ excitantur, obscuræ umbræ, *aperto ostio*
Alti Acherontis, fuso *sanguine, mortuorum imagines.*

Umbræ sunt ipsæ animæ; ut Virgilius, *Exsangues territat umbras. Fuso* autem *sanguine* non cum Vossio ad *imagines* refero, sed ad *excitantur. Unde,* inquit, *excitantur fuso sanguine.* Scis, opinor, hæc omnia ex Homeri Νεκυίᾳ Odyss. λ'. esse desumpta: ubi animæ mortuorum ad sanguinem fusum advolabant, nec nisi eo degustato proloqui quidquam poterant. Bentleius.

Cum honore et *disciplina, tum etiam auctoritate*] Hic (inquit Bentleius) copulantur duæ voces *honore* et *disciplina*, quæ vix ullam habent affinitatem aut similitudinem. Particulæ etiam (addit) *cum* et *tum* disjungunt voces *honore* et *auctoritate,* quasi res essent plane diversi generis. Legendum igitur idem vult, *cum* more *et disciplina, tum etiam auctoritate.* At mihi potior videtur emendatio, quam nuper protulit popularis noster, doctissimus Warburtonus, qui (leviore vulgatæ lectionis mutatione) legit, *cum honore* ex *disciplina, tum etiam auctoritate.* Ciceroni (ait) propositum fuit in hoc loco non naturam Pythagoræ philosophiæ memorare, sed eam gloriam quam Pythagoras habuit apud civitates Magnæ Græciæ. Hunc illæ civitates tum philosophum, tum legislatorem agnoverunt: *honos* igitur *ex disciplina* hic respicit ad primum illum Pythagoræ characterem, *auctoritas* vero ad secundum. Ne quis vero dubitet, an satis Latine dicatur *honos ex disciplina,* animo comtempletur id quod Cicero dicit in orat. pro. Sex. Roscio cap. 50. *quanto honore ipsa ex illorum dignitate afficeretur.* Pearc.

Cap. 17. *Num igitur dubitamus:* an, *sicut pleraque, sic et hoc? quanquam hoc quidem minime: persuadent enim mathematici, terram in medio mundo sitam ad universi cæli complexum quasi puncti instar obtinere*] Quocunque te verteris, nunquam hercle efficies, ut hæc oratio recto pede incedere videatur. Quo enim referes illud *an?* Vides, opinor, sententiam mutilam et claudicantem. Quod et ille recte deprehendit, qui in codice tuo sic interpolavit, *an sicut pleraque, sic et hoc sub dubitatione accepimus?* Certe admisso illo *an*, necesse est ejusmodi quid sequatur. Quod tamen cum nullus alius codex agnoscat, tutior et facilior medicina quærenda est. Dele igitur *an;* et sic lege ac distingue: *Num igitur dubitamus, sicut pleraque, sic et hoc? (quanquam hoc quidem minime: persuadent enim mathematici) terram ... quasi puncti instar obtinere?* Nullæ jam salebræ relictæ sunt; omnia complanata. Num, inquit, dubitamus terram instar puncti esse, sicut pleraque dubitare solemus nos Academici? immo hoc quidem minime: nam mathematicis rationi-

bus convicti manus dare et assentiri cogimur. Bentleius.

Reliquæ duæ partes, una ignea, altera animalis, ut illæ superiores (terrena et humida) *in medium locum mundi, gravitate ferantur et pondere, sic hæ rursum* (vel sursum) *rectis lineis et cælestem locum subvolent, sive* ipsa natura *superiora appetente, sive quod a gravioribus leviora natura repellantur.*] Ubi primum hæc legeram, continuo subodoratus sum mendum subesse. Quid enim illud, *ipsa natura?* nihil profecto aliud, quam *natura rerum communis:* atqui illa haud magis *superiora* appetit, quam inferiora, sive media. Ergo falsum hoc et absurdum, ideo ignem et ærem cælum versus subvolare, quod *ipsa natura* superiora appetat. Legebam igitur, *sive* ipsæ *natura superiora* APPETENTES. Ubi *natura* perinde est ac *natura sua.* Postea vero inspecta Lambini editione, animadverti virum doctissimum τὸ *appetentes* ex veteri codice protulisse, *ipsæ* autem ex conjectura. Et tamen hic est, quem ubique bonus ille Gebhardus præ se contemnit, sugillat, conculcat: quo, si verum amamus, tam longe inferior ipse est, ut nullo modo sit comparandus. Bent.

Horum igitur aliquid animus est, &c.] Hoc ita exponitur, quasi consequens ex iis quæ antecessere. Atqui aliter res habet, neque phrasis sententiam explicare nisi absurdam potest. Proinde opinor Ciceronem scripsisse, *horum igitur aliquid animus esto, ne,* &c. Explicato quam felix animorum sit futura conditio, si aut aere constent, aut igne, &c. hoc subjungit: optemus igitur horum aliquid animum esse, ne indigne cum corpore pareat: periret autem, si vel cor esset, vel cerebrum, vel sanguis. Buherius.

Cap. 18. *Qui animum se habere non sentiat*] In hac lectione Cicero non dicit, cur Dicæarchus *non videtur condoluisse:* poterat ille et sensisse *se animum non habere,* et tamen condoluisse. Quapropter mihi in mentem venit Ciceronem scripsisse, *quia animum se habere non sentiat:* ut hæc sit ratio, cur Dicæarchus non videatur *condoluisse.* Sensus est: Dicæarchus ita acerrime disseruit se animum non habere, ut ne condoluisse quidem, quod eum non haberet, videretur. Pearcius.

Quam tamen Democritus concalefactam et spirabilem, id est *animalem esse* vult] Vulgo *voluit,* contra Mss. fidem. Scilicet philosophus illa corpuscula σφαιροειδῆ πῦρ καὶ ψυχὴν λέγει, prout auctor est Aristoteles lib. I. de Anima, cap. 2. Portenti vero simile videri possit, quod Noster hoc in loco *spirabilem, id est animalem* dicit, cum supra cap. 17. legatur, *sive illi sint animales, id est spirabiles.* Hinc certe dubitari non potest, quin *animale spirabili* censuerit obscurius. Davisius.

Cap. 19. *Junctis ... facit.* Tum *enim ... adeptus*] Vulgo *junctus ... facit.* Cum *enim adeptus* est. At Reg. ultimam vocem nescit; idemque codex *junctis* dat a prima manu. Nos igitur emendationem Cl. Bentleii merito recepimus. Vide Hieroclem in Aur. Carm. LIV. pag. 186. et seq. Idem.

Sustentabitur iisdem rebus, quibus astra sustentantur et aluntur] Veteres stellas animatas esse, terrenisque et aqueis vaporibus ali censuere. Vide Cicer. Nat. Deor. II. 46. Servium ad Æn. lib. I. cap. 612. Lucianum in Icaromen. Plura veterum loca suppeditabunt Lipsius Phys. Stoic. lib. II. cap. 14. et Menagius ad Laertii lib. VII. cap. 145. Davis.

Patriam illam et avitam] Sic omnes Mss. *Patritam* tamen legit Nonius, quem secuti sunt P. Manutius, D. Lambinus, cæterique recentiores. Mihi sane tanti non est Marcellus, ut ejus libros cunctis Ciceronis exemplaribus præferam, cum pravas et vitiosas passim det lectiones. Accedit, quod *Tullius patria bona, patrias fortunas,* et reliqua generis ejusdem, singulis fere paginis adhibeat, voce vero *patrita* nullus utatur. Quin et Act. prima in Verrem cap. 5. *rem*

patriam et *avitam*, ut hic *patriam et avitam philosophiam*, dixit. Idem.

Cap. 21. *Quamvis copiose hæc diceremus, si res*, &c.] Menti Ciceronis aptior videtur alia loci interpunctio, *quamvis copiose hæc, diceremus, si res*, &c. Quasi dixisset Noster, quamvis hæc copiose diximus, tamen diceremus, &c. Pearcius.

Liberatos enim se per eum dicunt gravissimis dominis, terrore *sempiterno, et diurno ac nocturno metu. Quo terrore? quo metu?*] Vereor equidem, ne *gravissimi* illi *domini* non nisi unus solusque sit: quo enim differunt *terror* et *metus?* Juncta quidem interdum hæc vocabula reperies: sed hoc ex more rhetorum, qui ad amplificandam orationem cognatas et similes dictiones coacervant. Stoici quidem, qui omnia in pulvisculum diffringunt, si hæc partiuntur et definiunt, ut terror sub metu, quasi species sub genere, comprehendatur. Terror, inquiunt, est metus concutiens. Esto: at nihilominus putidissimum plane fuerit binos hinc dominos confingere. Tu lege, litterula abjecta: errore *sempiterno, et nocturno ac diurno metu. Quo* errore? *quo metu?* Hinc illa Ciceronis, quæ mox sequuntur; *non pudet philosophum in eo gloriari, quod hæc non* timeat, *et quod* falsa *esse cognoverit?* Ubi *timeat* ad metum retulit, *falsa* ad errorem. Noti sunt Lucretii versus, I. 147. quos ter quaterque inculcat,

> *Hunc igitur* terrorem *animi*, tenebrasque *necesse est,*
> *Non radii Solis, neque lucida tela diei*
> *Discutiant, sed naturæ species, ratioque.*

Terrorem et tenebras hic vocavit, quæ Cicero *metum et errorem*. Bent.

Cap. 22. Ut, *si jam possent .. casurusne in conspectum videatur* animus, *an tanta sit ... ut fugiat aciem*] Ne possit istud *ut* ferri, facit vocula interrogativa *ne* et *an* in posteriore parte sententiæ. Lambinus pro *ut* legit *aut:* quod sequendum videtur, nisi malit lector reponere, at, *si jam possent*, &c. Utraque lectio cum sequentibus verbis bene conveniet. Pearcius.

In homine uno] Bentleius corrigit, *in homine vivo*. Quam emendationem recepit Davisius: nos autem, renitentibus aliis editionibus, in Tullii contextum non audemus introducere: sed in nostra tamen metaphrasi Gallica secuti olim sumus. Oliv.

Si enim] Victorium, Manutium, et Lambinum sequimur. Gruterus autem: *nisi enim ... intelligere non possumus ... complecti non possumus.* Particulam negantem tollit Buherius post *intelligere:* Davisius, post *complecti*. Idem.

Præceptum Apollinis, quo monet, ut se quisque noscat] Hoc ἀπόφθεγμα Thaleti, Soloni, Chiloni aliisque multis adscriptum fuisse docebunt Erasmus Adag. pag. 306. ed. Hanov. et Menagius ad Laertii I. 40. Iis, quæ laudarunt viri illi doctissimi, plurima possent adjici; sed id nunc non agimus. Monebo duntaxat Apollini tribuisse non modo Platonem, Nostrumque lib. I. de Leg. cap. 22. 23. ac Fin. V. 16. sed etiam Plutarchum, Philostratum, &c. Davis.

Hoc est, se ipsum posse cognoscere] Hasce voces glossematis merito damnarunt P. Manutius et D. Lambinus: licet enim refragetur Janus Gebhardus, naso tamen careat necesse est, qui glossam non olfacit. Simili fere ratione Plutarchus in Demosth. Tom. I. p. 847. Ἀλλὰ γὰρ ἴσως, inquit, εἰ παντὸς ἦν τὸ Γνῶθι σεαυτὸν ἔχειν πρόχειρον, οὐκ ἂν ἐδόκει πρόσταγμα θεῖον εἶναι. Vide sis et Platonem in Alcib. primo. Idem.

Cap. 23. *Quod semper movetur*] Vide Mureti Var. Lect. VIII. 3. ubi collatio loci hujus e Phædro Platonis cum ejusdem loci interpretatione Ciceroniana. Et Somn. Scipionis, cap. 8.

Cap. 24. *Cumque nihil esset*, &c.] Hoc loco *esse* debet intelligi non sensu populari, sed Platonico et sublimi; aut, si quis mavult, metaphysico: nimirum quo sensu aiebat Plato, id unum posse dici *esse*, quod semper est: quod autem oritur et interit, id vere et proprie non esse. Quod Ci-

cere statim ponit. Non ergo de corpore, multo minus de animo dicitur, quod *nihil esset;* sed de re quavis alia, præter ideas. His enim unice convenit *esse.* Vide Timæum, cap. 2. OLIVET.

Non potuit animus hæc...agnoscere, cognita attulit: ex quo, &c.] Potius mutatis punctis lego, *non potuit animus hæc in corpore inclusus agnoscere: cognita attulit; ex quo,* &c. PEARC.

Quanta memoria Simonides] Is artem memoriæ primus ostendisse dicitur. Vide Quintilianum Inst. Orat. lib. XI. cap. 2. Plinium H. N. VII. 24. et Ælianum H. A. VI. 10. DAV.

Quanta Theodectes] D. Lambino placet Themistocles, et sic ex Mss. Fr. Fabricius. At si ullus extat ejusmodi codex, a sciolo quodam fuit emendatus; nam licet Themistoclis memoriam celebrent plurimi, se recte tamen habet vulgata lectio, cum *semel auditos quamlibet multos versus protinus dicatur reddidisse Theodectes,* ut auctor est Quintilianus Inst. Orat. lib. XI. cap. 2. eique artem memoriæ fuisse tradit Ælianus H. A. lib. VI. cap. 10. IDEM.

Cineas] Vulgo *Cyneas.* Male. Græcis enim Κινέας, non Κυνέας dicitur. Vide Cl. Salmasium Exerc. Plin. pag. 49. Ejus memoriam hisce verbis celebrat Seneca Controv. Procem. *Cineas ... missus a Pyrrho legatus ad Romanos, postero die novus homo et senatum et omnem urbanam circumfusam plebem nominibus suis persalutavit.* Adi sis et Plinium H. N. lib. VII. cap. 24. IDEM.

Noster Hortensius] Hujus excellentem memoriam deprædicat Cicero in Bruto cap. 83. Seneca Controv. Procem. *Hortensius a Sisenna provocatus, in auctione persedit diem totum, et omnes res, et pretia, et emptores ordine suo recensuit, argentariis recognoscentibus, ita ut in nullo falleretur.* Adi sis Latinum Pacatum Pan. XII. cap. 18. ac Quintilianum Inst. Orat. lib. X. cap. 6. et lib. XI. cap. 2. ID.

Cap. 25. *Tam immensa magnitudo, quæ illa tam multa possit effingere*] Suspecta est vox ultima; non enim *magnitudo* res ullas *effingit,* sed in illa hæc effinguntur. Lego, *quæ illa tam multa possit excipere.* IDEM.

Quid? illa vis quæ tandem est, quæ investigat occulta, quæ inventio atque excogitatio dicitur? Ex hacne tibi terrena mortalique natura concreta ea videtur? aut qui primus (quod summæ sapientiæ Pythagoræ visum est) omnibus rebus imposuit nomina? aut qui dissipatos homines congregavit, et ad societatem vitæ convocavit? aut qui sonos vocis, &c.] Scire equidem ex te velim, quo referantur illa toties hic repetita *aut qui:* non enim video quorsum pertineant, neque ullum exitum orationis invenio. Tot ergo rerum inventores, quos hic enumerat, nominum, litterarum, astronomiæ, frugum, vestium, tectorum, quid? quid agunt, vel quid sunt denique? nihil omnino; ut quidem hic locus vulgo nunc legitur. Tu vero sine dubitatione repone; *ex hacne tibi terrena mortalique natura* concretus *is videtur, aut qui primus ... omnibus rebus imposuit nomina; aut qui,* &c. Hoc est; nihilne divinitus habuit, nihil auræ cælestis, nihil ignis ætherii? Nosti illud Lucretii de Empedocle:

Ut vix mortali videatur corpore cretus.

Cæterum tam turpe mendum librariorum solemni audaciæ acceptum referimus: cum enim præcesserat *inventio atque excogitatio,* statim hi τὸ *concretus is* ne latinum quidem esse arbitrati, permutarunt terminationes, ut eodem genere adjectivum cum substantivo, ut putabant, amice concordaret. BENTLEIUS. *Concreta ea,* &c.] Ita omnes codices scripti et impressi: pro qua lectione Bentleius reposuit *concretus is videtur, aut qui primus,* &c. quia nescivit, quo referrentur illa toties in sequentibus repetita *aut qui.* At mihi ista emendatione opus non esse videtur, si sic locum interpungamus, *ex hacne tibi terrena mortalique natura et caduca concreta ea* (sc. inventio atque exco-

gitatio) *videtur? aut qui primus*, &c. Scilicet hæc compendiose dicta esse censeo, cum fusius Cicero sic dicere potuisset, *aut ex illa natura concretus is videtur, qui primus*, &c. PEARC.

Progressiones, institutiones] *Institiones* reponunt Manutius, Lambinus, alii, nec, ut videtur, immerito: licet enim codices nihil varient, minime capio, quem locum habere possint *institutiones*. Alteram vocem sicco pede prætereunt interpretes; eandem tamen potestatem obtinet ac *cursus*, nec ταυτολόγος putandus est Cicero. Reg. et Eliens. sec. *prægressiones*. Scribo *regressiones:* nam planetas nunc stare, nunc regredi, nunc præcurrere videri, notissimum. DAV.

Tum illa, non re, sed vocabulo errantia] Platonicorum fuit sententia, stellas erraticas non vago motu, sed certis legibus, agitari; quod etiam recentioribus videtur astronomis, qui diversa illa φαινόμενα vario planetarum et telluris inter se situi tribuunt. Vide sis Ciceronem Nat. Deor. lib. II. cap. 20. IDEM.

Quorum conversiones omnesque motus qui animus *vidit, is docuit similem animum suum ejus esse, qui ea fabricatus esset in cælo*] Redige, quæso, hæc mecum ad calculum: *qui*, inquit, animus *vidit, is* (id est, animus) *docuit* animum *suum similem ejus esse*. Ergo hic habemus *animum animi:* satis hoc belle? Alius, opinor, dixisset, *is docuit* se *similem ejus esse*. Sed alia paratior medicina est. Lege certissime: *quorum conversiones omnesque motus qui* animo *vidit, is docuit similem animum suum ejus esse*, &c. Noster de natura Deorum I. 18. *Epicurus autem, qui res occultas et penitus abditas non modo* viderit animo, *sed etiam sic tractet*, &c. Ibid. II. 64. *Totam licet* animis, *tanquam oculis lustrare terram*. Acad. II. 40. *Aut si etiam dormientes aliquid* animo *videre videamur*. Ovid. Fast. IV.

Appius est auctor; Pyrrho qui pace negata
Multum animo vidit, *lumine captus erat.*

Et alii passim. Sed et hoc jam nunc a Lambino video occupatum: adeo ut rursus indigner ejus hominis vicem, cui sæpe recte monenti, seu præ invidia et livore, sive præ cæcitate et ignorantia, nemo obtemperare voluit. BENT.

Quod si in hoc mundo *fieri sine deo non potest*] Nihil variant codices scripti: est tamen cur a Ciceronis manu esse nunquam crediderim. Quid enim sibi vult *in* hoc *mundo?* an plures et infinitos quidem mundos constituit, ex sententia Democriti et Epicuri? Nugæ meræ: nullus quippe apud illos *mundi ædificator deus:* omnia casu et fortuito ex atomorum concursu. Atqui hic ex Platonis sententia loquitur: lege itaque inverso ordine: *quod si* hoc *in mundo fieri sine deo non potest, ne in sphæra quidem*, &c. IDEM.

Cap. 26. *Non enim ambrosia deos aut nectare*, aut *Juventate pocula ministrante lætari arbitror*] Geminus fere locus est de natura Deorum I. 40. *At poetæ quidem nectar, ambrosiam, epulas comparant, et aut Juventatem aut Ganymedem pocula ministrantem*. Verum ut hic locus rectus est et integer, ita prior ille in mendo cubat. Quale enim illud, *lætari ambrosia, aut nectare*, aut *Juventate?* Quid? cibusne, obsecro, est Juventas, an potio? Vides nunc, opinor, quod tuum est acumen, sententiæ labem: quam nullo negotio expurgaveris, nisi sic legeris τῷ *aut* deleto. *Non enim ambrosia deos aut nectare, Juventate pocula ministrante, lætari arbitror*. *Pocula* vero intellige *ambrosiæ aut nectaris;* quorum utrumque interdum pro liquoribus venditant poetæ, et *ambrosiæ succos*, cum libuerit, spargunt. IDEM.

Cur Laomedonti tanta fieret injuria] Nostro σφάλμα μνημονικὸν impingunt Joach. Camerarius, Aldus nepos, et Fulv. Ursinus: quasi *Troi*, non *Laomedonti*, fuisset scribendum. Verum ut de raptore, sic de patre Ganymedis magnæ sunt inter auctores discrepantiæ. Plerisque Trois est filius. Lucianus in Charidemo eum Dardani

filium vocat. Laomedonte genitum confirmat Cycli scriptor apud Scholiasten in Euripidis Orest. vers. 1392. Quo loco Ciceronem tuetur Tan. Faber lib. II. Ep. 58. Quin et Ganymeden ab Euripide Troad. vers. 822. Λαομεδόντιον παῖδα nominari video. Neque eum Laomedonte prognatum fuisse, ῥητῶς asserit noster: sed patre mortuo, fratrem contingebat injuria. Davis.

Divina mallem ad nos] Hæc laudat Augustinus Civ. Dei, IV. 26. et Confess. I. 16. Idem querebatur Xenophanes. Adi Menagium ad Laertii IX. 18. Idem. Vide P. Victorii *Var. Lect.* XXXV. 10.

Inducta: primum hæc] Interpunctum sic voluerat Lambinus, *inducta primum: hæc*, &c. Facit cum Lambino Bentleius, ac merito quidem.

Cap. 28. *Motum, celeritatem*] Motus *celeritatem*. Bent.

Ad maturitatem frugum] Rectius, opinor, Ms. Norvic. quo usus est Davisius, *ad maturationem frugum et ad temperationem corporum aptas;* id est, ad faciendas fruges maturas. Sic ab aliis Latinis scriptoribus *poma* et *uvæ maturari* dicuntur. *Maturitas* significat tempus maturum; hic vero locus postulat potius vocem, qua actus maturandi exprimatur. Vix aliter Noster locutus est in I. de Nat. Deor. cap. 2. *Cælique mutationes, quibus omnia, quæ terra gignat,* maturata *pubescant*. Pearc.

Cap. 29. *Aliquis vel effector*] Vict. *Aliquis conditor, vel effector.*

Divinam] Lamb. *divinæ.*

Cap. 30. *Nam qui se* humanis *vitiis contaminavissent,* et *se totos libidinibus* dedissent, *quibus cæcati,* velut *domesticis* vitiis *atque flagitiis se inquinavissent, vel rep. violanda fraudes inexpiabiles concepissent, iis devium quoddam iter esse, seclusum a concilio deorum*] In his verbis non ita multis ter quaterve a dormitantibus librariis peccatum esse suspicor. Sed primum apponam integrum locum, ut mihi legendum videtur; tum de ratione emendationum videbimus. Scribo igitur, *nam qui se* immanibus *vitiis contaminavissent,* aut *se totos libidinibus* dedidissent, *quibus cæcati,* vel *domesticis* stupris *atque flagitiis se inquinavissent, vel rep. violanda fraudes inexpiabiles concepissent, iis devium quoddam iter esse,* &c. Principio, illud quod vulgo fertur *humanis vitiis* quam sententiæ adversum sit, tu considera. Nam certe *humana vitia* sunt quæ in quemvis hominem cadunt, quæ naturæ humanæ imbecillitas a se defendere et depellere non potest. Ovidius Fast. I. vers. 299. de astronomiæ inventoribus loquens, tanquam supra mortalem conditionem evectis,

Credibile est illos pariter vitiisque locisque
Altius humanis *exseruisse caput.*

Atqui hoc loco non de mediocribus et ignoscendis vitiis Ciceronem loqui manifestum est: hinc enim mortalium turpissimos et contaminatissimos ponit, illinc castissimos sanctissimosque; quorum hos ad deorum sedes recta ire post mortem, illos iter devium capessere, a beatis sedibus quam maxime diversum. Lego igitur, quod proxime ad librorum scripturam videtur accedere, *immanibus vitiis*, quo epitheto Horatius noster usus est Sermon. II. 4. vers. 76.

Immane *est* vitium *dare millia terna macello.*

Mox lego, *aut se totos*, &c. Non enim eosdem, sed diversos intelligit; priores, sceleratos, fraudibus, rapinis, cædibus grassantes; posteriores, voluptarios, qui ventri et gulæ et libidinibus serviunt. Certe hæc vitia quodammodo contraria sunt, nec facile in unum eundemque hominem cadunt. Lege deinde, *dedidissent*, cum Victorio et codice ex tuis meliore, quod et hic et sæpe alias perperam immutavit Gebhardus. *Dedere* enim majus quid et significantius notat, quam *dare;* pro captivo se tradere, in servitutem addicere, mancipare. Confirmatur hoc et ex adjuncto *totos dedidissent:* sic Noster de Legibus

II. 2. *Pro qua mori, et cui nos totos dedere debemus.* Ad Atticum IX. 4. *Sed tamen, ne me totum ægritudini dedam, sumpsi mihi quasdam tanquam* θέσεις. Tuscul. V. 39. *Huic discendi quærendique divinæ delectationi* toto *se animo* dedidissent; ubi iterum contra Victorium et tuos codices Gebhardum sequeris male interpolantem *dedissent.* Sequitur deinceps, *quibus cæcati,* velut *domesticis* vitiis *atque flagitiis se inquinavissent;* hoc est, *quibus* seu sceleribus, sive libidinibus (nam ad utrumque hoc refertur) *velut* domesticis vitiis, *&c.* Quid, malum, illud *velut?* an scelera, fraudes, rapinæ sunt *domestica* vitia? immo vero hæc ut disjuncta et disparata ponuntur. Lego ergo levissima mutatione, vel *domesticis flagitiis,* vel *re publica violanda.* Alioqui impedita prorsus oratio est, neque exitum sibi reperit. Hæc quidem emendatio, utcumque fiat cæteris, longe certissima est, sed aliud quid etiam restat. Vide enim illud, *quibus* vitiis *et libidinibus cæcati, vel domesticis* vitiis *se inquinavissent;* quam frigide, quam illepide hic repetitur illud *vitiis?* an quidquam sapit aut elegantiæ, aut copiæ Tullianæ? Quamobrem aut legerim, *domesticis stupris atque flagitiis,* aut *domestica nequitia atque flagitiis:* illa enim apud nostrum una cum flagitiis non semel juncta legimus. Bent. Agnosco sane, quod ait Bentleius, in usu esse et communi, et Ciceronis, ut *humana vitia* dicantur mediocria et excusabilia. At enim philosophi personam hic induit Cicero, atque hominibus e turba ac fæce mortalium, opponit sapientem diis admovendum. *Humana* quæ dicit *vitia,* illa ipsa sunt quæ Plato κακὰ ἀνθρώπεια. *Phædon. pag.* 81. *Edit. H. Steph.* Quem locum videtur Latinus respexisse. Tum etiam infinita sunt a quibus nos absterret religio tanquam malis ac flagitiis, quæ philosophorum sapiens ille neque illicita sibi ducebat, neque in vitiis numerabat vel tolerabilibus. Davisio itaque assentior nihil in illis verbis mutanti. Neque in his quidquam video mutandum, *et se totis libidinibus dedissent,* cum *libido* genus omne contineat illicitarum cupiditatum. Vide, si vacat, Tusc. IV. 6. Buhier.

Itaque dubitans] Hæc verba poeticum nescio quid olere videntur; et fortasse veteris poetæ cujuspiam anapæstici fuerint sic ordinanda:

Dubitans, circumspectans, hæsitans,
Multa adversa revertens. Guietus.

Cap. 31. *Sive retractabis, sive properabis, volat enim ætas*] Recte quidem nunc vulgo editur *retractabis:* cum veteres editiones et codices aliquot scripti *retardabis* habuerint: quod natum videtur ex illo altero *properabis,* cui scilicet contrarium et ἀντίθετον ponendum videbatur *retardabis.* Cæterum uno verbo feliciter restituto, de altero erat cogitandum. Quid enim est *properabis* ad mortem? hoc certe est voluntariam mortem ante diem sibi arcessere: quod hoc ipso loco auctor tanquam illicitum et nefarium damnat. Quid ergo? equidem corrigendum puto, *sive retractabis, sive obtemperabis:* quod si compendiose et cum P. *optep.* scripseris, more in veteribus libris recepto, minimum aberraverit a vulgata lectione. *Retractare* autem et *obtemperare* sunt plane antitheta: et sententia exurgit aptissima. Moriendum, inquit, erit; seu iniquo animo et ingratiis, sive æquo et libenter; seu renuas et tergiverseris, sive pareas et morem geras. Huc opposite accedunt illa Græca Cleanthis, quæ Latine eleganter vertebat Seneca, Ep. 107.

Duc me, parens celsique dominator poli,
Quocunque placuit: nulla parendi mora est;
Adsum impiger. Fac nolle: comitabor gemens;
Malusque patiar, quod pati licuit bono.
Ducunt *volentem fata, nolentem* trahunt.
Bent.

Retrectabis habent editiones quædam, aliæ *retractabis:* quæ verba tantumdem differunt, quantum *lavare* et *lavere, impartio* et *impertio.*

Qui recusant stare pactis, facere aliquid, ire quopiam, &c. revocant, retrahunt, retractant dicta, manum, pedem, &c. Quid sit, *sive retractabis*, intelligere videor ex hoc Ovidii, I. Trist. III. 55.

Ter limen tetigi, ter sum revocatus, et ipse
Indulgens animo pes mihi tardus erat.

ANONY.

A. *Quid refert? M. Adsunt enim, qui hæc non probent. Ego autem*, &c.] Sic videntur ista distinguenda. *Quid refert*, inquit Auditor, ista urgeri? Refert, inquit Marcus, *adsunt enim, qui hæc non probent;* video quosdam abnutantes, quibus servire debeo. Et *complures* secum *familiares* fuisse affirmavit supra, cap. 4. quos non puto id commisisse, ut Ciceronem solum cum solo Auditore relinquerent, cum hanc declamationem et scholam haberet. Schola sane et declamatio nunquam sine frequentia. Tum illud *adsunt* potest id ipsum dicere, quod explicatur mox fusius, *catervæ veniunt contra dicentium*, &c. ANONYMUS.

Quos equidem non despicio] Dictum civiliter, atque dissimulatione Academica. Aliter in dialogis loquitur, ubi personam inducit alicujus Stoici. Sensum hunc video: venient catervæ contra disputantium, qui te ab his revocent, quæ persuadere sum conatus. Nihil quidem est magnopere, quod tibi ab Epicureis metuam: non quod illos despiciam; sed quod eos videam a doctissimo quoque despici. Equidem non satis intelligo, cur ita contemnantur; sed contemnuntur tamen. At Dicæarchus, homo minime despiciendus, ipse quoque acerrime, &c. IDEM.

Cap. 32. *In his est enim aliqua obscuritas*] Sententia Academicorum est, in rebus omnibus, etiam clarioribus, esse obscuritatem aliquam. In hac sententia fundatur epoche, et retentio assensionis, de qua in Lucullo. IDEM.

Id igitur si acciderit] Ut veniant contra dicentes, ut moveamur aliquo acute concluso, ut labemus, sinus armati: nihil itaque *nimis confidamus*; sed arma etiam paremus. IDEM.

Sed non semper. Istos vero] Legi potest, *sed non semper*. AUDITOR. *Istos vero ... ne intereat*: MARCUS. *Bene reprehendis ... Credamus*, &c. Auditor, Marco assentiens de omittendis Stoicis, omittamus vero istos, inquit: his enim quid facias, qui, contra quam monstrat ratio, admittunt ultro id, quod est in hac quæstione difficillimum; negant id, quod et facile est ad credendum, et consequens ex eo quod admittunt. Auditoris orationem hanc approbans, subjungit Marcus: *Bene reprehendis*, &c. Hunc tamen locum Buherius legit, ac distinguit, uti nos edidimus. Guietus autem istud, *Credamus igitur Panætio*, cum interrogatione legebat, quasi dictum εἰρωνικῶς. Tu, erudite lector, judicio tuo utere. OLIVET.

Cap. 33. *Semotas a mente et disclusas putat*] Plato videlicet in capite rationem ponit; iram vero in pectore locat, cupiditatem subter præcordia. Vide supra cap. X. et Diogenem Laertium lib. III. cap. 67. DAVIS.

Aristoteles quidem ait] Hoc ponit et rationibus confirmat Stagirita Problem. XXX. quæst. 1. Vide Agelli N. A. lib. XVIII. cap. 7. DAVIS.

Omitto similitudines] Nihil pravius et ineptius hac lectione. Nam ubicumque dicimus *omitto* aut *mitto;* nostra significamus nos mittere argumenta, quæ, si opus fuerit proferre, possemus: at hic contra adversarii argumentum se dicit omittere: nam ex *similitudine* ingeniorum, qua filii parentes suos referre solent, Panætius probare voluit *animos nasci*. Ergo subtilissime sane fortissimeque disputat, qui id, quo ab adversariis urgetur, non refutare, sed omittere se profitetur. Quid, quod id ipsum falsum est, *se omittere similitudines?* pergit enim argumentum a similitudine ductum pluribus exemplis refellere. Quid multa? legendum esse contendo: *Omitto dissimilitudinem:* nam codex tuus *similitudinem*

singulari numero exhibet. Duplici scilicet ratione Panætii argumentum convellit. Primo, ait, posito talem esse animorum similitudinem; ea tamen efficitur, non quod ipsi animi a parentibus nascantur, sed quod animi mores fere suos et indolem ducant a temperamento corporum, quæ sine dubio parentum corporibus cognata et similia sunt. Negat secundo ejusmodi similitudinem esse perpetuam: *Omitto*, inquit, *dissimilitudinem:* Africani quippe et Crassi et multorum clarorum virorum filii et nepotes parentibus dissimillimi erant. Addere potuisset et suum Marcum: sed is qui vir futurus esset, nondum ostenderat. BENTL.

Cap. 34. *Totumque hoc* leve *est, qualecumque est*] Considera sodes illud *qualecumque*. Id enim eam vim in hoc loco habet, quasi diceret, *totum hoc* leve *est, quantumvis* grave *sit:* quo quid putidius et absurdius dici potest? Sine dubio scripsit Cicero, *totum hoc* breve est, *qualecumque est*. Hoc est; seu *grave* sit, ut illi contendunt, seu *exiguum*, ut ego quidem existimo; certe *breve est;* cur? *quia fit ad punctum temporis*. IDEM.

A rege Ptolemæo] Cum multi post Alexandrum in Ægypto regnarint Ptolemæi, haud facile est definire quem eorum Cicero hic potissimum dicat, neque est quidquam a veteribus de hoc Hegesia proditum litteris, quod inquirentes juvet. Gerardi Joannis Vossii errorem, qui libro I. de Historicis Græcis cap. 12. Hegesiam facit Platonis æqualem, convicit in Diogen. Laert. II. 26. Ægidius Menagius; cujus argumentis adjungi hoc potest, eum, qui Ptolemæorum primus in Ægypto regnavit, longo satis intervallo post Platonis mortem, rerum fuisse potitum. Quia vero quo Hegesias tempore floruerit, non indagavit Menagius, quod veri simile videtur proferam. Auctore nitor Diogene eodem Laertio, qui hac serie dispositos dedit Cyrenaicæ sectæ philosophos.

ARISTIPPUS.

Areta, *condiscipulus Antipatri.*

Aristippus junior, *discipulus Aretæ.* — Epitimedes, *discipulus Antipatri.*

Theodorus, *cognomento* Deus, *discipulus Aristippi.* — Parabates, *discipulus Epitimedis.*

Hegesias, *discipulus Parabatæ.*

Theodorum hunc, quem cognominarunt *Deum*, vixisse constat tempore Ptolemæi Lagidæ; cujus rei testem habemus Diogenem Laertium, II. 101. Hegesias ergo, si proxima post Theodorum ætate vixit, in postremos incurrerit annos Lagidæ, qui prope quadraginta imperio explevit; aut in tempora Philadelphi. Notum est, isto regnante, quis honos litteris fuerit Alexandriæ, qua in urbe Hegesiam scholas habuisse testis est hic Cicero. Atque ut erat non tantum philosophus insignis, sed orator, *Valer. Max. VIII.* 9. vix dubito, quin hic ipse ille sit Hegesias Magnesius, a Cicerone inter oratores, a Vossio inter historicos numeratus. Hegesiam quidem philosophum Vossius sejungit ab historico; sed idcirco quia in philosophi ætate aberraverat, quod ante animadverti. Fuerit tamen alter Hegesias philosophus, alter historicus, at eodem uterque vixit tempore. BUHER.

E muro se in mare abjecisse] Ita quoque Callimachus: ἀφ' ὑψηλοῦ τείχεος. Non utique muro urbis patriæ: a mari enim Ambraciam interjecta 80 stadia removebant. At Ambraciotæ ad mare habebant murum et portum: Ἔστι δὲ καὶ ἐπὶ θαλάττης τεῖχος, &c. Si Callimachum audimus, desiluit Cleombrotus ex alto muro in orcum, εἰς ἀΐδην. Criticus aliquis corrigebat, εἰς ἅλα, nihil opus erat. Rem eamdem Cicero populariter expressit, Callimachus poetice. Ut hic εἰς ἀΐδην, Ovidius, *in Ibin.* 495. scripsit, *in Tartara.* IDEM.

'Αποκαρτερῶν] Hac voce significatur is, qui cibo abstinet, ut a vita per inediam discedat; non *intolerantissimus*, ut imperite censuit Aldus nepos. DAVISIUS.

Cap. 35. *Honoratus quatuor filiis*: Reponebat Davisius, *honoratis*, veritus, credo, ne parum apte diceretur pater honoratus filiis. An forte non viderat quod scripsit de Catone Cicero, de Offic. III. 16. *Ut enim cæteri ex patribus, sic, qui lumen illud progenuit, ex filio est nominandus.* Si pater non honorabatur filiis, cur inductum fuit jus trium liberorum? ANONYMUS.

Vitam evitari] Antiquis *evitare* idem erat ac occidere. Apuleius Met. lib. III. *Nec enim verisimile est hominem solitarium tres tam validos evitasse juvenes.* Vetus Gloss. 'Εναίρω, *evito*, Sensu eodem usurpavit Plautus verbum *invitare*, Casin. III. VI. 21.

Gladium
Ancilla Casinam habere ait, quo me atque te invitet. BUHERIUS.

Eventum amisisset] Ut dixit Sallustius: *Amittere ærumnas, egestatem.* ANONYMUS.

Cap. 36. *Sed hoc ipsum*] Ita lego, atque interpungo: *sed hoc ipsum concedatur, bonis rebus homines morte privari. Ergo etiam carere mortuos vitæ commodis, idque esse miserum (certe ita dicunt) necesse est.* BUHERIUS.

Cap. 39. *Cur? Nam, reor, nullis si vita longior daretur*] Buherius recte statuit legendum esse *Cur*? *nam, reor, illis*, &c. ad fidem unius Ms. suæque vet. editionis. Sed ne sic quidem hæc cum sequentibus bene cohærebunt. Quis est enim qui dicit aut hæc, aut sequentia? *Nihil est enim profecto homini prudentia dulcius; quam, ut cætera auferat, affert certe senectus.* Quis est (inquam) qui hæc dicit? si Cicero, suo ipse argumento adversari videtur: nam, cum instituerit probare *non esse miserum ante tempus mori*, inepte hic causam senectutis agit, ut quæ *afferat prudentiam, qua nihil est homini dulcius.* Hoc si Cicero dixerit, non potuit [non concedere], miserum esse ante senectutem mori. Locus (ut opinor) vitiosus est; eaque Ciceronis esse verba creduntur, quæ potius adolescentis vel auditoris sunt; quocum hanc disputationem Noster habuerit. Sic potius credas Ciceronem scripsisse. *Eorum autem qui exacta ætate moriuntur, fortuna laudatur.* M. *Cur?* A. *Nam, reor, illis si vita longior daretur, posset esse jucundior; nihil est enim profecto homini prudentia dulcius; quam, ut cætera auferat, affert certe senectus.* M. *Quæ vero ætas longa est?* Siquis meam conjecturam probaverit, videbit verba *nam, reor, illis*, &c. adolescentis esse; rationemque reddere ejus, quod paulo ante dixerat, nempe *fortunam laudandam esse eorum, qui exacta ætate moriuntur.* PEARCIUS.

Modo pueros] Vult Bentleius hos esse versiculos,

Modo pueros, modo adolescentes, in cursu a tergo insequens,
Nec opinantes assecuta est ....

Apud Hypanim .... Aristoteles ait] Ejus sunt verba lib. V. Hist. Anim. cap. 19. quæ tantum non exscripsit *Plinius* H. N. lib. XI. cap. 36. DAVIS.

Cap. 40. *Qui venenum præbuerat*] Elegantem J. M. Bruti notam hic legisse non pœnitebit. "*Cui venenum*, " inquit, *præbiberat*, habet Gryphii li- " ber; quæ mihi germana lectio, atque " eadem clarissima videtur: nam ver- " bum *præbuerat*, cum ad Critiam re- " ferendum sit, cujus fuerat sententia " Theramenes damnatus, haud satis " apte quadrare videtur. Est enim " *præbere*, ejus qui manu tradit et " porrigit; non ejus, qui aliquid præ- " bendum alteri dat. Etsi autem non " ignoro verbum *præbibere* non te- " mere apud classicos auctores inve- " niri; non video tamen, cum mini- " me analogiæ ratio repugnet, et sit " verbi compositio haud invenusta, " cur non debeat cuivis, optimo ex- " emplari et vetustissimo suffragante, " probari. Certe ne cui mea fides " suspecta sit, locum viris doctissi-

"mis ostendi, de quorum sententia "ita mihi esse edendum existimavi." Hæc eruditus ille vir. Accedunt fere Pall. tert. quart. Reg. et Eliens. prim. in illis enim est *qui venenum præbiberat*. Ignota tamen aliis auctoribus non est *præbibendi* vox. Apuleius Metamorph. X. pag. 334. *Simul, quod ei* præbiberim, *commenta*. Hieronymus Epist. XXII. pag. 142. *Aliæ vero sterilitatem* præbibunt, *et necdum sati hominis homicidium faciunt*. Ac Epist. LXV. pag. 485. *Nec venena jam timebo, cum antidotum* præbibero. Haud sane Romanis est aliud verbum mere Latinum, quo Græcorum *προπίνειν* exprimant. IDEM.

Cap. 41. *Si mors ei somno similis est, qui placatissimam quietem affert: dii boni, quid lucri est emori? Aut quam multi dies reperiri possunt, qui tali nocti anteponantur, cui similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis? Quis me beatior?*] Impedita sane oratio; adde quoque, scabrosa et aspera. *Cui nocti*, ait, *similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis*. Atqui illud non pro concesso sumendum erat, sed probatione indigebat. Illud deinde, quam ex abrupto, *quis me beatior?* Non agnosco Ciceronem ita temere et intempestive exclamantem. Lege vero, et distingue, me fidejussore: *quam multi dies reperiri possunt, qui tali nocti anteponantur? Cui SI similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis, quis me beatior?* Illud *si* absorptum est a sequente syllaba. BENTL.

Cap. 42. *Quid ille dux Leonidas*] Vereor ne mendum sit: nam manu scripti codices *Leonidas* non habent, sed pro illa vocem parum sinceram: et per se recepta verba, non parum mihi suspecta sunt. VICTOR. Sana omnia, si legas, *Quis ille dux:* de prandio, *ait*, surgite animo forti, Lacedæmonii. Hodie apud inferos, &c. BUHERIUS. Vide Gul. Canterum, *Nov. Lect.* VI. 12. et Nic. Fabrum, ad Senecæ Suasor. II.

Fuit hæc gens fortis, dum Lycurgi leges vigebant] Omnino non videtur hæc phrasis in loco esse proprio ac suo. Forsan irrepsit in contextum e margine, ubi fuerat explicando alteri Simonidis versui collocata. Quod si non ejicitur prorsus, rejiciatur certe ad calcem hujus capitis. Satis belle stabit ante hæc verba: *Este, fortes et duri Spartiatæ*. BUHERIUS.

Cap. 44. *Mater, te appello*] Vide in Lucull. cap. 27.

Pressis] Id est, lentis: quales numeri tristibus et querulis affectibus congruunt. Cic. de Nat. Deor. II. 59. *Sonos vocis distinctos, et pressos*. De Orat. III. 12. *Presse, æquabiliter, et leniter loqui*. Tit. Liv. XXVIII. 14. *Presso pede incedere*, id est, lento. Ovidius, Met. III. 17.

Subsequitur, pressoque legit vestigia passu.

Velleius Paterculus, II. 129. *Causas pressius audit?* Id est, patientius. BUHERIUS.

Cum multi inimicos] Id est, quamvis multi, &c. Hunc usum voculæ *cum* non omisere, qui de particularum vi et usu scripserunt. ANONYM.

Quam essent dura, si sentiret! nulla sine sensu] Frigida sane exclamatio, neque ex genio Ciceronis. Codices tui præferunt, *sentirent*. Editiones autem præter tuam omnes, *sine sensu sunt*. Fatendum quidem plerosque codices non agnoscere illud *sunt*: sed facile absorberi potuit a syllaba præcedente. Quanto igitur concinnius et rotundius exibit, si sic legas ex conjectura: *Quæ, ut essent dura: si sentirentur; nulla sine sensu sunt*. Equidem vix crediderim, aliter ab auctore profectum esse. BENTL.

Cap. 45. *In Hyrcania plebs publicos alit canes*] Mirum profecto, quod pro *publicos* verbo usitatissimo præstantiores codices præferant *supplices*. Nimirum auctor scripserat, *publice alit canes*: inde librariorum hallucinatio. *Publice alere*, est publica cura atque impensa. Sic Noster alibi in Verrinis, *publice sumptui esse*, *publice redimere*. Pro Roscio Amerino c. XX. *Anseribus cibaria publice locantur, et canes aluntur in Capitolio*. Suetonius

Aug. XII. *Tumulo publice extructo:* et Vitel. X. *Epulo ubique publice præbito.* Ita alii sæpe. IDEM.

Multa mihi ipsi ad mortem tempestiva fuerunt, quæ utinam potuissem obire] In Mss. quantum constat, omnibus est *quæ utinam.* Nos vero *quam,* ex conjectura, cum certissima videretur, recipere nulli dubitavimus; pronomen enim ad *mortem* dubio procul est referendum. DAVIS.

Tempestiva ad moriendum, sunt opportunitates moriendi, idonea ad relinquendam vitam tempora, occasiones, quibus se dolet defuisse. *Obire locum, tempus,* et similia, observante Gifanio, *occurrere ad constitutum,* non deesse, non desiderari. Cicero, pro Mil. 10. *Clodius ita profectus est, ut concionem turbulentam, in qua ejus furor desideratus est, quæ illo die habita est, relinqueret: quam, nisi obire facinoris locum tempusque voluisset, nunquam reliquisset*...... De Amic. 2. *Qui diligentissime semper illum diem, et illud munus solitus es obire*.... Hæc non meminerat Davisius, quando edebat, *quam utinam,* ubi omnes, ipsomet fatente, codices habent, *quæ utinam.* Hæ quidem phrases, *obire mortem, obire tempestiva ad moriendum,* eodem recidunt. Hoc tantum discrepant, quod altera sit vulgatissima; altera minus trita; sed Latina nihilominus et Ciceroniana. ANONYMUS.

Cum fortuna] Lamb. *cum fortunæ.*

Tamen summis et propriis] Idem. *tamen suis et propriis.*

Quamvis non sentiant] Hæc cum Cl. Bentleio reor delenda: nihil enim nisi vana sunt ταυτολογία. DAVIS.

Cap. 46. *Non enim in cœlum adscensurus es*] Corrigere aliquis volebat, *nunc enim.* At enim cum Cicerone consentit Plutarchus, *in vita Pelopid.* Deinde existimabant Græci, hominem, cui hæc contigissent, in summo gradu felicitatis esse, ad quem pervenire mortali liceat; nihil ultra esse quod expeteret, nisi deorum culmen, in quod vivus non poterat evehi. Quocirca dicebat olim pugili victori Pindarus, *Isthm. V,* 18. *Ne opta Jupiter fieri; omnia habes.* Μὴ μάτευε Ζεὺς γενέσθαι. πάντ' ἔχεις. Nisi forte ambis Jupiter fieri, habes omnia quæ possis expetere. BUHERIUS. Quanta fuerit apud Græcos Olympiacæ victoriæ laus et gloria, docebit *Pindarus* Olymp. III. 77. *Plato* de Rep. V. *Athenæus* VI. et X. *Artemidorus* II. et V. ne *Varwium, Suetonium,* reliquosque memorem. DAV.

Cleobis, et Biton] Vide Herodotum, I. 31.

Trophonius et Agamedes] Hanc historiam modo plane diverso tradit Pausanias lib. IX. cap. 40. At cum nostro facit Æschines in Axioch. Et hos quidem λάϊνον οὐδὸν, et ἄδυτον ἐκ πέντε λίθων Apollinis Delphici templo posuisse testantur Homerus Hymn. in Apoll. vers. 296. et Stephanus in Δελφοί. DAVISIUS.

Cap. 48. *De Sileno fabella quædam*] Eadem ex Aristotele narrat Plutarch. Cons. ad Apoll. qui pariter ac Athenæus lib. II. aliique, cum Nostro Silenum facit Midæ captivum. At Xenophonti de Exped. lib. I. Satyrus nominatur. Non raro quidem Silenos et Satyros confundunt auctores: est tamen inter eos discrimen; qua de re videas licet Is. Casaubonum de Sat. Poesi lib. I. cap. 2. pag. 53. et Jac. Perizonium ad Æliani lib. III. cap. 18. DAVISIUS.

Nam nos decebat] Lego:

Nam nos decebat, cœtus celebrantes domu, &c. BUHER.

In consolatione Crantoris.] Erat libelli inscriptio; *De Luctu.* Acad. Quæst. II. 44. Περὶ πένθους. Diog. Laert. IV. 27. IDEM.

Ignaris homines... *ipsique tibique*] Græci versus, ut et historia quam modo retulit Tullius, extant apud Plutarchum Cons. ad Apoll. DAVIS.

Alcidamas quidam] Hunc rhetorem Plato, *in Phædro,* appellabat Palamedem, quod, ut ille in utramque partem dissereret. BUHERIUS.

Repetunt ab Erechtheo... *Codrum,* &c.] I. de Orat. 20. *Cum repeteret*

usque a Corace, &c. I. de Divinat. 1. *Ut ab ultimis auctoritatem repetam*, &c. II. de Invent. 2. *Ac veteres quidem scriptores artis usque a principe illo atque inventore Tisia repetitos*, &c. Itaque dicitur *repetere* qui vetera atque obliterata commemorat; quod faciebant rhetores isti, de quibus agitur, qui *claras mortes pro patria oppetitas* commemorabant, usque *ab Erechtheo* exorsi; atque ex illa antiquitatem repetebant Codrum, &c. Anon.

Cupide mortem expetiverunt.] Quia res non intra votum stetit, et mortem non *expetiverunt* solum, sed etiam *oppetiverunt*, Bentleius, assentiente Davisio, ultimum hoc verbum illi alteri substituebat. Aliter mihi videtur. Conspirat scilicet *cupide* melius cum verbo *expetiverunt*. Neque fuit necesse verbo proprio id exprimere, quod ex tota loci serie satis intelligitur, Erechthei filias mortem obiisse: neque voluit Cicero de morte illarum, sed de alacritate moriendi admonere. Buherius.

TUSCULANARUM QUÆSTIONUM

LIBER SECUNDUS.

DE TOLERANDO DOLORE.

Cap. 1. *Etenim si orationes . . . sed si reperiebantur nonulli*] Est ἀνακόλουθον, quod post nonnulla παρενθετικῶς interposita scriptoribus haud est inusitatum. Sic lib. V. Tusc. cap. 15. *An* dubitas, quin præstans valetudine, viribus, forma.... *si fuerit is qui hæc habet injustus, intemperans, timidus* .... dubitabisne eum miserum dicere? Iterum cap. 19. Similene putas C. Lælii unum consulatum fuisse, *et eum quidem cum repulsa*..... sed tamen utrum malles; te, *si potestas esset*, semel, ut Lælium, consulem, an, ut Cinnam, quater? Sic et Offic. lib. III. cap. 26. Utile videbatur Ulyssi.... sed insimulant eum tragœdiæ, *simulatione insaniæ militiam subterfugere voluisse*. Davisius.

Effectus eloquentiæ est audientium approbatio] Lambino placet *effectrix eloquentiæ*, quod oratorem excitat assensus auditorum, et magna frequentia. Præterquam vero quod omnes codices receptam firmant lectionem, non tam quid eloquentiam faciat, (licet eam quoque non sola pariat audientium approbatio) quam quæ sit ejus vis, dicendi videtur locus. *Effectus* ergo valere censeatur ἀποτέλεσμα, seu quod ex eloquentia, velut ex causa, proficiscitur. Davis.

Finem proponerent] Forte Cicero scripsit *finem ponerent*. Idem.

Atticorum] Cic. Orat. cap. 7. Quintilian. Instit. Orat. XII. 10.

Cap. 3. *Quorum*] Epicureorum. Vide lib. I. cap. 3.

Nisi ipsi inter se] Omnino legerim, *nisi ipsis inter se*, quo modo primus emendavit vir doctissimus Joan. Clericus. Davis.

Cap. 4. *Falsumque illud ac improbe*] Falsam quidem esse sententiam illam video, improbitatis nullam in ea significationem reperire possum. In vetere libro, quem habeo, ita legitur: *falsumque illud ac improbæ*; ex qua depravata scriptura conjecturam feci, ita legendum esse: *falsumque illud Accii*.

Probæ et si in segetem, &c.

Ut Cicero et poetam nominaverit, qui

id dixerat; et præcepta philosophiæ, non simpliciter cum seminibus, sed cum probis et lectis seminibus compararit. MURET. *Var. Lect.* XVI. 20.

Cap. 6. *Permanet*] Ita Gruterus: sed Victorius interrogative, *permanet?* Totam aut hanc ῥῆσιν sic refingit vir magnus, qui mox honoris causa nominabitur. *Ergo, si quod natura ipsa, et quædam generosa virtus statim respuit, ne dolorem summum malum diceres...in eo magistra vitæ philosophia permanet: quod huic officium, &c.* BUHER.

Cap. 8. *O multa dictu*] Qui hos versus Accii esse, non Ciceronis putant, H. Stephanus, *in Trachin.* Sophoclis, et G. J. Vossius, *in fragm. veter. Tragic.* nihil afferunt, quo dictum confirment; et eo refelluntur, quod Cicero, ubi alienos describit versus, non solet nisi pauculos, et qui ad rem faciant. Locum hunc totum expressit Ovidius, *Met. IX.* 165. *et seq.* BUHER.

Biformato impetu centaurus] Eadem figura, quæ poetis familiaris, dixit Horatius *crines* Paridis *adulteros.* Cicero ipse: *barbara immanitas,* id est, *barbarorum.* IDEM.

Inflixit] Vict. Man. Grut. *infixit.* Qui negavit Latinam hoc esse, non meminerat hujus Virgiliani, Æneid. IV. 689. *Infixum stridet sub pectore vulnus.* IDEM.

Vi] Lamb. *vir.*

Virginalem me ore] Idem. *virginali more.*

Cap. 9. *Lernam tetram*] Idem. *Lernam, tetra.*

Cap. 10. *Furtum Lemnium*] De quo Plato in Protagora.

Unde ignem] Videntur hi versus expressi ex Prometheo Æschyli, ver. 7. 8. 9. BUHER.

Pinnata cauda nostrum adulat sanguinem] Lingua etiam adulant canes, vel adulantur, et lingendis vulneribus, sanguinem non exprimunt, sed sistunt. De corde et jecinore Promethei *quantum* Jovis satelles *die ederat,* inquit Hyginus, *Fabul.* 144. *tantum nocte recrescebat:* eo necesse erat sisti *sanguinem;* quod præstabat aquila eum *adulans pinnata cauda.* ANON. Plura in hos ipsos versus Turnebus, Advers. II. 9.

Cap. 11. *Et proprium numerum*] Has voces Davisius uncinis cinxit veluti spurias, et amputandas. Est tamen sine illis manca et parum concinna oratio. Si quid habet caliginis, conabor depellere. Duos Cicero philosophos, Dionysium Stoicum, et Philonem Academicum, quos Athenis audiverat, eorumque stylum, et explicandæ publicis dictionibus philosophiæ rationem comparat. Uterque admiscebat versus orationi. *Sed is quasi dictata.* Phrasis per ellipsin mutila; sed quam facile supplet qui scit qua de re agatur. *Dictata* hoc loco sic intelligi decet, quemadmodum in istis: de Fin. I. 4. *Iisdem de rebus semper quasi dictata decantare.* De Nat. Deor. I. 26. *Ista tamen a vobis tanquam dictata redduntur.* Hoc itaque dicit Cicero: Dionysius, ut Stoicus, nullum sequens florem orationis, ita dicebat, *quasi dictata* redderet; nullum adhibebat delectum, nullam elegantiam aspergebat. Philo adjungebat verbis et versibus proprium numerum; seligebat poemata, e quibus versus excerperet, et excerptos collocabat eleganter *loco* idoneo. Dionysius non adjungebat *proprium numerum,* quoniam *quasi dictata* reddebat. ANON.

Nostris poetis] Victorius et Gruterus sic legunt, ac distinguunt, *nostris poetis, sed sicubi illi defecerunt. Verti enim multa,* &c. Ut hoc voluerit Cicero: uti se studiose quidem Latinis poetis; sed tunc tantum, cum e Græcis nihil suppetit. Multa enim a se versa esse de Græcis, quæ ornandæ adhibeat Latinæ orationi. Pro ea quam recepimus lectione stant Manutius et Lambinus, ex qua elicitur sensus item commodus, et apertus. OLIV.

Capior] Hic agit Cicero partes hominis, qui amet persuaderi sibi, in dolore malum non esse. Itaque *capior* perinde valet ac inescor. PASS.

Cap. 13. *Nihil proficientem, et sub*

rantem?] Inepta sane oratio, ut nihil supra. Omnino dicendum erat, mutato ordine, *patieturne te quidquam facere, laborantem, et nihil proficientem.* Hoc quidem ferri posset, ut illud Tusc. I. 5.

Sudans... neque proficit hilum.

Verum, cum omnia exemplaria hunc verborum ordinem servent, pro certo habeo vocabulum excidisse, et reponendum, *nihil proficientem, et* frustra *laborantem.* Quod et jam video Lambinum occupavisse; sed ejus conjecturæ ne mentionem quidem facere dignatus est Gebhardus. Bentleius.

Cap. 14. *Dicere Prometheum, aut Philoctetam: illos enim malo, quam te. Sed ille certe non fortis, qui*] Vict. Grut. *dicere aut Philoctetam illum? A te enim malo discere.* Sed Man. *dicere Prometheum, aut Philoctetam illum, (quam te enim malo dicere; sed ille certe non fortis) qui.*

Potes dicere] Variæ lectiones ante oculos versantur. At novam, eamque ingeniosam proponit conjecturam eruditus Bentleius: *num humana contemnentem potes* te *dicere? aut Philoctetam illum: a te enim malo* discedere.

Mutum] Vict. Man. Grut. *multum.*

Mutum] *Mutum,* inquit, *saxum refert flebiles voces;* quia Philoctetæ ejulatibus resonat. Hoc pulchrum est, et poeta dignum; hic antitheton eleganter adhibetur. Quod si *mutum,* ut sane est, pro vera lectione est amplectendum, sequitur, ut pro *qui* legendum sit *quod,* ut vel hoc loco Petrensis tuus præfert. Ergo *lecto,* si vera ea lectio est, erit neutro genere a *lectum,* ut Græcis λἑκτρον. Sic Digest. XXXIV. 2. 19. *Lectum plane argenteum argenti appellatione non continetur.* Quamobrem totus locus sic constituendus est: *Sed ille certe non fortis, qui*

jacet in lecto humido
Quod *ejulatu, questu, gemitu, fremitibus*
Resonando, mutum *flebiles voces refert.*

Nam illud *lecto humido* non Ciceronis esse, sed poetæ, ipsa dictio satis indicat. Lectum autem humidum est plane *suum illud Lemnium,* quo Philoctetes procumbens omnia complebat questu et gemitu. Bentleius.

Si nulla est, quid exornamus philosophiam] Aliquanto venustius, mea quidem sententia, legitur apud Nonium: *sin nulla est, quid exornamur philosophia?* Damus enim nos philosophiæ exornandos, ut fortiter dolorem ferre possimus: quam hic esse Ciceronis mentem apparet. Si nulla est, inquit, patientia, frustra excolimur præceptis philosophiæ, frustraque præclarum philosophi nomen ambimus. Passer.

Cap. 15. *Fertilitas barbara*] *Barbara,* Phrygia, Asiatica. In illis enim gentibus fœminæ non alio, laudabili certe, quam quærendorum liberum studio tenentur. Vide Serv. *in II. Æneid.* 501. *et* 504. Passer. Lego:

Apud Lacænas virgines,
Queis *magi' palæstræ, Eurotas, sol, pulvis,* labor
Militiæ *studio est, quam* teneritas *barbara,*
Buherius.

Cap. 16. *Militiam vero nostram*] Ita principes nostræ quatuor editiones. Sed bene admonuit Thomas Wopkensius, parenthesi esse distinguenda quædam, hoc modo: *Militiam vero (nostram dico, non Spartiatarum,* &c.) *nostri exercitus primum unde nomen habeant, vides.* "Sermonem, " inquit, sic instituebat Tullius, ut si " dicturus fuisset, *militiam, unde no-* " *men habeat, vides,* id est, unde mili- " tia nomen habeat, vides. Sed fac- " ta quadam orationis digressione, " ab incepto suo transversus velut " abripitur; idque ut resumat, non " eandem *militiæ* vocem repetit, sed " synonymam *exercituum:* quod ἀνα- " κόλουθον, post multos alios, optime " illustravit Davisius ad hujus libri " cap. 1. Hæc igitur Mss. lectio om- " nino mihi placet; quamvis contra " illam insurrexerint litteratores eru- " ditissimi." Hactenus Wopkensius. Quis autem sit ille, vivat, an vixerit,

equidem nescio. Hoc scire videor certe, ipsum esse insignem ac peritum inter paucos grammaticum. *Tullianas ejus Lectiones*, Amstelodami non ita pridem editas, nec raro, nec segniter evolvant ii omnes, quibus Cicero noster placet; quique ad eum contra Davisios ac Bentleios defendendum, sibi arma comparare velint. Pauca ego tamen a Wopkensio describo: quia, cum in coarguendis Davisii flagitiis fere versetur, in hac vero editione flagitia hæc non compareant; Wopkensii animadversiones neque usum habebant, neque locum, ubi nullæ tales corruptelæ sunt. Id ago ut intelligatur Cicero; non ut lector de verbis ejus sensuve litigantium grammaticorum concertationibus intersit. Olivet.

Ad modum ad tibiam] J. F. Gronovius, Observat. lib. III. cap. 6. legendum conjecit, *quorum procedit mora ad tibiam*, quod *mora* Lacedæmoniorum cohors dicta sit, ut patet ex Cornelii Nepotis Iphicr. cap. 2. Joannes autem Buherius, manuscripto quodam libro innixus, *quorum procedit motus ad tibiam*. Alii distinguunt, *ad modum, ad tibiam*, ut *modus* et *tibia* sint quasi synonyma. Idem.

Feret] Vict. Man. Grut. *foret*. Lamb. *ferat*. Istud autem *feret* in prioribus editionibus a typographis nostris proficiscitur. Qui Lambino an fuerint infeliciores, dispiciant critici. Ego juberem edi *foret:* nulla tamen alia ratione adductus, nisi quod a majori editorum parte discedere, sine causa, non placet. Idem.

Expeditis armis, &c.] Notum est, adjectiva usurpari sæpe pro adverbiis, quod vis in utrisque insit significandi modum aliquem certum vel rei, vel actionis. Hic ergo ait Cicero Romanos milites uti armis tam expedite, quam membris. Passer.

Cap. 17. *Certe Eurypylus hic quidem est*] Ἥρως διοτρεφὴς, Iliad. Λ. 818. *Hominem exercitatum!* En veteranum militem, usu atque exercitatione duratum: orationem agnosco dignam heroe: non plorat, non lamentatur, ut inexpertus faceret: remedia non aspernatur; quod esset furiosi. Medicum modo requirit, qui vulnera obliget. Idem. Hæc tam scabra, tam aspera et confragosa quis Tullio ascribere audeat? Variant codices miris modis: ex quibus tu post alios aliquid extundere conatus es: sed, nisi fallor, vix tibi ipse satisfecisti. Nimirum hæc verba sunt, non Ciceronis, sed poetæ illius, quæ manca et imperfecta adducit, ut et plura infra. Nam illa, *certe Eurypylus hic quidem est*, si Ciceroni affingis, putidissima sunt. Quis enim tunc hoc nesciverit, cum integra poetæ fabula manibus vulgi terebatur? Ergo Patrocles hæc loquitur apud tragicum, ubi facie et voce agnovit Eurypylum ad Achillis tentorium accedere: et sic collocanda sunt;

> *Certe Eurypylus . . . hic quidem est;*
> *Hominem exercitum . . .*

Ubi tantum luctus continuatur, vide quam non flebiliter respondeat. Duo illa verba ex longa illa et luctuosa ῥῆσει adducit: reliqua, ut tum nota, omittit. Et *vide*, inquit, quam non flebiliter Eurypylus respondeat longæ illi Patroclis orationi, qua ipsum letali vulnere ictum commiserabatur. Bentl. Jam nihil scabrum, nihil hiulcum, si paucis mutatis, vel alio quidem ordine dispositis legas: *certe Eurypylus hic quidem est. Abducet Patrocles, credo, ut collocet in cubili, et vulnus obliget, si quidem homo esset. Sed nihil vidi minus. Quærit enim, quid actum sit?*

> Pat. *Eloquere, res Argivorum prælio ut se sustinet?*
> Eur. *Non pote tantum effari dictis, quantum factis suppetit*
> *His laboris. Quiesce igitur, et vulnus obliga.* Pat. *Tace.*

Etiamsi Eurypylus posset, non posset Æsopus.

> Eur. *Ubi fortuna Hectoris*
> *Nostram acrem aciem inclinatam,*

Et cætera explicat in dolore. Sic est enim intemperans militaris in forti viro gloria. O hominem exercitatum!

Ubi tamen luctus continuatur, vide quam non flebiliter respondeat; rationem etiam afferat, cur æquo animo sibi ferendum sit:

Qui alteri exitium parat, sibi
Eum scire oportet paratum, pestem ut participet parem.

Ergo hæc veteranus, &c. BUHERIUS. Sic rescribo: *Ubi tantum luctus continuatur, vide, quam non flebiliter respondeat.* Loci hujus sententiam turbavit hactenus, ni fallor, nota interrogationis post verbum *continuatur* importune collocata. Neque enim interrogat Cicero, sed memorat quid in vetere sit fabula, unde Eurypylum producit et Patroclum, ambos heroas, in quibus demonstret, quantum consuetudo et exercitatio ad tolerandum dolorem faciat. ANON.

Non potest effari tantum dictis, quantum factis suppetit laboris. Quiesce igitur, et vulnus alliga. *Etiamsi Eurypylus posset, non posset Æsopus*] Cicero se quasi interponit, Eurypylum miserans, quæstionibus fatigatum a Patroclo; atque hunc alloquens, non *potest*, inquit, *effari tantum*....Mox ad Eurypylum conversus, hunc *igitur*, omitte, inquit, percunctatorem importunum, *quiesce, et*, quandoquidem cessat obligare tibi *vulnus*, ipse *alliga*. Atenim, inquit, orationem ab utroque avertens, *etiamsi posset Eurypylus* quiescere, *non posset Æsopus* actor; cui necesse est declamare omnia quæ a poeta sibi commissa habeat. Hanc, opinor, loci hujus interpretationem non mirabitur, qui meminerit, quam in talibus sit facetus Cicero. ANON.

Si satisfactum] Vide Turnebum, *Adv.* IV. 18. et J. F. Gronovium *Observ.* lib. II. cap. 2.

Iis non sit] Vict. Man. omittunt *non*.

Cap. 18. *Falsaque ejus visione et specie*] *Visionem* et *speciem* appellat, quam nos *ideam* dicimus. Sententia non est, homines falsa mali et doloris imagine ac specie moveri vehementius, quam vera. Sit enim vera imago, sit falsa; nihil interest; perinde movet. Qui se falso putat esse fortunis eversum omnibus, non minus vero percellitur doloris sensu, quam si vere amisisset, quæ sibi periisse existimat. Potest dolendi causa esse non vera, sensus doloris falsus esse non potest. Quid ergo dicit Cicero? Hoc unum: in dolore non tantum est mali, quantum inesse vulgo creditur. Mali quidpiam in dolore esse non nego; multo minus affirmo cum Stoicis, bonum esse; sed *illud, quidquid est* mali, *tantum esse, quantum videatur, non puto;* fingunt in eo sibi monstrum homines, cujus *falsa visione et specie moveri* eos *dico vehementius*, quam deceat. Dolorem ideo formidant, quod, ejus quæ natura sit, non recte intelligunt. ANON.

Doloremque ejus omnem esse tolerabilem] Quid, amabo, est *dolorem ejus?* nempe dolorem doloris. Quod cum absurdissimum sit, Manutius et Lambinus dederunt, *doloremque eis omnem esse tolerabilem.* Atqui hoc, ut clementissime dicam, supervacuum est. Quorsum enim *eis?* Nimirum verendum erat, ne non de *hominibus*, sed de bestiis loqui videretur. Tu ex codice lutulento nulliusque pretii reponis, *doloremque* ejusmodi *omnem*. Obsecro te cujusmodi? siquidem non de hoc vel illo, sed de omnimodo dolore hic agit. Vide igitur an nos rectius collineemus: lego enim, *falsa ejus specie moveri homines...doloremque* rebus *omnem esse tolerabilem.* Opposita hic sunt *falsa specie*, et *rebus;* quod perinde est, ac si *revera, re ipsa* dixisset. Ergo sententia optima nascitur; falsa sui specie perterrefacit dolor, re vera est tolerabilis. Porro de *rebus* consule acutissimum Gronovium patrem, Observat. III. 6. BENTLEIUS. Lego: *coloremque ejus.* Sumitur enim *color* metaphorice. Virgilius, Georg. II. 178. Hor. II. Sat. I. 60. I. Epist. XVII. 3. BUHER.

Cap. 21. *Velut*] Vocem hanc Davisius hic et postea dividit, *vel ut*.

Tamen huic] Sic quidem codices. At inter se comparari Sophoclem et

Pacuvium satis quidem constat: quapropter Cl. Bentleius bene rescribit *apud hunc*. Forte, *Pacuviano huic*. Davis.

Cap. 25. *A dolore deductus est*] Unde, obsecro, *deductus* est? num a magistro Zenone? an potius de sententia; ut paulo inferius habes, *quænam ratio eum de sententia deduxisset?* Atqui hoc pacto non erat dicendum *a dolore;* sed sublata præpositione, *dolore deductus est*, atque sic plane habet codex tuus Petrensis, sed ille πονηροῦ κόμματος, et nullius auctoritatis. Manutii editio cum aliis nonnullis, *a dolore devictus est:* quod Lambinus in libri margine amplectitur, in annotationibus repudiat. Equidem vel hanc lectionem vulgatæ prætulerim: verum alia subest longe melior et sincerior; quam, licet a nullo libro (qui hodie supersit) confirmatam, præstare tamen ausim verissimam. Ea hujusmodi est: *eum a Zenone fortis esse didicisset, a dolore* dedoctus *est:* hoc est: *dedoctus est esse fortis*. Agnoscis, opinor, elegantem oppositionem, inter *discere* et *dedoceri;* quam alibi quoque Cicero adhibuit, ut de Finibus, I. 6. *si a Polyæno geometriam* discere *maluisset, quam illam etiam ipsum* dedocere. Bentleius.

Ex Epigonis] Erat Æschyli tragœdia, quam laudat Scholiastes Pindari ad Isthm. VI. 10. eamque videtur Accius in linguam Latinam vertisse. Vide Nonium cum alibi, tum in *mactare*. Falluntur ii, qui Euripidis drama fuisse censuerunt. Dav.

Cap. 26. *Omninoque omnes clari et nobilitati labores* contemnendo *fiunt tolerabiles*] Per *labores* intelligit ludos Gymnicos, Olympia, Pythia, et id genus, ut ex sequentibus constat. Quid ergo? an ejusmodi *labores* fiunt tolerabiles *contemnendo?* nihil vidi minus. Immo contra, qui admirantur, qui Olympiorum victoriam, ut superius dixit, antiquum illum consulatum arbitrantur, hi tanto facilius labores eos perpetiuntur, quanto in majore felicitatis parte ponunt. Lege ergo meo periculo, et librarios plorare jube: *Omninoque omnes clari et nobilitati labores* contendendo *fiunt tolerabiles*. Hoc enim est, quod sæpius inculcat Cicero, ut supra, cap. 21. *Quæ sunt ista arma contra dolorem?* Contentio, *confirmatio, &c.* Bent.

Punctis singulis] Suffragiis, quæ olim punctis notabantur. Ad eundem morem respicit Horatius Art. Poet. vers. 343. Davis.

Cap. 27. *Delphinus, ut Arionem Methymnæum*] Nota fabula, quam tradunt Herodotus I. 23. 24. Plutarchus in Conviv. septem Sap. Ovidius Fast. II. 83. &c. Idem.

Equi Pelopis illi Neptunii] Pelops, ut Hippodamiam uxorem duceret, equos alatos a Neptuno ferebatur impetrasse. Pindarus Olymp. I. 139. Pausanias lib. V. cap. 17. &c. Idem.

Sic enim duximus] Ita primariæ quatuor editiones nostræ. Sed Buherius, *dicimus;* neque id recusabit, qui meminerit, quod supra cap. 3. dixit Tullius, se, quamdiu in Tusculano cum amicis fuit, *ante meridiem dictioni*, utique ad clepsydram, *operam dedisse*. Hic igitur discipulum in crastinum ad dicendi exercitationem invitat. *Cras ad clepsydram* dicemus more nostro; *sic enim dicimus;* hæc nostra ratio est. Davisius vero, *diximus*, sensu valde commodo. *Sic enim diximus* facturos esse nos, et diem partituros. Nemo quæret, opinor, quandonam id Cicero amicique dixerint. Satis est hic significari fuisse dictum: neque enim omnia perscripta sunt, quæ illis diebus in Tusculano dici potuere. Olivet.

Et tibi hoc video non posse deberi] *Deberi* non potest: *deberi* non posse: eleganter pro eo, quod præstandum, persolvendum, dandum. Cicer. de Legib. II. 3. *Præclare exigis, Quinte. At ego effugisse arbitrabar: et tibi horum nihil* deberi *potest*. III. 11. *Sensit enim* deberi *non posse huic civitati illam potestatem. Quippe quam tantopere populus*, &c. In Epist. ad Trebat. Famil. VII. 19. *Quod præsenti tibi prope subnegaram, non tribueram certe, id absenti* debere *non*

potui. Gifanius. *Observ. in ling. Lat.*

Hoc eodem tempore] Sic edidere omnes. Etsi autem nemo non videt, agi de philosophica disputatione, cui assignatum erat tempus pomeridianum, ut antemeridianum oratoriæ declamationi; videtur tamen facilius ad intelligendum fore, si distinguas in hunc modum: *hoc, eodem tempore.* Est ergo *illud* dictio ad clepsydram: *hoc* designat philosophicam collocutionem: *eodem tempore*, quo heri et hodie fecimus. Olivet.

TUSCULANARUM QUÆSTIONUM

LIBER TERTIUS.

DE ÆGRITUDINE LENIENDA.

Cap. 1. *Inventioni consecrata*] Omnino intelligi voluit Cicero, utilitatem artis medicæ eo fuisse, quasi consecratam, quod credita fuit inventum esse deorum immortalium; aut certe inventores ejus ac primi artifices divinis honoribus affecti. Proinde legendum non *inventioni*, sed *inventione*. Ita scribit constanter Cicero. *Vetera jam ista, et religione omnium consecrata*, inquit *Tuscul.* I. 14. Et *Tusc.* V. 4. *Socratis ratio disputandi Platonis memoria et litteris consecrata.* Non aliter, *de Nat. Deor.* II. 26. *Aer Junonis nomine consecratur.* Itemque III. 24. *Quarum rerum utilitate video etiam consecrata simulacra.* Buher. Quid si *consecrata* perinde accipitur ac assignata, attributa? Potest quidem sic accipi. Quid est enim consecratio? Assignandi, addicendi, attribuendi forma quædam. Tum opportune monet Thomas Wopkensius, *Lect. Tullian.* II. 17. non raro actioni tribui quod personæ convenit: et III. 1. non abhorrere Tullium ab ejus figuræ usu, quam grammatici vocant hypallagen. Ibid. III. 3. *Solet Tullius de qualitatibus rerum loqui, tamquam de rebus ipsis, quarum illæ qualitates sunt.* Jam proposita Ciceronis verba sic opinor posse intelligi: ars medendi, propter suam utilitatem diis assignata fuit tamquam inventoribus. Vel, quod eodem recidit: inventio artis medicæ, propter suam utilitatem diis fuit attributa. Anon.

De se ipse tum judicet] Si æger animus de se posset suoque morbo judicare, qui artem aspernaretur curandi sanandique sui? illam idcirco negligit, quod egere se non putat remediis. Hoc certe voluit Cicero, quem miror a Davisio rapi in alia omnia. Plutarcho se tuetur. Esto sane Plutarchus arbiter. En quæ ex hujus libro de animi corporisque affectionibus descripsit; ubi videtur Græcus scriptor, quod in hac Tusculana legebat, exprimere sua lingua voluisse, *Opusc. pag.* 500. τῶν μὲν γὰρ περὶ τὸ σῶμα νοσημάτων ἐῤῥωμένος ὁ λογισμὸς αἰσθάνεται. Τὰς δὲ τῆς ψυχῆς συννοσῶν αὐτὸς, οὐκ ἔχει κρίσιν ἐν οἷς πάσχει. Πάσχει γὰρ, ᾧ κρίνει. Quæ Latinus interpres ita reddidit: *nam ratio sana morbos corporis sentit. De animi morbis, simul ipsa laborans, judicium ferre non potest, affecto eo ipso, cujus erat judicare.* Proinde non dubitarem legere cum Erasmo: *ipse non judicet*, nisi ipsa

Ciceronis verba exhiberet vetus codex Lugdunensis Batavorum Academiæ, qui habet: *ipse non tum judicet: cum,* &c. Post paulo legendum arbitror, *ægrotat.* BUHERIUS.

Cap. 2. *Nullam eminentem effigiem* [virtutis] *sed adumbratam imaginem gloriæ*] Voci, *virtutis,* præeunte doctissimo Bentleio, uncinos circumposuimus, cum manifesto παρέλκει, nec a Balliol. agnoscatur. DAVIS.

Ea virtuti resonat tanquam imago] *Imago* idem valet ac Echo. Philargyrius in Virgilii Eclog. IV. 50. *Quæ Græce* ἠχὼ, *Latine* imago *dicitur.* Horatius lib. I. Od. 12.

cujus resonet jocosa
Nomen imago. IDEM.

Cap. 4. *Insanitatem*] Vide Turnebum, Advers. II. 6.

Cap. 5. *Si furiosus esse incipit*] In farragine Nonii Marcelli, V. *Furor,* ubi hæc describuntur verba Ciceronis, legere est: *Si furiosus esset.* Atenim et hic et illic rescribendum est, *escit,* quod proprium est verbum XII. Tab. Illud *esse incipit,* glossema est, ut vocant, quod e margine in contextum irrepsit. Adhibenda est eadem correctio de Divinat. II. 50. ubi videmus, *si furiosus est,* et Rhetoric. ad Herenn. I. 13. *si furiosus existit.* Quæ scribendi varietas scriptorum inconstantiam erroremque arguit. BUHERIUS.

Cap. 6. *Sed est naturale*] Qualis, dii boni, oratio! *Est naturale tenerum quiddam et molle.* Apage istam scabiem et porriginem ab homine omnium cultissimo. Quis, qui Ciceronem unquam triverit, non sic potius scripsisse dejeraverit? *Est natura tenerum quiddam et molle.* Quare sic corrigendus est totus locus. *Sed est* natura fere *in animis tenerum quiddam,* &c. Ita in Tuscul. II. 20. loco huic simillimo et plane gemello, *est in animis omnium* fere natura *molle quiddam,* &c. Quare ipsum Ciceronem, optimum ducem, sequamur; et vapulent librarii. BENTLEIUS, *et præeunte quidem Lambino.*

Cap. 8. *Si iis angustiis, quibus plerique putant, teneretur.*] Dicit hoc idcirco, quoniam laus a frugalitate ducta sordere jam cœperat Romanis civibus. Ferebant enim se pares regibus, de quibus Noster dixerat, (*pro Deiotar. cap.* 9.) *frugi hominem dici non multum habet laudis in rege.* Quod ille fastidium statim improbat. At alibi (*ad Attic. VII.* 4.) satis significat, id elogium, in quo veteres tantum videbant honorificæ commendationis, non aliis tribui solitum esse quam servis aut libertis. Nam Dionysium quemdam postquam appellavit *frugi hominem,* subjungit, *ac ne libertinum laudare videar, plane virum bonum.* Ubi modica correctione adhibita legendum videtur: *ne ut libertinum,* &c. Erat enim is homo revera Attici libertus. Redit in memoriam hac occasione lepidum epigramma Martialis, XII. 30.

Siccus, sobrius est Aper. Quid ad me?
Servum sic ego laudo, non amicum.

Quam vero ob causam lauti homines atque honorati laudem admittere illam desierint, S. Augustinus aperit lib. de Beat. Vita, n. 31. *Propter vulgarem dicendi consuetudinem, quia frugalitas, quasi parsimonia dici solet.* BUHERIUS.

Tentemus, et lusisse] Grut. *Sed temerius lusisse.*

Cap. 9. *Apud Homerum*] Iliad. I. 642.

Male Latine, &c.] Vide Sanctii Minervam III. 3. v. *Invideo.*

Cap. 10. *Quod si hoc ægre*] Davisius probabili conjectura, delet *hoc.*

Hæc si dicuntur a Stoicis . . . *et latius*] Vulgo *hæc* sic *dicuntur a Stoicis* . . . sed *latius.* Priorem mutationem ratam faciunt Reg. et Pithœan. Alteram excogitavit Cl. Bentleii solertia. DAVIS.

Etiam mediocre, magnum *est*] Lego: *etiam mediocre,* malum *est.* BUH.

At non similis est ægrotationis libido] Vide Cic. de Fin. III. 10.

Cap. 11. *Turbantur*] Davisius, *turbant,* assentiente Buherio.

Cap. 12. *Exsanguis*] Ἀρχαικῶς, pro

exsangues. De versu proxime sequenti, Turneb. Advers. XXVII. 6.

Cap. 13. *Opinionem mali*] Ita Victorius: ne quis a Davisio solo profectam hanc lectionem existimet. Sed Man. Lamb. et Grut. *opinione mali*.

Cap. 14. *Apud Euripidem*] Hæc transtulisse de Posidonio Ciceronem, intelligi potest de iis quæ Galenus refert lib. IV. *de Hipp. et Plat. dogm.* quæ ad horum et intellectum et explicationem plurimum momenti allatura sunt. CAMER.

Quamobrem omnes] Terent. Phorm. act. II. sc. I. 11.

Cap. 16. *Proprio philosophiæ fruatur officio*] Quamvis Manutii ac Lambini conjectura, qua *fungatur* pro *fruatur* statuunt, uno et altero codice sustentetur; non tamen rejicere lectionem editam audeo, tanquam Romani sic nunquam locuti essent. *Frui officio proprio philosophiæ*, est illius officii emolumentis potiri. Sic de Amicitia: *recordatione amicitiæ nostræ sic fruor*, hoc est, cum aliquo fructu et jucunditate recordor amicitiæ nostræ. Florus, II. 6. *victoria frui*. WOPKENS.

Humane] Sic Victorius et Gruterus. Sed malim cum Manutio et Lambino, *humana*. OLIVET.

Videt malum nullum esse, nisi culpam] Quod Latini culpam vocarunt, id nos hodie *malum morale*, et κατ' ἐξοχὴν *peccatum* dicimus. Hinc non possum equidem causam expiscari idoneam, cur Bentleius voluerit *nisi culpa*. Famil. IX. ep. 16. *nihil esse sapientis præstare, nisi culpam*. Vide ibid. V. 21. VI. 1. XII. 23. WOPKENS.

Naturam est?...doloris?] Victorius punctum interrogativum et hic et illic non habet.

Cap. 17. *Pythagoras mihi si diceret*] Manutii, Victorii, Lambinique editionibus vix fidem dederim, cum, *Pythagoras mihi* sic *diceret*, exhibent. Est hoc σχῆμα, quod appellant, πρὸς τὸ σημαινόμενον, quo sic loquitur Tullius, ut si in antecedentibus dixisset, *esset hoc quod jubes, aliquid et magno quidem philosopho dignum, Pythagoras modo esset, et non Epicurus ille voluptarius, qui mihi diceret*, &c. Vis illa conjunctionis *si*, dilucidari potest ex his, lib. V. cap. 9. *Laudat* (Epicurus) *tenuem victum: philosophi id quidem, sed si Socrates...diceret, non is qui finem*, &c. WOPKENS.

Acriculus] Vict. Man. *Græculus*. Lamb. ἀκρόχολος.

Cap. 18. *In eo igitur qui non est*] Hoc ait Cicero: Ex eo quod dolere sit summum malum, non esse consequens, quod in remotione doloris, vel in non dolendo, sit summum bonum: quoniam qui in dolore non est, etiamsi malo careat, non idcirco fruitur summo bono. Si quis hæsitat in hac phrasi, *qui non est in eo;* quæritve quo referatur pronomen *eo;* respondebit ex Prisciano Franc. Sanctius, Minerv. III. 6. *vim nominis rei ipsius habet verbum infinitum*. Tam igitur potest referri pronomen *eo* ad verbum *dolere*, quod antecedit, quam referretur ad nomen *dolor*, si hoc usus fuisset Cicero. ANONYM.

Qui, si virtutes ebullire volent et sapientias] Ingeniose et vere tu reponis, *ebullire nolent:* aut sic enim legendum est, aut, quod eodem redit, *qui*, nisi *virtutes ebullire volent*. Cæterum, cum hic interpretis munere fungatur Cicero, et verbum de verbo reddat; vocabulum Græcum, quod hic vertit *ebullire*, vix aliud esse potuit quam παφλάζειν: id enim et proprie *ebullire* significat; et metaphorice, cum strepitu et inani jactatione verba fundere. Noster alibi de Epicuro et ejus asseclis *effutire* et *balbutire* non dispari sensu dicere solet: quæ sat prope accedunt ad receptam lectionem *ebullire:* sed hoc Nonii auctoritate stabilitur. BENTL.

Ὑδραύλεως] De hydraulicis organis Athenæus lib. IV.

Si vero aliquid etiam] Quod recte monuerunt Camerarius et Ursinus, est honesta ἀποσιώπησις, qua τὰ ἀφροδίσια modeste reticentur. Vide Donatum ad Terentii Eun. act. III. sc. II. 26.

et Servium ad Virgilii Eclog. III. 8. Davis.

Cap. 19. *Cantoribus Euphorionis*] Vide sis Is. Casaubonum ad Suetonii Tib. cap. 70. et Cl. Salmasium Exerc. Plin. edit. Paris. p. 856. Id.

Hedychrum] Unguenti genus, de quo Dioscorides, lib. I. cap. 61.

Cap. 21. *Nisi quod expediat*] Reprehendendus non est, qui nihil facit, nisi quod expediat. Est, qui nihil, nisi quod sibi expediat. Credibile est igitur scripsisse Ciceronem: *nisi quod expediat sibi*: postremamque vocem ab iis esse mutatam, qui e margine in contextum intruserunt ineptam paraphrasim illam: *omnia referre ad utilitatem suam*. Buher.

Cap. 22. *Eadem illa de Andromacha deplorare*] Narrat Davisius oblatum sibi esse veterem manu exaratum codicem, in quo legerit *deplorasse*, quod habet quoque antiqua editio quæ penes me est. Vera hæc, et omnino retinenda est lectio. Cum ex consequentibus appareat, Corinthios cives illos, jam patriæ oblitos, nihil cogitare minus, quam ut ejus calamitatem deplorarent: ait tantummodo Tullius potuisse illos eadem deplorare olim, quæ in fabula deplorat Andromacha; cæterum longa die jamdudum lacrymas exaruisse. Buher.

Sed et jam decantaverant] In antiqua editione: *sed jam etiam decantaverant*. In Lugdunensi codice, itemque in Regio, *sed etiam*, &c. Nemo, quod miror, suspicatus est, omnino legendum esse: *sed jam recantaverant*. Vulgatum illud *decantaverant*, cum nihil ultra *cantaverant* dicat, longe est a Ciceronis sententia remotum, qui vult intelligi, Corinthios ploratores illos, vivere jam securos patriæ, et traducto in alias urbes, quibus transcripti fuerant, affectu, veteres quodammodo amores ac pristina desideria recantasse. Vidit sane nodum Adrianus Turnebus, et Advers. XIX. 5. expedire sic tentavit: *decantaverant, opinor, dicit, non decantabant, sed decantare desierant*. Atenim nimis hoc ambiguum est. Tum res ipsa verbum *recantaverant* ultro adducebat, sic aptum loco et congruens, ut credibile sit, hic a Cicerone usurpatum esse, uti post ipsum ab Horatio, I. Od. XVI. 24. Idem.

Cap. 23. *Majora videantur*] Lamb. *majora sint*.

Sunt, videntur, non] Vict. Grut. omittunt *videntur*.

Cap. 24. *Nisi quod ratio* quædam *sanat illos, hos ipsa natura*] Ineptum est et spurium illud *quædam*. Repone, *nisi quod ratio* quidem *sanat illos, hos ipsa natura*. Bentl.

Ipsa natura; intellecto...evertere. Hoc igitur] Sic interpungendum censeo: *ipsa natura. Intellecto eo, quod remedium illud continet, malum, quod opinatum sit esse maximum, nequaquam esse tantum, ut vitam beatam possit evertere; hoc igitur efficitur*, &c. Buher.

Cap. 25. *Multi*] Legendum videtur, *multis*. Idem.

Cohibet] Legas ut admonuit Lambinus, *prohibet*. Idem.

Aut non tangat ægritudo, *aut perleviter pungat animi dolor*] Quid aliud est *ægritudo*, nisi *animi dolor?* Frustra igitur sententia oneratur, et ultra perfectum trahitur. Equidem sic Tullium dedisse censeo: *aut non attingat* omnino, *aut perleviter pungat animi dolor*. Quanto hoc rotundius et castigatius? Bentl.

Cap. 26. *Agamemnon Homericus*] Iliad. κ. 15.

Bellerophonte, Qui miser in campis] Iliad. ζ. 201.

Cupido] Græca apud Euripidem, Med. vers. 59.

Cap. 27. *Decrevi*] Heauton. act. I. sc. I. 95.

Malo] Ibid. act. I. sc. I. 83.

Apud Homerum] Iliad. τ. 226.

Posteaquam Tyrum venissent] Magnam veri speciem habet Wesselingii (*Observ*. I. 13.) conjectura, rescribentis; *posteaquam Cyprum*, &c. Buherius.

Cap. 30. *Ipsi ad miseriam invitant*] Ursini codex, *ipsi ad* se *miseriam invi-*

tant. Quod pro sincero et recto habent Davisius, ac Buherius.

Cap. 31. *Appellabatur*] Legit, *appellabitur*, Davisius: *appellatur*, Buherius ex Ms. Lugdunensi.

Ad alia traducere] Vulgo *ad aliam.* Quasi sicut amor amore alio, sic animi dolor alio dolore sit expellendus! Sed hoc minime vult Tullius; quare nos eam recepimus lectionem, quam præstant Reg. Pithœan. Med. Vatic. Pall. quart. quint. Balliol. Bak. et Eliens. sec. tert. Davis. Adstipulatur Buherius.

Nihil novi] Vulgo *nihil mali*: eaque est cunctorum Mss. lectio; quæ cum absurda fuerit, Manutius et Lambinus rescripsere, *nihil novi.* Sed altius latet mendum, quam putarunt eruditi illi viri. Omnino reponendum *ut Cirenaici.* Cum enim cæterorum, quæ hic refert, dogmatum fautores nominat Cicero: parum decore se gesserat, si patronos hujusce sententiæ tacuisset. Hos autem fuisse Cyrenaicos, abunde constat. Noster lib. III. cap. 13. *Cyrenaici non omni malo ægritudinem effici censent; sed insperato et* nec-opinato *malo.* Iterum cap. 22. *Cyrenaicorum restat sententia, qui tum ægritudinem censent existere, si* nec-opinato *quid evenerit.* Mirum tamen fortasse videatur, quod a recta via immane quantum discesserint omnes librarii. Sed qui manuscriptos trivere, non nesciunt, quam frequentia sint in propriis nominibus eorum peccata. Si vero ductus attendas litterarum, a vulgata tam longe non abeunt, quam prima facie censeri queat. Utcumque sit, ipsa sententiæ vis facit, ut hæc emendatio mihi palmaria videatur, et ab omnibus probanda. Davis.

Ut fere nos in Consolatione *omnia in consolationem unam conjecimus*] Sic Reg. Pithœan. et optimi quique codices; nam vulgo *in Consolatione* nesciunt. Idem.

Prometheus ille Æschyli] Prometh. Vinct. vers. 378.

Rationem] Lambinus, *orationem*, ut et H. Stephanus in Castig. Cicer. Quod omnino probat Buherius; et nunc ego, si liceret, edi juberem. Olivet.

Cap. 32. *Et de communi conditione vitæ, et proprie, si quid sit, de ipsius, qui mæreat, disputandum*] Hoc vult Cicero: *disputandum* est, *et de communi conditione vitæ, et proprie de* conditione *ipsius, qui mæreat, si quid sit*, quod de illa possit proprie disputari. Concinnitas orationis non exigit, ut quoniam præcessit, *de communi*, sequatur, *de propria.* Cic. de Offic. I. 30. *Intelligendum est etiam, duabus quasi nos a natura indutos esse personis: quarum una est communis; altera autem, quæ* proprie *singulis est tributa.* Si quis veretur, ut satis Latinum sit, *de ipsius*, putatque adjungendum esse præpositioni nomen sexti casus, habet, quem legat, Ciceronem. Anonymus.

Cap. 34. *Toto corpore curando*] Hoc est, curatione totius corporis, dum corpus totum curant. Ita *Offic.* lib. I. *Orationem Latinam profecto legendis nostris efficies pleniorem*: lectione nostrorum, legendo nostra. *De Rep.* III. *Noster populus, sociis defendendis, terrarum jam omnium potitus est*: defendendo socios. Passerat.

Etsi singularum rerum] Mendosus est hic locus: alii aliter corrigunt: expedita videtur esse ratio, si legas: *Et sic singularum, &c.* Hoc ipsum legerat in veteri codice Davisius, cur neglexerit, non video. Buher. Cum e vulgata lectione nihil possem elicere, Buherianam in contextum admisi. Quod tamen factum nolim. Ejectis scilicet duabus his voculis, *et si*, nihil decedet sententiæ: imo non parum lucis accedet. Neque aliter dedit, Lambinus, quem sequi debueram. Olivet.

Contractiunculæ... Hanc] Bentleius assentiente Buherio, legit, *contractiuncula quædam*, ut ad hoc verbum referatur τὸ *hanc.* Nam si referas ad *ægritudinem*, hic ergo fatebitur Cicero, ægritudinem esse naturalem: quod tota hac disputatione infirmare voluit.

TUSCULANARUM QUÆSTIONUM

LIBER QUARTUS.

DE RELIQUIS ANIMI PERTURBATIONIBUS.

Cap. 2. *Rescriptos vocum sonis*] Nihil dicit Cicero, unde existimari possit, fuisse tum Romanis perspectam artem describendi certis notis modos musicos. Qua sine poterant canere. Multa hic per conjecturam critici; nihil in quo possimus acquiescere. Inclinat animus, ut credam, Ciceronem scripsisse: *cantus tum fuisse præscriptis vocum sonis.* Quo nihil significatur, nisi Romanos non prorsus fuisse musicæ artes imperitos. Buh.

Pythagoreorum videtur] Rescribo *Pythagoreum*, ut est in altero e codicibus Mss. Lugdunensibus, in uno e Davisianis, et in antiqua editione mea. Cæterum nescio quid causæ sit, cur memorandi hujus Appii Claudii Crassi nomen non extet in censu veterum poetarum Latinorum, quem Vossius pater descripsit. Is Tubero, qui hoc loco nominatur, est Q. Ælius Tubero, Scipionis Africani illius sorore natus. Ut insignis erat Stoicus, videtur discipulus fuisse Panætii, qui Scipioni comes ivit, cum is proficisceretur in Ægyptum legatus, anno U. C. DCXXIII. quo fieri potuit ut avunculo iret quoque Tubero. Panætii ad ipsum epistola *de dolore patiendo* scripta erat. *De Finib.* IV. 9. Buher.

Cap. 3. *Amafinius extitit dicens*] Frustra tuetur extremam hanc vocem Davisius, quæ commode prorsus, ait, *illis silentibus* opponitur. Si quidem in quibusdam est codicibus *docens*, cur Ciceroni non restituimus, quod vere ipsius est? Idem.

Cap. 7. *In quo demitti contrahique animo rectum esse videatur*] Malim *animos*; ut in præcedente cap. habemus, animosque *demittunt et contrahunt.* De Fin. V. 15. *victi debilitantur*, animosque *demittunt.* Epist. ad Q. fratr. I. 1. *rogo, ne contrahas aut demittas* animum. Pearc.

Verum illa etiam] Veretur doctissimus Salmasius ad Simplicium pag. 59. ne perperam hæc intellexerit Cicero: et cum eo facit Menagius ad Laertii VII. III. Videatur Galenus lib. IV. de dogmatis Hippocratis et Platonis. Davis.

Cap. 9. *Intimo odio, et corde concepta*] *Intimo*, alte infixo, quod penitus inoleverit. Ut amor conjungit corda, sic odium disjungit; quod ubi intime penetravit in animum, sic dissociat corda, ut consentire ultra nequeant. Non tamen, ut concordia esse non potest nisi mutua, quemadmodum nec amicitia, sic vel discordiam, vel inimicitiam oportet esse mutuam. Potest enim is, quem tu amas, odisse te. Discordia fuit inter Socratem et Anytum; est probos inter ac improbos; ira tamen in corde Socratis ac proborum nulla, nedum acerbior. Passerat.

Ut si libido] Distinguuntur, quæ definita jam sunt, desiderium et indigentia. Sed paulo plenius esset: *ut desiderium sit libido.* Sin, *desiderium*, omittimus, subaudiri necesse est. Non placet autem, quod suspicari aliquis fortasse possit, Ciceronem, non *desiderium*, et indigentiam, sed *libidinem*, et indigentiam voluisse distinguere. Quis enim, exempli gratia, animal et hominem, id est, genus et speciem distinguat? Distinguuntur autem, varie definita, eidem generi subjecta, ut homo et lupus, desiderium et indigentia. P. Manut.

Cap. 11. *Quale in μισογυνίᾳ*] Ms. codex regius: *in Missogyno Attilii est.* Lugdunensis: *in Musogunio At-*

tilii est. Bentleius rescribebat: Μισογύνου *Hippolyti.* Nimis licenter; tum *Attilii* nomen, nisi a Tullii esset manu, tot veteres membranæ non haberent. Davisius edidit: *in* Μισογύνῳ *Attilii.* Scribendum fuerat, Μισογύνῃ. Repono: *in* Μισογυναίῳ *Attilii.* BUHER.

Cap. 12. *In neutris habeat superius nomen*] In bonis, inquit, rebus, et honestis, affectio, sive, ut vulgo et in scholis loquuntur, *dispositio,* quæ facit, ut alii ad alia bona capessenda, atque efficienda sint aptiores, nominetur *facilitas.* In rebus malis, et a laude atque ab honestate sejunctis ejusmodi affectio ac dispositio nominetur *proclivitas:* quod nomen videtur eo ipso convenire melius, quia proclivitas significationem habet non remotam a lapsione; et qui aptior est ad mala, pronus est ad labendum et peccandum. In iis autem rebus, quæ neutræ sunt, neque bonæ, neque malæ, sed mediæ, atque, ut Stoici aiunt, indifferentes, dispositio illa, qua fit ut quispiam ad aliqua ex illis sit aptior, quam ad alia, habeat nomen quod prius positum est, et nominetur *facilitas.* ANONYMUS.

Cap. 13. *Non enim omne vitium partes habet dissentientes*] Hunc locum me non intelligere fateor. Itaque relinquo cuique de illo judicium suum. Nam dicere corruptum et mutilum videri, vereor ne reprehendi facile possit, cum hoc usurpare liceat in omnibus quæ minus nobis perspicua sunt. In his igitur dubitationem, vel etiam ignorantiam confiteri meam optimum putavi. CAMERARIUS. Quem locum sicco pede transilierunt alii, tu ingenue fateris te non capere, et medicinam tentas. Macte ea virtute. Sed vide, an et nos aliquid audiendum proferamus. Quid si legas, *non enim omne vitium* pares *habet* dissensiones. Quorum hæc erit sententia: vitiositas, inquit, est affectio *a se ipsa dissentiens.* Quæ si gravior sit, tum ex corruptione opinionum *morbus* fit et *ægrotatio:* sin levior, *inconstantia* tantum fit, et *repugnantia.* Non enim omne vitium *pares* habet *dissensiones:* nam qui quam proxime ad sapientiam attigerunt, *discrepant* quidem sibi ipsi, sed non ita distorto et pravo animo sunt, ut alii stultitia et vitiis cooperti. BENTLEIUS. Lego, *in altero,* totumque hunc locum obscurari arbitror, non corruptis vocibus, sed propria sede motis, quas sic ordino: *Ita fit, ut in altero corruptione opinionum morbus efficiatur, et ægrotatio; in altero, inconstantia, et repugnantia. Sed perturbationes sintne ejusdem partes, quæstio est. Non enim omne vitium partes habet dissentientes. Ut eorum, qui non longe a sapientia absunt, affectio est illa quidem discrepans sibi ipsa, dum est insipiens; sed non distorta, nec prava. Vitia enim, affectiones sunt manentes; perturbationes autem moventes.* Hæc nodi solvendi vera ratio est, ut a *vitio* distinguatur *vitiositas.* In hac est totius animi corruptio. Vitium quasdam ejus actiones depravat. Eo differunt autem animi vitia a corporis, quod hæc manentia sunt, illa moventia. Id intelligi vult his verbis Cicero: *non omne vitium,* utique animi, *partes habet dissentientes.* Quo significatur perturbationem moventem non semper animi pravitate gigni. Exemplum est in homine, qui cum non longe absit a sapientia, aliqua perturbatione quatitur. Dum in eo motu est, animus quidem sibi ipse dissidet; atenim levis illa commotio non ejusmodi est, ut conferri possit cum *pravitate membrorum, distortione, deformitate.* Deerrat machina debilitato tantisper libramento, sed ipso tamen integro. In his igitur verbis: *non enim omne vitium, &c.* solutio est propositæ difficultatis, an perturbationes sint partes morborum vel ægrotationum, quæ animum vitiant ipsum, non actiones duntaxat ejus depravant. Perturbationes quidem Cicero aliquando morbos nominat, sed per abusum vocis: hic proprietatem sequitur: res discriminat, definit. BUHERIUS. Etsi decreveram nihil hic meum apponere; quia tamen me olim, elabo-

randa hujus libri Gallica interpretatione occupatum, locus hic diu multumque exercuit, non dubitabo communicare cum lectoribus quod, omnem pertentanti exitum, in mentem denique venerat. Primum igitur moneo, vocem *partes*, quæ in hac disputatione occurrit sæpius, intelligendam esse, ut solent dialectici, de partibus subjectivis, quæ dicuntur species et continentur sub genere, quod dividunt. Jam sententiam ipsam integram, ex brevitate obscuram, fusius explico.

Geminam, quam dixi, et definii, pravam animi affectionem parit opinionum corruptio. In altera efficit morbum et ægrotationem; in altera inconstantiam, repugnantiamque et judiciorum, et appetitionum. Harum alterutra, hoc est, vel inconstantia, vel repugnantia sufficit ut in animo sit vitium. Sicut enim in corpore ut inesse vitium dicatur, necesse non est, ut partes sint inter se dissentientes; satis est si male cohæreant; etiamsi unius formæ ac speciei sint omnes: sic in animo, non tantum ubi judicia appetitionesque a ratione dissident, vitium est; sed etiam ubi deest illis in bono firmitas et constantia. Porro quod inconstantia, sola et sejuncta a repugnantia, vitium contineat; apparet in iis hominibus, qui non longe a sapientia absunt, hoc est, a perfectione virtutis, et vitiorum vacuitate. Quamvis enim non longe absint, quamdiu tamen aliquid in eis remanet stultitiæ, in vitio sunt. Non quod animi affectionem habeant pravam aut distortam, sed quod in bono parum constantem. Cæterum dubitari non potest, quin, qui appellantur in animis morbi, sint species vitiositatis. At quæstio est, an species hujus sint eæ, quæ appellantur perturbationes. Cui quidem quæstioni sic respondendum videtur, ut negemus perturbationes esse partes, formas, aut species vitiositatis, et sub vitii genere contineri. Nam species habere debet quidquid generi convenit: at in vitiis est aliquid, quod non est in perturbationibus. Si quidem, licet utraque, et vitia, et perturbationes, sint affectiones animi pravæ, tamen vitia sunt affectiones manentes; perturbationes vero non sunt affectiones ejusmodi manentes, sed *moventes*, et temporales; quocirca non sunt intra eandem speciem.

Id, ni fallor, voluit Cicero. Nihil mirum, si hæc spineta, in quibus se Stoici oblectabant, levi pede transiliit. Olivet.

Cap. 14. *Animi valentes*] Quamvis renitantur Mss. atque editi omnes; legi tamen cum Bentleio velim: *animi valentes morbo tentari possunt, ut corpora possunt: sed corporum, &c.* Buherius.

Non enim multa] Legerim levicula mutatione, *non enim* in ulla *efferata et immania*. Sin substantivum mavis, quo hæc referantur; tum repono, *non enim* in vitia *efferata et immania.* Bentleius.

Esse possunt] Vict. Man. Grut. *esse non possunt.*

Cap. 15. *Tum fert alacritatem*] A Tullii manu non est hæc lectio. Nonnulli codices *tum affert*, vel *affertur alacritate*; Gryph. autem, *tum ea fertur alacritate.* Lego *tum* ea effertur *alacritate;* quæ minima est mutatio, Ciceronianoque loquendi modo consona. Davis.

Cap. 16. *Aliquis talis terror*] Man. Lamb. *aliquis aliis dolor, aliis terror.*

Cap. 18. *Rutilium*] Historia postulat, *Rupilium*, qui consul fuit anno Urbis DXXI. ut patet ex fastis Capitolinis. Tollendum idem mendum ex Plinio, lib. VIII. cap. 36. Ipsum etiam Ciceronem in Lælio tribus locis in eodem nomine correximus. Quod si quis mendosos etiam putat Capitolinos fastos; ego adversus hunc, tanquam negantem principia, non disputabo. Manutius. Vide Pighii Annales, ad annum Urbis DCXXIII.

Cap. 19. *Quam lenitatem nos dicimus, vitioso lentitudinis nomine appellant*] Recte parens linguæ Latinæ dixit, vitiosum nomen esse *lentitudo.* Est vero non unum, sed duplex len-

titudinis genus. Nam interdum de eo dicitur, qui præ stupore quodam irasci nesciat: estque hæc lentitudo ἀναισθησία quædam. De hac Cicero sentit, et in parte vitii poni ait. Interdum *lentitudo*, sive *natura lenta* eum affectum ac genus iræ designat, quem Græci κότον, quasi dormientem iram appellant. Ea est, quam Seneca ait, sævam manu, verbis parciorem: necnon altam, gravemque, et introrsus versam. Hæc ita odiosa est, adeoque grande malum, ut ejus comparatione simplex ira et quæ se statim promit, virtutis nomen invadere non erubescat. Inde illud est apud M. Tullium, de Legibus: *Bonorum virorum esse admodum irasci.* Et ait idem scribens ad Atticum, I. 14, *irritabiles animos esse optimorum sæpe hominum.* Casaubonus in *Sueton. Tiber.* 57.

Cap. 20. *Illud e vita ductum ab Afranio*] Lamb. *illud scite dictum ab Afranio.*

Ad opem ferendam, et calamitates hominum indignorum sublevandas] Aristoteles, *Rhetoric. II.* 10. Ἔστω δὴ ἔλεος, &c. Id est: *Sit igitur misericordia, ægritudo quædam ob aliquod malum putatum, ejus generis, quod interitum affert, vel dolorem inurit, hominis indigni visi, qui ita tractaretur.* Sensus est: dicamus igitur misericordiam ægritudinem quandam esse, exortam ex eo, quod malum esse videatur, atque eorum generum malum, quæ aut ad interitum perducant, aut dolorem cruciatumque afferant: in eoque positum sit, qui illa fortuna *indignus* videatur. Stoici homines, illiusque familiæ principes, ita misericordiam definierunt, ut a sententia Aristotelis non discreparent. Cicero in IV. Tuscul. dixit *hominum indignorum*, ut hic Aristoteles, τοῦ ἀναξίου. Victorius.

Cap. 21. *Accipiam ipse*] Nihil video melius conjectura Scaligeri, rescribentis: *occipiam ipse.* Buher.

Sura, ac pulmonibus sisto] Criticis omnibus displicet *sura*, neque immerito. Arrideret mihi præter cæteras Davisii conjectatio reponentis *Furi*; si viderem ejus nominis aliquem fuisse, qui cum hoc Pacidiano committeretur. Quod enim Bentleius objicit, non videri Pacidianum id honoris dare adversario voluisse, ut eum de nomine appellaret, id vero nihili est. Esto enim, sit hoc non verisimile; spectatores, quod observandum, Pacidianus alloquitur, non æmulum. Suspicandi ergo locus est, scripsisse Lucilium:

Quam gladium in stomacho Fulvi, ac pulmonibu' sisto.

Fulvium gladiatorem cum Pacidiano componit Horatius, II. *Sat.* VII. 96. Idem.

Cap. 22. *Cum in acie* M. Halienum] Ut priores illæ, quas tetigit Noster, historiæ sunt notissimæ; ita hujusce facti nulla restat apud alios scriptores memoria. Sed M. Halienum reponendum esse recte monuit Ursinus, auctoritate veterum denariorum fretus. Davis.

Marathonii tauri] Theseus *taurum, qui fuit Marathone, quem Hercules a Creta ad Euristheum adduxerat, occidit*, ut ait Hyginus Fab. 38. Hinc Ovidius Metam. VII. 435.

. . . . Te, maxime Theseu,
Mirata est Marathon Cretæi sanguine tauri.

Paulo aliter Diodorus Siculus Bibl. lib. IV. et Plutarchus in Thes. Id.

Cap. 23. *Nunquam privatum esse sapientem*] Ita loquitur, quod pro Stoicorum sententia solus sapiens est magistratus. Adiri possint Horatius Serm. lib. I. III. 124. Lucianus in Hermot. Victorius Var. Lect. XI. 24. et Lipsius Manud. lib. III. Diss. 17. Idem.

In jurgio] Iliad. lib. I. Sed de Ajace, ex aliqua Latina tragoedia adductus, locus id innuit: sic introductum Ajacem fuisse, ut insaniens cum hostibus manum conserens, illos in fugam verteret. Quod et Philostratus in Ajace significare videtur, a Græcis tragicis factum esse. Camerar.

Cap. 24. *Quamvis licet insectemur*

istos] Bene quidem, quod lectionem hanc *quamvis licet*, in textum recepisti. Sed dum utramque particulam ejusdem potestatis esse credis, erras cum aliis quibusdam viris doctissimis. *Quamvis* enim hic valet *quantumvis*, non *quanquam*. Itaque nullus hic est quem somniant pleonasmus. Cæterum hunc leviculum errorem abunde mox compensas loco illo feliciter restituto, *cum omnia sint in* moribus *vitia, iracundos solos* morosos *nominaverunt;* quæ egregia est emendatio, et plausu omnium excipienda. BENTL.

Cap. 27. *Paupertatis* malum *tollitur*] Non placet illud *paupertatis malum:* quippe alienum est ab hac disputatione, concedere paupertatem esse malum: deinde si *ægritudo omnino sublata* sit, non *quodammodo*, sed prorsus omnino paupertatis malum tollitur. Quamobrem non auro contra cara est Palatini codicis lectio, quam Gebhardus memorat, *etiam paupertatis* nomen *tollitur*. Rectissime: nam qui nihil desiderat, nihil sibi deesse queritur aut ægre fert, cur pauper est vocandus? Seneca Epist. II. *Honesta, inquit Epicurus, res est læta paupertas. Illa vero non est paupertas, si læta est; cui enim cum paupertate bene convenit, dives est.* BENTLEIUS.

Cap. 28. *Est ea quidem utilior*] Optime Bentleius *subtilior*, ex conjectura. DAVIS.

Prementem] Lege, *spernentem*. BENTLEIUS. *Premere* hic supprimendi significatu accipi posse videtur. WOPKENS.

Cap. 29. *Neque tam terribilis*] Vide Muretum, *Var. Lect.* VIII. 16. Pacuvii, non Ciceronis esse hos versus docet A. Schottus, *Observ.* V. 6.

Cap. 31. *Diffidere*] Vict. Man. Grut. *confidere*.

Cap. 34. *Philosophi sumus exorti*] Proclamet orator linteatus, *ad sacros honores, ad infulas, grassamur specie simulata virtutis:* scripserit Horatius, *virtutem incolumem odimus.* Nemini venit in mentem, aut oratorem profiteri, cum se esse, qui appetat infulas: aut voluisse Horatium se existimari ea, quam culpat, scabie inquinatum. Nemo propterea insimulabit vel hunc invidentiæ, vel illum ambitionis. Est nimirum hæc ratio idonea leniendæ reprehensionum acerbitatis, si reprehensor unum se faciat eorum quos reprehendit. Elucet passim ea civilitas in orationibus Demosthenis, præsertim illis, quæ sunt ad populum de publicis rebus habitæ, et objurgationes continent. Pars hæc est Socraticæ dissimulationis, cujus neque artem neque usum ignoravit Cicero. Hinc est quod graviorem notam inusturus philosophis, in eorum se turbam conjicit; velut qui vineta ipse sua cæderet; ut ait in causa non dissimili Horatius, II. Epist. I. 220. Quem satyrici dissimulatoris locum qui legerit, facile, credo, intelliget, quo sensu dixerit Cicero: *philosophi sumus exorti*. ANONYMUS.

In Leucadia] Turpilii fabula, de qua Casaubonus in Athenæi III. 15.

Cap. 35. *Ostendat*] Davisius corrigit, *ostendatur:* Buherius, *ostendas*. Vulgatum tuetur Wopkensius.

Omnes, et semper amarent] Man. Lamb. *omnes, et amarentur, et semper*.

Cap. 37. *Metus quoque est* diffidentia *expectati et impendentis mali*] Quid hoc est monstri? Lege, *diffidentia quoque est metus expectati et impendentis mali.* DAVISIUS. Interpunge, si velis: *metus quoque est diffidentia; expectati et impendentis mali.* ANONYMUS.

Sibi signa] Man. *sibi (vitia) inesse*.

Illa sibi signa, *sed ratione a se dejecta diceret*] Quid *signa* hic faciat, non video; et probo conjecturam cujusdam, quam Gebhardus memorat, *illa sibi ingenita:* nisi forte mavis *insita*, vel *innata*. Certe aliquid hujusmodi sit necesse est. BENTLEIUS. Veteres editiones, *signa inesse*. Unde conjicio, *si qua inessent, ratione, &c.* BUHERIUS.

Ut optima quisque *valetudine affectus potest videri*, ut *natura, ad aliquem morbum proclivior*] Sic omnino Vict.

Man. et Grut. nisi quod Victorius est auctior verbo *alius* post *videri*. Lambinus autem: *potest videri alius alio natura*, &c. Et a Lambino quidem huic loco salubritas quædam data est; verum a Bentleio, ni fallor, salus ipsa. Sic enim legit: *Ut optima quis valetudine affectus potest videri; at* natura *ad aliquem morbum proclivior*. OLIVETUS.

TUSCULANARUM QUÆSTIONUM

LIBER QUINTUS.

VIRTUTEM AD BEATE VIVENDUM SE IPSA ESSE CONTENTAM.

Cap. 1. *Ex eo libro*] Intelligitur Bruti liber *de Virtute*, quem ad Ciceronem scripsit, ut ait Noster lib. I. de Fin. cap. 3. Ex eo nonnulla profert Seneca Cons. ad Helviam cap. 9. Vide Petr. Alcyonium de Exil. lib. I. DAVIS.

Huic incipio sententiæ diffidere: interdum et humani generis] Interpunctione mutata malim, *huic incipio sententiæ diffidere interdum, et humani generis imbecillitatem fragilitatemque extimescere;* quemadmodum, probante Joan. Mich. Bruto, locum distinxit Ms. Gryphianus. Sic etiam Reg. et Pithœan. IDEM.

Avunculus tuus] Intelligit Cicero Catonem Uticensem, summæ constantiæ virum: is enim Serviliæ, Bruti matris, frater erat uterinus. Vide Plutarchum in Caton. et in Bruto. DAVISIUS.

Cap. 2. *Peccanti*] Vict. Lamb. *pene toti.*

Cap. 3. *Causarumque*] Man. Lamb. *causarumque, tum.*

Stellatus Cepheus] Inter astra positus, καταστερίσθεις, Cepheus: uxor ejus Cassiopeia, filia Andromeda, generque Perseus in sidera fuerunt relati. Vide Cic. N. D. II. 43. IDEM.

A quibus ducti deinceps] Forte, *docti*. PEARCIUS.

Cap. 6. *M. Atilio*] Regulum dicit, cujus mors cruciabilis est decantatissima. Inter alios plures vide Valerium Maximum lib. IX. cap. 2. 1. ext. Gellium. N. A. VI. 4. et Augustinum C. D. I. 15. DAVIS.

Q. Cæpione] Is aurum Tolosanum abstulit, *quod sacrilegium causa excidii Cæpioni, exercituique ejus postea fuit*, ut tradit Justinus XXXII. 3. Vide sis et Gellium III. 9. Si Valerio Maximo fides lib. VI. cap. 9. 13. *in publicis vinculis spiritum deposuit*, &c. Diverso tamen modo rem narrat lib. IV. cap. 7. 3. ut forsan alius ab eo, qui Ciceroni memoratur, fuerit is, cujus priore loco meminit Valerius. Eum Smyrnæ exulasse, testis est Noster orat. pro Corn. Balbo cap. 11. DAVIS.

M. Aquilio] Hunc a Mithridate conjectum in vincula tradunt Athenæus lib. V. Epitome Liviana LXXVIII. et Valerius Maximus lib. IX. cap. 13. 1. Alia tamen et diversa prorsus ratione rem, si modo locus integer est, nec quicquam deficit, narrat Diodorus Siculus in Excerpt. Peiresc. IDEM.

Cap. 7. *Atqui alterum dici non potest*, quin *hi*, &c.] Vix satis Latine hæc dici mihi videntur. Recte sonat, *dici non potest, quin:* non vero recte (ut opinor) *alterum dici non potest, quin*. Aut igitur illud *alterum*,

aut hoc *quin* tollendum esse censeo. Lambinus conjecit legendum, *alterum non dici non potest*, vel *alterum negari non potest*, &c. Quid vero hæ conjecturæ ad locum restituendum valeant, omnino non video. Equidem sic mihi fere persuasi, Ciceronem scripsisse, *Atqui alterum dici non potest*, quod *hi, qui nihil metuant* .... *nihil concupiscant* ... *beati sint*. PEAR.

Præmium proposuit, qui invenisset novam voluptatem: qua ipse inventa *non* fuit *contentus: neque enim unquam finem* inveniet *libido*] Multa hic errata sunt. Principio, illud *inventa* neque apud Victorium habetur, nec Gebhardum, utpote quod repudiant omnes manuscripti. Deinde ex mendosis editionibus retinuit Gebhardus *ipse* et *inveniet:* at Victorius cum tuo codice *ipsa* habent, et *inveniret*. Rectissime. Lege totum locum parva unius voculæ mutatione: *Præmium proposuit, qui invenisset novam voluptatem: qua* ipsa *non* fuisset *contentus: neque enim finem* inveniret *libido*. Noli dubitare, quin Ciceronis hæc manus sit: nam in vulgata lectione id stulte affirmatur, *novam voluptatem tum fuisse inventam*. Unde vero, aut qui potuit? quis id prodidit, quis auctor est? BENT.

Cap. 8. *Aristo*] Vict. Man. Grut. *Aristone*.

Aristo] Vulgati plerique, *Aristone:* sed quo Aristone? Non Chio, neque Ceo, quos audire Brutus non potuit, rebus humanis jam exemptos. An Aristone illo, cujus mentio est Acad. II. 4. Sed etsi erat philosophiæ non ignarus, non eum tamen Brutus, sed Aristum, Antiochi fratrem, Athenis audiit. Quod testatur Cicero, *Acad.* I. 3. et *de Finib.* V. 3. Hic ergo reponendum est *Aristo* pro *Aristone;* in quo hæsitasse miror Davisium. Eoque miror magis, quod ipse hoc nomen in veteri codice legerat. Dubitationem omnem eximit quod addit Cicero, Athenis se diversatum apud fratrem Antiochi; et Aristum hospitem suum vocat, *Brut.* 97. Hæc Lambinus jam, Fulviusque Ursinus. viderant; at non explicaverant satis. BUHER.

Clauderet] Vict. Man. Lamb. *claudicaret*.

Clauderet] Ita Gebhardus e suis edidit Mss. quibuscum faciunt nostri. DAVIS. Videtur Bentleio cascum illud et obsoletum *clauderet* pro *claudicaret*. Ego hic retinui: nec tamen in Oratore, cap. 51. Nam si rectum est, satis tibi sit uno in loco legi apud Ciceronem: si minus probum, non debui semel atque iterum Gebhardo, vel Grutero fidem habere. OLIVET.

Cap. 9. *Vexatur autem ab omnibus (Theophrastus)* primum in eo *libro, quem scripsit de vita beata*, in quo *multa* disputat, *quamobrem is qui torqueatur, qui crucietur, beatus esse non possit.*] Quid hoc est, obsecro, *vexatur ab omnibus in eo libro, quem scripsit ipse?* Quid absurdius? Si *ob* vel *propter eum librum* dixisset, utique esset quod intelligere possemus. Nunc portentum plane narrat, ut aliquis in libro proprio ab aliis vexetur. Quid multa? Tu librarios plorare jube, et sic rescribe: *Vexatur autem ab omnibus, primum* quod *in eo libro, quem* inscripsit *De vita beata, multa* disputarit, *quamobrem is qui torqueatur, qui crucietur, beatus esse non possit*. Certe hanc emendationem postulat, cum ipsa sententia, tum apodosis sive redditio quæ mox sequitur: *Primum* dixerat, vexatur, quod multa disputarit, &c. Quid *secundum*? hoc scilicet quod mox subjungit: *Vexatur idem Theophrastus, et libris et scholis omnium philosophorum*, quod *in Callisthene suo* laudarit *illam sententiam*, vitam regit fortuna, non sapientia. BENT.

In rotam] Vict. *in rotam (id est genus quoddam tormenti apud Græcos)*

Vitam regit fortuna] Versus ex iambico Græco translatus, qui sic se habet:

Τύχη τὰ θνητῶν πράγματα, οὐκ εὐβουλία.

Extat apud Plutarchum περὶ τύχης. Extat etiam apud Stobæum Eclog. Phys. et Chæremoni tribuitur. DAV.

Fortunam exiguam intervenire sapienti] Seneca *de Const. Sap. cap.* 15. Epicurus, *raro*, inquit, *sapienti intervenit fortuna.* Ejusdem dicti meminere Noster de Finib. I. 19. et Vitruvius lib. VI. præf. Græce: βραχέα σοφῷ τύχη παρεμπίπτει. Extat apud Laertium X. 144. Idem.

Cap. 10. *Neque hunc*] τὸν δεῖνα, unum aliquem. Vide Is. Casaubonum in illud Persii, V. 86. *Stoicus hic.*

Cap. 11. *Tabellis obsignatis*] Me scriptorum meorum testimonio redarguis. Metaphora ducta est a syngraphis annulo vel manu signatis, quas in causarum actione proferunt jurisconsulti. Davis.

Non ego hoc loco id quærendum puto, verumne sit, quod Zenoni placuerit, quodque ejus auditori Aristoni, bonum esse solum quod honestum esset: sed, si ita esset, tum ut hoc totum, beate vivere, in una virtute poneret] Multa hic peccantur. Primum illud *poneret* quo referendum? Si ad Aristonem et Zenonem, (alius autem nemo est) dicendum utique est *ponerent.* Sed nec hoc neque illud sanum sensum efficit. Quorsum enim aut quærat, aut optet, ut Zeno et Aristo beatam vitam in una virtute ponerent; cum id eos constanter fecisse et ipse sæpe dixerit, et res sit notissima? Deinde series et apodosis orationis est vitiosa: *non*, inquit, *quærendum puto*, verumne *sit; sed* tum ut. Vides jam, opinor, τὸ ἀνακόλουθον, quod et Lambinus, acute interdum cernens, ubi cæteri cæcutiunt, recte animadvertit: legit enim *tum utrum.* Recte hoc, si modo et illud insuper perspexisset, aliam tum sententiæ medicinam adhibendam esse: quippe, si *ita esset*, ut Zenoni placuit, bonum esse solum quod honestum, nulla ultra *quæstio* foret, utrum vita beata in una virtute consisteret. Lege igitur totum locum: *Non ego hoc loco id quærendum puto, verumne sit . . . bonum esse solum quod honestum esset: sed*, ni *ita esset*, utrum (vel rectene) *hoc totum beate vivere in una virtute* poneretur. Hoc nempe illud est, quod Peripateticos tangit; qui, cum negarent solum bonum esse quod honestum, beatam tamen vitam sola virtute compleri voluerunt. Bent.

Cap. 14. *Quid ergo ejusmodi*] Videntur hæc mihi melius esse interpuncta in antiqua editione: *Quid ergo? Ejusmodi istorum est,* (supple, *bonum*) *ut mihi*, &c. Buher. Vulgata interpunctio hunc præbet sensum: quid ergo ejusmodi, stabile, fixum, permanens, isti habent, qui bona tripertito dividunt? Nihil prorsus. Ut mihi Laconis, &c. Anony.

An dubium est, quin nihil sit habendum in eo genere, quo vita beata complectitur, si id possit amitti?] In priscis editionibus ferebatur, quod *vita beata complectitur.* Lambinus cum in codicibus suis reperisset *quo*, et itidem in suis Gebhardus; scriptorum codicum auctoritati uterque cesserunt; ita ut *complectitur* passive hic accipiendum existimeat. Id cum tibi durum et sine exemplo merito videretur, tu confugisti ad Hellenismum; quo pronomen eodem casu efferri solet ac nomen antecedens. Sed acri et castigato judicio hic est opus. Quamvis enim verissimum sit hanc dicendi formulam apud Latinos obtinuisse, ut nos pluribus ostendimus ad illud Flacci Sermon. I. 6. ver. 65. *Judice, quo nosti, populo;* ubi vulgo fertur *quem nosti:* illud tamen observandum est, duntaxat hoc fieri solitum in verbis usus frequentioris, iisque fere aut primæ aut secundæ personæ; quæque ibi loci deponentium seu intransitivorum naturam habent. Sic in omnibus exemplis et tuis et meis, *judice, quo nosti: causa, qua dixi; eorum, quorum consuesti; illo, quo reris; libro, quo dixi; coloribus, quibus dixisti; rationibus, quibus præscripsimus; loco, quo commemoravi: ratione, qua dixi; ista sis æquitate, qua ostendis; augurio, quo diximus; numeri, cujus diximus; spatio, quanto patiuntur; militibus, quantis potuit.* Horum exemplorum speciem si attente consideres; intelliges profecto Hellenismum hunc non posse

aptari isti, de quo agimus, loco: ubi nihil est illarum, quarum diximus, conditionum. Hoc enim si ubique liceret, omnis Latini sermonis ratio et analogia plane perverteretur. Quid ergo fiet? aut quo tandem pacto hic nodus solvetur? Id vero nullo negotio: quippe mendosum est illud *complectitur;* quod sic emendandum: *An dubium est, quin nihil sit habendum in eo genere,* quo *vita beata* completur? Quid nunc videtur? nova lux, opinor, exoritur. Ita Noster hoc ipso libro cap. 16. *Dicunt illi quidem; sed his* vitam beatam compleri *negant.* De Finibus III. 3. *Illi enim corporis commodis* compleri vitam beatam putant, *nostri nihil minus.* Ibidem IV. 20. *Negatis* vitam beatam *esse, quæ* expleta *sit omnibus rebus, quas natura desideret,* et V. 13. *Ea enim* vita *expetitur, quæ sit animi corporisque* expleta *virtutibus.* Bent.

Cap. 16. *Præcipua, vel producta*] Vide lib. III. de Finib.

Vir igitur temperatus, constans, sine metu, sine ægritudine, sine alacritate ulla, *sine libidine, nonne beatus*] Ita omnes editiones codicesque, qui hodie supersunt; quin etiam et Nonius Marcellus, in V. *alacritas,* si editoribus fides. Verumtamen, aut plane nullo sum judicio, aut lectio hæc a mala manu est, et Ciceroni inficianda. Quorsum enim *sine* ulla *alacritate?* Quid sibi commeruit *alacritas,* ut, cum cætera illa *metus, ægritudo, libido,* nullo epitheto hic damnentur, ipsa quasi omnium teterrima, ne *ulla* quidem in viro constante esse debeat? an hanc tribus illis pejorem esse credendum est? Atqui tantum abest ut pejor sit; ut ipsa per se (nisi modum forte excesserit) laudanda sit, atque optanda. Ita sæpe Noster in se, in amicis, in toto senatu *alacritatem* prædicat. Ac profecto qui sine *ulla alacritate* est, idem sit iners, torpidus, segnis, ignavus, æger, mœstus, miser denique necesse est. Quid ergo? tu illud *ulla* in malam rem ire jube, et lege meo periculo, *sine metu, sine ægritudine, sine alacritate* futili, *sine libidine.* Nimirum cum secundum Stoicos perturbationum partes sint quatuor, *ægritudo, metus, libido, lætitia,* sive *alacritas;* hanc ultimam, quia voces illæ per se honestæ sunt, et sæpius in laude quam in vitio ponuntur, semper epitheto aliquo dehonestat, quo ostendatur eam aut fines suos excedere, aut mala de causa oriri. Sic Tusc. IV. 4. *restant,* inquit, *duæ perturbationes,* lætitia gestiens *et libido.* Sic c. 6. *lætitia gestiens vel nimia.* Cap. 7. *profusa hilaritas.* 16. *inanis alacritas.* 33. *exsultans gestiensque lætitia.* IV. 14. *insolens alacritas.* Lege ergo hic non adeo magna mutatione: *Sine alacritate* futili: ut Tusc. V. 6. Futiles *lætitiæ et exsultantes.* IV. 17. *Nec sitienter quid expetens ardeat desiderio, nec* alacritate futili *gestiens deliquescat.* Bent.

Cap. 17. *Consiliis nostris laus est attonsa*] Integrum epigramma exhibet Pausanias in Bœot. Davis.

Quo loco quæro, quam vim habeat libra illa Critolai, qui cum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis et externa; tantum propendere illam boni *lancem putet, ut terram et maria deprimat*] Quid illud est, quod *boni lancem* dicit? cum in utraque lance fuerint *bona;* in illa *bona animi,* in hac *bona corporis et externa.* Hoccine a tot editoribus doctissimis tam patienter ferri? Lege vero, *tantum propendere illam* animi *lancem putet.* Vel dele *boni,* et scribe, *tantum propendere illam lancem putet;* illam, hoc est, quam priorem nominavit. Noster de Fin. V. 30. *Audebo igitur cætera quæ secundum naturam sunt, bona appellare; virtutis autem amplitudinem quasi in altera libræ lance ponere: terram, mihi crede,* ea lanx *et maria deprimet.* Nota autem locutionis genus ἰδιωτικόν. Nam in bilance quæ lanx præponderat, non *deprimit* oppositam, verum elevat. Sed vulgaris sermonis errore labi, etiam sapienti et diserto concessum est. Bentleius. Legi, velim, illam *honesti* lancem pro quo, *boni,* ex

scripturæ compendio legerunt imperiti. Buher.

Ut terram et maria deprimat] In bilance leviora non *deprimuntur*, sed attolluntur. Est igitur ἄκυρον. Davis.

Cap. 20. *Credebat eorum nemini*] Erasmus edebat, ut et Bentleius legit, *credebat* se *eorum nemini.*

Ita sordido ancillarique artificio, *regiæ virgines, ut tonstriculæ, tondebant barbam et capillum patris*] Non placet illud *artificio:* non enim profitebantur se tonstrices esse; sed eo munere fungi cogebantur. Quamobrem mirifice placet, atque adeo verissima est tui codicis lectio, *sordido ancillarique* officio. Propertius, IV. 9. *Idem ego Sidonia feci* servilia *palla Officia, et Lyda pensa diurna colu.* Horat. Serm. II. 6. *Nec non vernaliter ipsis Fungitur* officiis. Plautus Cistellaria IV. 1. *Faciendum est* puerile officium. Bentleius.

Judicavit] Ita Victorius, Gruterus, Wopkensius: sed, *indicavit*, Man. Lamb. Bentleius.

Cap. 22. *In Pythagoreis*] Vide lib. III. de Officiis cap. 13.

Aquinio] Aut, quod melius, *Aquino*, ut in altero est codice Lugdunensi. Consentiunt Catullianorum carminum exempla omnia *Epigr.* XIV. Habent enim omnia *Aquinos*, quam vocem exigit versus; alteram *Aquinios* respuit. Neque video quid fuerit, cur explicatores Catullum e Cicerone maluerint, quam e Catullo Ciceronem emendare. Potuit *Aquinus* nomen esse Romanæ alicujus familiæ, ut *Crispinus, Silvinus*, &c. Buherius.

Cap. 23. *A pulvere et radio*] Mathematicis studiis deditum. Locutionis ratio est, quod *radius* sit instrumentum, quo geometris in mensa, *pulvere* conspersa, σχήματα sua describere, moris erat. Davis.

Cap. 24. *Comitatur*] Man. Lamb. *committitur.*

Descriptione] Vict. *discretione.*

Sustineat:] Man. *sustineantur.*

Cap. 25. *Mens agnoscat*] Man. Lamb. *mens vitiis exutam cognoscat.*

Ut habet se res, me tamen plaudente dicit] Sententia non recte procedit. Lege, ut ut *habet se res, me tamen;* hoc est, *utcumque habet se res*, quamvis non constet sibi ipse, sed sua dogmata evertat. Terent. Heaut. I. 2. Ut ut *erat, mansum* tamen *oportuit.* Phorm. III. 2. *Sed* ut ut *hæc sunt*, tamen *hoc faciam* Bent.

Cap. 27. *Illa victa mæsta discedit*] Bentleius ideo legendum putat *illæ victæ mæstæ discedunt*, quia Cicero dixerat paulo ante, *plures singulis solent esse nuptæ.* Sed voces *illa victa* idem significant quod quæcunque ex illis est victa, sive illæ sint duæ, sive plures. Vox *illa* in hujusmodi locutionibus vim habet pluralis numeri: ut in II. 15. *Videmus ... rudem* illum *et inexercitatum, quamvis leviter ictum, ploratus turpissimos edere.* Sic etiam in Quintil. Inst. Or. I. 3. *Probus quoque in primis erit* ille *ingeniosus:* et ib. *Probus ab* illo *segni et jacente multum aberit.* Pearcius. Vide Propertium, III. Eleg. XI. 15.

Cap. 30. *Dinomachus*] Man. Lamb. *Clitomachus.*

Stabilitatis] Man. *Subtilitatis.*

Cap. 31. *Nec eam minimis blandimentis corrupta deseret*] Ita quidem librarii: sed nunquam mihi persuadebunt sic a Tullio profectum esse. Quid enim si non *minimis*, sed maximis et potentissimis blandimentis tentetur; an tum *deseret?* Quid autem? an solis blanditiis apud Phalaridis taurum res agitur: nihil ibi minarum, nihil terroris? Vides jam, opinor, vulgatæ lectionis pravitatem. Tu lege meo periculo, *nec eam* minis, aut *blandimentis corrupta deseret.* Bent.

Qui disertum *illum Carneadem curent defendere: nemo est enim*, qui eorum *bonorum animum* non *putet esse judicem, eumque condocefaciat, ut ea, quæ bona malave videantur, possit contemnere*] Non placet illud *disertum.* Esto enim disertissimus, ut sane fuit; indecenter tamen sic nunc appellatur. Qui enim *disertus* est, non opus habet *defensore.* Codices plerique apud Gebhardum *desertum* habent. Rec-

tissime, ut et Grutero visum est. *Deserto* enim et derelicto, illi profecto opus est advocato et patrono. Ideo autem Carneades *desertus*, quia is novæ Academiæ princeps paucos habuit sectatores: cujus tamen disciplinam Cicero ipse apud Latinos instaurabat. Noster de Nat. Deor. I. 3. *Multis etiam sensi mirabile videri, eam nobis potissimum probatam esse philosophiam, quæ lucem eriperet, et quasi noctem quandam rebus offunderet; desertæque* *disciplinæ ac jam pridem relictæ patrocinium nec opinatum a nobis est susceptum.* Quibus hæc objicientibus ita respondit cap. 5. *Nec vero desertarum relictarumque rerum patrocinium suscepimus. Hæc enim in philosophia ratio profecta a Socrate, repetita ab Arcesila, confirmata a* Carneade, *usque ad nostram viguit ætatem; quam nunc propemodum* orbam *esse in ipsa Græcia intelligo: quod non Academiæ vitio, sed tarditate hominum arbitror contigisse.* Hoc primum: nam et restat alterum, quod et vero propius, et huic rei accommodatius. *Desertum* igitur accipe, ob sententiam de summo bono, quam is primus introduxit, et post eum nemo est secutus, *summum bonum esse, frui iis rebus quas primas natura conciliavisset.* Vide Academ. IV. Huic, inquam, sententiæ nemo ab ejus obitu patrocinatus est. Unde Noster de Finib. IV. 18. loco hujus simillimo, *Quid censes eos esse facturos, qui omnino virtutem a bonorum fine segregaverunt, Epicurum, Hieronymum, illos etiam,* si qui *Carneadeum finem tueri volunt?* Et II. 12. *Rejicitur etiam Carneades; nec ulla de summo bono ratio, aut voluptatis, non dolendive particeps, aut honestatis expers probabitur.* Sed pergamus jam ad reliqua. Tu ex optimo tuo exemplari *non* inseruisti; sententia enim negativum exigit. Illud tamen meo quidem judicio, ab interpolatore nasi sagacioris profectum est; qui quod sententiæ deesse viderat, de suo impertivit. Ergo placet Lambini conjectura *quin*, quod et idem efficit, et ad cæteros codices propius accedit. Adhuc tamen hæremus: quid enim sibi vult *eorum bonorum?* Quænam ea sunt, obsecro? non enim dicit. Lege vero totum locum: *Nemo est enim,* quin verorum *bonorum animum putet esse judicem; eumque condocefaciat, ut ea quæ bona, malave videantur possit contemnere.* Vides jam claram oppositionem fieri inter *vera bona,* et *quæ bona videantur:* quam si tollas, et *eorum* cum vulgo legas, nihil crudius, laxius, dilutius dici potest, quam illud *contemnere quæ bona videantur.* IDEM.

Nemo est enim, qui eorum *bonorum animum putet esse judicem*] Hæc ita laudat Nonius in *condocefacere,* et ita dant vulgati. Sed illius et codicum auctoritas non facit, ut mendosa non esse credam, cum rei, quam vult Cicero, plane repugnent. Si enim bonorum animum non putant esse judicem; cur eum, quæso, ea, quæ bona malave videantur, docent contemnere? Id vidit Lambinus, adeoque legit, *quin eorum bonorum.* Cl. autem Bentleius reponit *quin verorum bonorum.* Ego sane totum locum sic restituendum puto, *nemo est enim* eorum, qui *bonorum animum* non *putet esse judicem.* Particulam negantem suppeditavit Eliens. sec. Levem vero illam transpositionem fecimus conjectura freti, ea tamen, quam, nisi fallor, Tullii mens efflagitat. DAVIS.

Maximisque doloribus affectus eos, ipsos inventorum suorum memoria et recordatione confutat] Vix dubito quin et tibi et cæteris editoribus durius illud visum sit, *confutat dolores:* sed cum emendatio non succurret, silentio transmissum est. Scio equidem hoc defensores suos habiturum, qui omnia recta prava, quæ in codicibus feruntur, albo calculo comprobare solent: sed cui indoles et sapor Ciceroniani sermonis cognitus est, hoc ab illius manu esse non nisi invitissimus fatebitur. Videamus Græca Epicuri, ad quæ hic alludit: Ἀντιπαρετάττετο πᾶσι τούτοις τὸ κατὰ ψυχὴν χαῖρον ἐπὶ τῇ τῶν γεγονότων ἡμῖν διαλογισμῶν μνήμῃ. Quid

autem est ἀντιπαραπείνειν, an *confutare?* nihil minus. Quid ergo est? nempe id ipsum, quod pro vera hujus loci emendatione substituo, *eos ipsos inventorum suorum memoria et recordatione* compensat. Ita Noster de Finib. II. 30. ubi Græca ista Epicuri verbum de verbo vertere profitetur; Compensabatur, *tamen*, inquit, *cum his omnibus animi lætitia, quam capiebam memoria rationum inventorumque nostrorum.* Et mox ibidem; Compensabatur, *inquit, cum summis doloribus lætitia.* Et iterum: *Rationes tuas te video* compensare *cum istis doloribus.* Quid jam videtur? Librariisne oscitantibus, an ipsi Ciceroni potior erit fides? Porro ejusdem verbi frequens apud hunc usus est, in simili sententia; ut Fin. V. 18. *Et eum maximis curis et laboribus* compensare *eam, quam ex discendo capiant voluptatem.* De Nat. Deor. I. 91. *Illa multa sunt incommoda in vita, ut ea sapientes commodorum* compensatione *leniant.* De Orat. III. 4. *Et summi labores nostri magna* compensati *gloria mitigantur.* De Senect. cap. 2. *Resistendum senectuti est, ejusque vitia diligentia* compensanda *sunt.* Et sæpè alibi. BENTL.

Cujus magnitudinem] Sic Bentleius. Vulgo, *quorum.*

Longinquitatem lenitate] Potius (cum Man. et Lamb.) *levitate:* sic enim Cicero solet loqui. De Finib. I. 12. *Dolor in longinquitate* levis, *in gravitate brevis soleat esse.* Ibid. II. 7. *Si gravis, brevis; si longus,* levis: et alibi sæpissime. PEARCIUS.

Neque tamen quisquam] Lamb. *neque tamen non quisquam.*

Cap. 32. *Sythicum tegmen*] De Scythis Justinus, *Histor.* II. 2. *Lanæ iis usus ac vestium ignotus .... pellibus ferinis aut murinis utuntur.* Quod usitatum nunc quoque Tartaris, qui ad Orientem incolunt. Hesychius, Σακυνδάκη, ἔνδυμα Σκυθικόν. BUHER.

Lacte, caseo, pane vescor] Herodotus de Anacharsis popularibus, IV. 46. ζώοντές τε μὴ ἀπ' ἄρτου ἀλλ' ἀπὸ κτηνέων. Sic enim legendum ex codicibus Mss. *Non pane victitantes, sed ex pecoribus.* IDEM.

Cap. 33. *Quarum genera non contemnunt*, quærunt *tamen copiam.*] Vitiosa sine dubio oratio. Quorsum enim illud *tamen:* cum inter *non contemnere* et *quærere* nulla sit oppositio. Lege, aut, non *quærunt tamen* copiam, aut, spernunt *tamen copiam.* BENTL.

Cap. 34. *In Phiditiis*] Si quidem *Philitiis* habent plerique manu exarati codices, in iisque Regius et Lugdunenses duo, mea vetus editio, Aldina, aliæque nonnullæ, retinenda fuerat ea vox, non temere extrudenda. Et vero Joan. Meursius, *Misc. Lacon.* I. 4. auctores laudat non paucos, qui convivia hæc Lacedæmoniorum vocarunt φιλίτια, et hoc nomen a φιλία ductum putaverunt. Adjungere poterat compositiorem Etymologici Magni *verbo* Συσσίτιον. BUHER.

Cursus ad Eurotam] Vulgo *ab Eurota.* Sed recte doctissimus Bentleius: Eurotas enim sub ipsis prope Spartæ mœnibus fluit. Vide Chr. Cellarium Georgr. lib. II. cap. 13. DAVIS.

Cap. 35. *Cur igitur divitiæ desiderentur? aut ubi paupertas beatos esse non sinit? Signis, credo, tabulis,* ludis. *Si quis est qui his delectetur; nonne melius tenues homines fruuntur, quam illi qui his abundant? Est enim earum omnium rerum nostra in urbe summa in publico copia: quæ qui privati habent, nec tam multa et rarò vident, cum in sua rura venerunt: quos tamen pungit aliquid, cum illa unde habeant recordantur.*] Totum hunc locum necesse erat describere, ut facilius intelligi possit, quid velim. Vide igitur illud *ludis:* et quam male ei conveniat cum sequentibus, perspice. *Quæ,* inquit, *qui privati habent:* an *habere ludos* Latine dicitur? an privati autem domi ludos instituebant? Sequitur mox, *et raro vident, cum in sua rura venerunt:* hoc *signis* et *tabulis* bene convenit, quæ in villis suis habere Romani proceres consueverant: *ludis* vero minime. Ut

et illud denique *pungit aliquid;* ob peculatum scilicet et sacrilegium a se admissum: plerumque enim *signa* illa et *tabulæ* e Græcis urbibus templisque rapina aut furto ablatæ erant; de qua re consule actiones in Verrem. Sed quid hoc, obsecro, ad *ludos* pertinet? Vides jam, opinor, lectionis receptæ pravitatem. Tu lege non ita magna mutatione; *et* enim et *d* in veteribus scriptis sæpe confunduntur; *signis, credo, et tabulis pictis.* Sic loqui sciebant boni scriptores: Horatius epist. I. 2. *Ut lippum* pictæ tabulæ, *fomenta podagram.* Serm. I. 1. *Cogerit aut* pictis *tanquam gaudere* tabellis. Epist. II. 1. *Suspendit* picta *vultum mentemque* tabella. Cicero ipse, de Nat. Deor. II. 31. *Qui igitur convenit,* signum *aut* tabulam pictam *cum adspexeris, scire adhibitam esse artem?* et III. 37. *Nonne enim animadvertis ex tot* tabulis pictis, *quam multi votis vim tempestatis effugerint?* Pro Roscio Amerino c. 46. *Quid præterea cælati argenti? quid stragulæ vestis? quid* pictarum tabularum? *quid* signorum? *quid marmoris apud illum putatis esse?* Postquam hæc scripseram, sero hoc animadverti apud Lambinum: *quidam,* inquit, *tabulis pictis, deleta voce* ludis: *a quibus dissentio.* Itane vero, vir optime? Nollem factum. Sed aliis tuis recte factis hoc erratum pensabitur. BENTL.

Cap. 39. *Prætorius et in senatu sententiam dicebat*] Pighius, in Annalibus, ad ann. U. C. 634. hanc phrasim putat esse mutilam; excidisse enim vocem *cæcus;* quæ quidem ad explendam fulciendamque sententiam prorsus necessaria est. Si enim cæcus non fuit Aufidius, quid mirum est fecisse illum omnia, quæ Cicero commemorat; cæcitatem in Appio, in Druso, in Diodoto Stoico, non prætermisit; cur omiserit in hoc Aufidio? Legi ergo possit: *Prætorius, cæcus, et in senatu sententiam dicebat.* BUHER.

Videbat in litteris] Cæcus erat iste Aufidius; et idcirco argutulus sibi videbatur quicunque erat librarius, qui primus illud *videbat* nobis supposuit. Ego vero tam putidum schema non esse Ciceronis continuo agnovi. Aliter, aiunt, olent catulli, aliter sues. Et proinde, ubi parumper animum intenderam, sua sponte enascebatur vera et sincera lectio, *et Græcam scribebat historiam, et* vivebat *in litteris:* hoc est, omnem suam ætatem in litteris consumpsit. Noster ep. Fam. IX. 26. *Quid ergo faciam? te consulo, qui philosophum audis. Angar? excruciemne me? quid assequar? deinde quem ad finem?* Vivas, *inquis,* in litteris. *An quidquam me aliud agere censes; aut possem vivere, nisi* in litteris viverem? *sed est earum etiam, non satietas, sed quidam modus.* Ibidem XIII. 28. *Est enim in eo, cum virtus et probitas et summum officium summaque observantia, tum* studia *illa nostra,* quibus *antea delectabamur, nunc etiam* vivimus. BENTL.

Tum] Man. Lamb. *tamen.*

Eretricum philosophum,] Lamb. *medicum et philosophum.*

Si liceat, quod quibusdam Græcis quotidie] Nimirum *mendicare;* quæ honesta est ἀποσιώπησις. DAVIS.

Quæ species formæ, quæ pugna] Davisius ex Mss. Gebhardianis *quæ species, formaque pugnæ.*

Polyphemum Homerus, cum ariete etiam colloquentem facit, ejusque laudare fortunas, quod qua vellet ingredi posset, et quæ *vellet attingere*] Recte animadvertis apud Homerum hoc non haberi: ergo aut finxit id Cicero, aut ex tragico quodam sumpsisse videtur. Sed postrema illa *quæ vellet, attingere* languida sunt et inania. Quidam apud Lambinum *aspicere* reponebant; verum hoc adhuc deterius. Omnes fere Gebhardi codices *quem* præferunt, non *quæ.* Unde suspicor legendum esse, *et in quem* vellet, *arietare.* Convenit profecto hoc Cyclopis immanitati. Accius apud Nostrum de Div. I. 22. *Duos consanguineos arietes inde eligi. Deinde ejus germanum cornibus connitier in me* arietare, *coque ictu me ad casum dari.*

Vel propius etiam possis, *et quem vellet arietare:* ut Plautus in Truculento. II. 2. *Quis illic est, qui tam proterve nostras ædes arietat?* Nisi forte et hic legendum sit, *proterve* in *nostras*, &c. Bentl.

Cap. 40. *Omnesque id nos*] Manutius, et Lambinus reponebant, *omnesque item nos*, &c. Pronomen *id* omnino delet Davisius. Tuetur autem Wopkensius, quem vide *Tullian. Lect.* I. 21.

Inani] Man. Lamb. *inanis*.

Platone profectis philosophis] Iidem. *Platone, perfectisque philosophis*.

DE

NATURA DEORUM,

AD M. BRUTUM.

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Totus hic liber trifariam dispertitur. Parte prima, ad caput usque 8, Cicero nonnulla præmittit, quibus toti operi veluti proludit. Parte secunda, quæ capite 20. clauditur, Velleius Epicureus philosophus, rejectis aliorum philosophorum opinionibus, Epicuri de Deo placita in medium affert, et magnifice commendat. Tertia denique parte, quæ reliquo libro continetur, totam Epicuri de Deorum natura doctrinam a Velleio expositam Cotta ex Academia philosophus evertit. Petrus Lescaloperius.

Cap. 1. *Ad agnitionem animi*] Quæstionem de natura deorum, quam ait Cicero *ad agnitionem animi esse pulcherrimam*, cognitu præclaram interpretor: est enim hoc loco agnitio animi, non qua cognoscitur animus, sed qua ipse divinam naturam agnoscit. Lescaloper. Sensus paulo obscurior videri possit; quapropter eum paucis explicabo. Cum multi philosophi mentem divinam esse censuerint; ait Tullius, hanc disputationem animo cognoscendo fore utilem; quod, indagata deorum natura, simul elucesceret mentis humanæ ratio. Vide Tusc. I. 26. 27. Similiter Varro apud Augustin. C. D. vii. 15. Hinc liquet a scopo prorsus aberrasse M. A. Muretum, qui *agitationem animi* rescribebat; uti docet etiam Adr. Turnebus Advers. XIV. 14. Davis. Dudum priusquam Davisiana legerem, in ea sententia eram, agnitionem animi illam esse, qua cognoscitur animus, non qua cognoscit. Qui sic intelligunt, quasi dicat Cicero eam quæstionem esse cognitu pulcherrimam, nullo exemplo probant, sed nec probare, opinor, possunt, quod agnitio animi actionem designet, qua cognoscit animus. Deinde non de nihilo est, extare hoc quoque unde perspiciatur quid senserit de animi natura Cicero. Illis quæ Davisius firmandæ suæ sententiæ adhibuit, possunt hæc addi Ciceronis ipsius testimonia. Somnio Scip. cap. 8, ita loquentem facit Africanum: *Deum te igitur scito esse, si quidem deus est, qui meminit, qui providet, &c.* De Univers. 8. *Animum*

igitur cum ille procreator mundi deus ex sua mente et divinitate genuisset, &c. De Divin. I. 49. *A natura deorum, ut doctissimis, sapientissimisque placuit, haustos animos et libatos habemus.* Qui locus ad hujus, qui in manibus est, declarandam sententiam pene factus videtur. Tusculan. V. 13. *Humanus autem animus decerptus ex mente divina, cum alio nullo, nisi cum ipso deo, comparari potest.* Adde eundem, *Tuscul.* I. 23. *et de Legib.* I. 22. nec non Sallustium, *Catilin. cap.* 1. Dixerat pridem Aristoteles, referente Sexto Empirico, *advers. Mathem.* p. 312. deum esse aliquid quod ex se simile sit animæ. Εἶναί τι θεῖον, τὸ καθ' ἑαυτὸν ἐοικὸς τῇ ψυχῇ. Quod non adeo mirabitur, qui meminerit censuisse quosdam philosophos, uti canit Virgilius *Georg.* IV. 220. *esse apibus partem divinæ mentis, &c.* Quin S. Augustinus *l. de Beata Vita, n.* 4. ubi de anima loquitur, *id est,* inquit, *unum in rebus proximum deo.* BUHERIUS.

Ut magno argumento esse debeat causam, &c.] Hunc locum docti aliquot viri putant mutilum ac lacerum, partim corruptum. Ego suum cuique judicium liberum, ut par est, relinquam: sed non dubitabo profiteri, mihi videri integrum esse, et explicari posse. Hoc idem enim dicit, opinor, Cicero, quod Aristoteles lib. I. τῶν μετὰ τὰ φυσικά, cap. 2. Ὥστ' εἴπερ διὰ τὸ φεύγειν τὴν ἄγνοιαν ἐφιλοσόφησαν, φανερὸν ὅτι διὰ τὸ εἰδέναι, τὸ ἐπίστασθαι ἐδίωκον, καὶ οὐ χρήσεώς τινος ἕνεκα. Id est, *Itaque si, propterea quod fugerent inscientiam, philosophati sunt; perspicuum est, eos, eo ut scirent, scientiam persecutos esse, non utilitatis alicujus gratia.* Illa Aristoteles. Hæc Cicero, *causa, id est, principium, philosophiæ est scientia,* id est, homines ingenio excellentes scientiæ causa philosophati sunt: hoc est, scientia, ut finis, cujus gratia quærere cœperunt naturam rerum, impulit eos, ut philosopharentur. Ita scientia, et principium et finis est philosophiæ; finis, quia ejus causa philosophati sunt homines; principium, quia impulit et commovit eos ad philosophandum. LAMB.

Ut magno argumento esse debeat prudenter Academicos a rebus incertis assensionem cohibuisse] Ita legitur hic locus in Ms. cum in aliis sit, *ut magno argumento esse debeat,* causam, id est, principium philosophiæ, esse scientiam, *prudenterque Academicos a rebus,* &c. URSIN.

Causam, id est, principium philosophiæ, esse scientiam] Nisi enim scientiæ nobis amor a natura esset insitus, non erat causa, cur philosopharemur. Scientiam autem philosophiæ causam et originem esse, inde cognoscitur, quod de natura deorum non modo variæ sunt doctissimorum hominum opiniones, verum etiam discrepantes; cujus rei causa est scientiæ cupiditas. Cur autem nonnulli hanc lectionem adeo non probaverint, ut corruptum exemplar sequi maluerint, non intelligo; nisi si ea, quæ in suo libro Ms. non vident, ex ingenio et conjectura esse omnia in animum induxerunt. P. MANUT.

Quid est, quod (Tullius) ait *causam, id est, principium philosophiæ esse scientiam?* Conveni aliquando qui hinc abesse nescio quid putaret, et aliquid suppleret; in contrariumque sensum converteret, et *inscientiam* inscientissime legeret. Ego scientiam defendo, et existimo significari veram philosophiam non in hominum philosophorum discrepantibus opinionibus positam, et constitutam esse; sed in scientia, certaque cognitione, et sine ea esse non posse. Nam tanta inter eos varietas et dissensio est, ut appareat sine certa quadam scientia philosophiam extare non posse, nec philosophos eam esse artem consecutos, cujus nomine vocantur. Itaque cum a scientia absint, ad quam etiam perveniri Academici non posse dicunt, et cum in tanta dissensione constituti sint, ut quidem ineptissimas sententias de diis immortalibus ferant, tanta varietas magnum argumentum habet, sine scientia, verique cognitione, et comprehensione philosophiam esse

non posse, et eos a philosophia, qui opinionibus nitantur, plurimum distare: vel potius dicit omnes ad scientiam pervenire conari, et ad eam omni studio eniti, sed cum diversa sentiant, merito Academicos sententiam sustinere suam, ne temere assentiantur. Nam temerarium esset, incognito falsove assentiri. TURNEB. *Advers.* XIV. 14.

Vexatus hic locus a multis multorum quoque vexavit ingenia: itaque admodum varie et lectitatus, et expositus est. Aldus Manutius ita legit: *Ut magno argumento esse debeat, causam, id est, principium philosophiæ esse inscientiam.* Quam scienter, scientum virorum esto judicium. Certe solus ita legit: et duriuscule a Turnebo, sed presso nomine, accipitur, ut paulo ante in ipsa Turnebi interpretatione audivimus. Codex Palatinus tertius *scientiam* mutat in *sententiam*: aliter alii legunt: nonnulli (quod factu facillimum est) totum locum expungunt, quippe quem spurium, et alienum putant: sed id sola difficultas explicandæ sententiæ persuasit, quæ gnavis interpretibus declinanda nunquam est. Itaque et totum locum, et vulgatam totius loci lectionem retineo, atque ita explico: *causam, id est, principium philosophiæ, esse scientiam,* quam scilicet omnes appetunt; quasi diceret: de deorum natura sic inter se philosophi dissentiunt, ut inde certo colligi videatur hoc primum, nempe id totum philosophandi genus atque institutum, nec non varias philosophorum sectas ex eo scientiæ appetitu, qui omnibus innatus est, profectas esse: dum enim quisque scire avet, suoque genio plurimum tribuit, novæ cujuspiam stellæ, ut aiunt, novi orbis inventionem sibi appromittens, factum est ut abierint in diversa philosophi, sectique sint in varias varie opinantum classes. Ac quemadmodum in fluminibus usuvenit, ut præcipites aquas objectus obex, et acuta moles multiplices in rivos, alveosque scindat; ita plerumque fit in hominibus, ad veri investigationem magna contentione, confertimque properantibus, ut eos prærupti quidam scopuli disjiciant ab communi tramite, et suam quemque semitam diversum inire cogant. Sed et alterum indidem colligitur, prudenter fecisse Academicos, qui tam incertis opinionibus assensionem minime dederint. LESCALOP.

Non longe ab initio libri primi de *Natura Deorum* lacuna hæc pridem notata est. Nempe in ipso exordio totius disputationis, quod est ejusmodi: *Cum multæ res in philosophia nequaquam satis adhuc explicatæ sunt, tum perdifficilis, Brute, quod tu minime ignoras, et perobscura quæstio est de natura deorum, quæ et ad cognitionem animi pulcherrima est, et ad moderandam religionem necessaria. De qua tam variæ sunt doctissimorum hominum, tamque discrepantes sententiæ, ut magno argumento esse debeat, causam, id est, principium philosophiæ esse scientiam: prudenterque Academicos a rebus incertis assensionem cohibuisse.* Mutilum, inquam, esse hunc locum, præter Lambini auctoritatem, qui hunc ut corruptum asterisco notavit, sententiæ ipsius absurditas cogit fateri. Quod miror Manutium non vidisse, neque Manutio majorem Turnebum, qui hanc lectionem tuentur. At enim vero non video, quo sensu scientia causa et principium philosophiæ dici possit. Nam esse exitum et finem palam est. Omnes quippe hoc consilio ad philosophandum accedunt, ut sedula pervestigatione causarum, alicujus rei sive effectus naturam penitus, quod scientiæ est munus, comprehendant. Cæterum quam certum est hunc contextum esse hiulcum, tam difficile arbitror, quæ desunt supplere. Id quidem meliorum librorum ope plane præstari posset, si extarent. An autem extent, me latet. Interea vero quid mihi nunc de supplenda hac lacuna in mentem veniat, dicam. Ita mihi videor hanc posse supplere. Post hæc verba: *ut magno esse argumento debeat, causam, id est, principium phi-*

losophiæ, suppleo, [*ab amore quidem scientiæ esse ductum, finem tamen non esse*] *scientiam*. Plana et dilucida hoc modo sententia est. Præfatur primum difficilem esse quæstionem de natura deorum, idque intelligi ex varietate opinionum, et dissensu philosophorum circa hanc quæstionem. Ex quo infert omnes studio quidem et amore scientiæ impelli ad philosophandum; quod idem est atque hunc amorem esse causam et principium philosophiæ: non tamen hujus finem esse scientiam. Non enim finis scientia, si ad eam nemo pervenit. Quippe hoc finis differt a scopo, quod ad scopum sufficit animi destinatio et consilium: finis, nisi operis successu, non intelligitur. Indicium infelicitatis et laboris nunquam ad finem pervenientis in via veritatis, discordes philosophorum circa idem quæsitum sententiæ. Ex quibus Cicero arguit prudenter fecisse Academicos, qui a rebus incertis assensionem cohiberent. Hanc esse mentem M. Tullii eo loco, hoc consilium, cuivis animum advertenti apparere arbitror. Ex quo etiam spes sit, quod ad verba attinet, quæ hic affero ad hiatum supplendum, non esse admodum dissimilia iis, quibus vir ille summus sententiam expresserat. Ita igitur interim liceat supplere hunc locum, dum aliquis nondum repertus liber e tenebris emergens, ipsam et Ciceronis manum repræsentaverit. Petrus Petitus, *Miscell. Observ.* lib. I. c. 3.

Cicero de Natura Deorum, lib. I. c. 1. sic de ea loquitur: *De qua tam variæ sunt doctorum hominum, tamque discrepantes sententiæ, ut magno argumento esse debeat causam, id est, principium philosophiæ esse scientiam; prudenterque Academicos a rebus incertis assensionem cohibuisse.* An ergo sequitur ex dissensione philosophorum de natura deorum, *causam*, id est, *principium philosophiæ esse scientiam?* Imo contra; nam ubi scientia est, ibi non est dissensio. Attamen *Dionys. Lambinus* contendit *Ciceronem* hoc velle, homines scientiæ causa philosophatos esse. Quod verum quidem est, sed a *Cicerone* non dicitur, quia nihil hic ad rem facit; quæ enim hæc est ratiocinatio? Dissentiant philosophi; ergo, scientiæ quærendæ causa, philosophati sunt; ergo recte fecerunt Academici, qui assensum cohibuerunt? Inserenda omnino hic est negatio, legendumque, *non esse scientiam*, hoc est, perspicuam cognitionem veritatis, ex qua omnia sua consectaria deducant; quod sequitur ex varietate sententiarum, et quo posito, prudenter omnino fecerunt Academici, qui a rebus incertis assensionem cohibuerunt. Vir doctissimus nec rem assecutus est, nec verba Ciceronis. *Causa, id est, principium philosophiæ*, non id significant hic, quod in sermone vulgari solent; hoc est, rationem cur quis philosophetur, initiumque ejus laboris. Græci Dialectici αἰτίας et ἀρχὰς, *causas* et *principia* vocabant; ubi sermo erat de inquisitione veri, deque demonstratione qua probaretur; axiomata, aut effata, ex quibus consectaria deducebantur. Sic loquitur Aristoteles Analyticorum Posteriorum lib. I. cap. 2. ubi docet quid sit scire, quid demonstratio, et ex quibus constet. Ἀνάγκη τὴν ἀποδεικτικὴν ἐπιστήμην ἐξ ἀληθῶν τ' εἶναι καὶ πρώτων, καὶ ἀμέσων, καὶ γνωριμωτέρων, καὶ προτέρων, καὶ ΑΙΤΙΩΝ τοῦ συμπεράσματος, οὕτως γὰρ ἔσονται καὶ αἱ ΑΡΧΑΙ οἰκεῖαι τοῦ δεικνυμένου: *necesse est demonstrationem scientiam esse ex veris, primis, proximis, notioribus, antecedentibus et* causis *conclusionis: sic enim erunt et* principia *propria ejus quod demonstratur.* Paulo post: ΑΙΤΙΑ τε καὶ γνωριμώτερα δεῖ εἶναι, καὶ πρότερα. ΑΙΤΙΑ μὲν, ὅτι τότε ἐπιστάμεθα ὅταν τὴν αἰτίαν εἴδωμεν, καὶ πρότερα, εἴπερ ΑΙΤΙΑ καὶ προγινωσκόμενα, οὐ μόνον τὸν ἕτερον τρόπον τῷ ξυνιέναι, ἀλλὰ καὶ τῷ εἰδέναι ὅ, τι ἐστί. Causas *et notiores oportet esse et antecedentes;* causas *quidem, quia tum scimus, cum causam novimus; et priores, si quidem sint* causæ *et præcognita, non tantum cognitione alius modi, sed et cognitione quod sit.* Iterum inferius: Ἐκ πρώτων δ' ἐστὶ τὸ ἐξ ΑΡΧΩΝ οἰκείων, ταυτὸν γὰρ λέγω πρῶτον καὶ

ΑΡΧΗΝ. ΑΡΧΗ δέ ἐστιν ἀποδείξεως πρότασις ἄμεσος. *E primis est, quod deducitur e principiis propriis: idem enim voco primum et* principium. *Est autem* principium demonstrationis *proxime antecedens propositio.* Sæpius ita locutus est Aristoteles, in hoc et sequente libro: sæpius etiam Sextus Empiricus, et alii philosophi; omnesque, qui elementa philosophiæ attigerunt, norunt quæ *principia* scientiarum dicantur. Sed superciliosi grammatici, qui Ciceronem recuderunt, hæc animadvertere non potuerunt, quod *principia* rectæ ratiocinationis æque norint ac elementa ipsa humanitatis; quæ, ad eos quod attinet, etiamnum in puteo Democriti latent. Joan. Clericus, *Silv. Philol. cap.* 1.

Causam, id est, principium philosophiæ esse inscientiam] Sic Ms. Eliensis, ac ita dudum ediderat Aldus Nepos. Noster Acad. lib. I. cap. 11. *Si ita erat comprehensum, ut convelli ratione non posset,* scientiam; *sin aliter,* inscientiam *nominabat.* Vide et lib. I. de Divin. cap. 52. *Principium* vero philosophiæ dicitur *inscientia,* quod ejus sit ἡ ποιητικὴ αἰτία, ut loquitur Nemesius de nat. hominis, c. 30. Et hoc est quod ἀρχὴν αἰτιώδη dixit Sextus Empiricus Pyrrh. Hypot. lib. I. cap. 6. De ἀρχῆς et αἰτίου potestate consulas licet Aristotelem Met. lib. IV. cap. 1. 2. et Simplicium in Phys. lib. I. p. 3. Vult igitur Cicero, ignorationem rerum in causa fuisse, cur homines sese philosophiæ dederint; id quod ex discrepantibus philosophorum sententiis recte colligitur; quoniam, *si res liquido sciretur, una esset omnium vox, et in ejusdem sententiæ finem cunctorum pergeret et conveniret assensio,* ut verbis utar Arnobii lib. III. Idem lib. II. *Qui dum alter alterius labefactant, destruunt, convelluntque decreta, cuncta incerta fecerunt, nec posse aliquid sciri ex ipsa dissensione monstrarunt.* Justinus Martyr, Cohort. ad Græcos cap. 5. Εἰ δὲ καὶ τούτους (Platonem et Aristotelem) μὴ συμφωνοῦντας ἀλλήλοις εὕρομεν, ῥᾴδιον οἶμαι καὶ τὴν τούτων ΑΓΝΟΙΑΝ γινώσκειν σαφῶς. Idem Apol. II. cap. 13. Οἱ δὲ τἀναντία αὐτοῖς ἐν κυριωτέροις εἰρηκότες, οὐκ ἐπιστήμην τὴν ΑΠΟΠΤΟΝ καὶ γνῶσιν τὴν ἀνέλεγκτον φαίνονται ἐσχηκέναι. Ἄποπτος est ἀσφαλὴς, βέβαιος, ut interpretatur Hesychius; et frustra fuit metaphrastes, qui ἄπτωτον reposuit. Sed nec res melius *Grabio* cessit, qui *sublimiorem scientiam* vult intelligi. Sextus Empiricus Pyrrhon. Hypot. lib. I. cap. 6. Οἱ μεγαλοφυεῖς τῶν ἀνθρώπων ταρασσόμενοι διὰ τὴν ἐν τοῖς πράγμασιν ἀνωμαλίαν, καὶ ἀποροῦντες τίσιν αὐτῶν χρὴ μᾶλλον συγκατατίθεσθαι, ἦλθον ἐπὶ τὸ ζητεῖν, τί τε ἀληθές ἐστιν ἐν τοῖς πράγμασι καὶ τί ψεῦδος. Vide sis etiam cap. 12. Nostrum lib. Acad. cap. 8. Xenophontem Ἀπομν. lib. I. cap. 1. 13. et Boetium Cons. Philos. lib. V. Pros. 3. Cumprimis autem huc faciunt Aristotelis verba Metaphys. lib. I. cap. 2. Διὰ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν καὶ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν, ἐξ ἀρχῆς μὲν τὰ πρόχειρα τῶν ἀτόπων θαυμάσαντες, εἶτα κατὰ μικρὸν οὕτω προϊόντες, καὶ περὶ τῶν μειζόνων διαπορήσαντες . . . ὁ δ' ἀπορῶν καὶ θαυμάζων, οἴεται ἀγνοεῖν. Vide sis et Gatakerum ad Antonini I. 15. Pal. tert. *sententiam;* vulgati *scientiam;* quæ quidem scriptura, licet ei patrocinentur viri doctissimi, nobis haud placet. Nam sive cum Lambino locum interpretemur, quasi dicat Tullius, homines ingenio præcellentes scientiæ causa philosophatos esse; sive cum Turnebo significari putemus, veram philosophiam in scientia certaque cognitione positam esse, nec sine ea posse consistere; nullus est ratiocinationis nexus, nec sibi invicem cohærent sententiæ. Quibus enim fidiculis extorqueri potest vel hæc, vel illa conclusio, quanquam philosophis inter se non convenisse statuamus. Davis.

Causam, id est, principium philosophiæ, esse scientiam] Nihil hic immutandum, quidquid dicant viri docti. Per *scientiam* Tullius intelligit eas animi perceptiones, quæ certæ sunt, et indubitatæ, quæque ideo vere sunt philosophiæ causa, et principium. Nam πάντα τὰ αἴτια, ἀρχαί, juxta Aristotelem, *Metaph.* IV. 1. Hoc autem Aca-

demicorum erat effatum, teste Tullio, Academ. Quæst. I. 8. *Scientiam nusquam esse, nisi in animi notionibus* (ita cum Lambino legendum) *atque rationibus*. Itaque scientiæ opinationem opponebant. *Scientia enim certi, opinatio incerti*, ut aiebat Lactantius, *Instit*. III. 3. En ipsa est doctrina, quam acutissimi recentiores philosophi Cartesius, Malebranchius, aliique, optimam esse philosophandi rationem docuerunt; scilicet, *nihil esse turpius, quam cognitioni, et perceptioni assertionem, approbationemque præcurrere*. Quæ verba sunt nostri Ciceronis, *Academ. Quæst*. I. 12. Videatur Malebranchius, *Disquisit. de Veritat. Tom. I. lib. I. cap*. 1. et passim. BUHER.

Promittebatur a me commentariorum *delectus*, non acervus. Hic tamen contra facio, quam pollicitus, professusque sim. Mihi quidem Turnebus instar omnium; sed præterire neminem volui, qui suam expertus sit in sententiæ hujus explicatione industriam: nisi tres, omnino, quibus, cum Gallice scripserint, non erat hic locus. Primus est Mathurinus Veysserius *De la Croze*, qui hujus nominis inversione dici voluit *Alcozer*, in volumine cui titulus, *Nouvelles de la Republique des Lettres, Avril*, 1702. Alter, Petrus Bælius, in Epistolis. Tertius denique, anonymus diatribæ auctor, quæ legitur in Trivoltiensi, quod vocant, Diario, art. 115. Decemb. 1730. Is est Carolus Bosius, e Soc. JESU, vir non una laude insignis: cujus primam ætatem tractatio humanarum litterarum; adultam, divinarum; maturam prudentia rerum gerendarum illustravit primum in Gallia, nunc Romæ. Cui ego, pro benevolentiæ constantia, cum debeam plurimum, hoc saltem rependo, ut honoris causa nominem. OLIVET.

Quid est enim temeritate fortius] Aut hic *fortius* in malam partem est accipiendum, quasi violentius: qua significatione hanc vocem alibi non memini me legisse; aut pro *fortius* corrigendum *fœdius*, quod affirmare sine vetustis exemplaribus non audeo. P. MANUT. *Temeritate turpius*. Veneti, *fortius*, quod certe congruere non videtur. Suspicari tamen aliquis possit, in archetypo *spurcius* fuisse. CAMERAR. *Temeritate turpius*. Vel hoc modo legendum, quo modo conjecit et Manutius: *quid enim temeritate* fœdius? vel, *quid enim temeritate* turpius? quantumvis licet reclament codices, quos vidi, omnes. Neque hæc scriptura ferri ullo modo potest, quicquid comminiscantur et proferant studiosi antiquitatis homines, ipseque adeo Turnebus; nam, ut idem alibi fatetur, omni antiquitatis situ, carie, et putrore potentior est ratio et veritas. LAMBIN. *Temeritate turpius*. Sic olim dedit Ascensius: quam lectionem ratam faciunt Pal. tert. et Eliens. Lib. I. de Divin. cap. 4. *Cum omnibus in rebus temeritas in assentiendo, errorque* turpis *est*, similis extat alter Acad. I. 12. Temeritas *tum esset insignis, cum aut falsa, aut incognita res approbaretur; neque hoc quicquam esse* turpius, *quam cognitioni et perceptioni* assertionem (malim cum Turnebo *assensionem*) *approbationemque præcurrere*. Pariter lib. II. 20. *Pro veris probare falsa* turpissimum *est*. Vide et cap. 36. Vulg. *fortius*; a cujus partibus stat Adr. Turnebus *Advers*. XIV. 14. Vir linguæ Latinæ peritissimus J. F. Gronovius Observ. lib. II. 2. præfracte negat *fortius* in malam partem sumi posse; veterem tamen lectionem propugnat, et in præcedente *ablativo* vim instrumenti esse censet, ut dicat Cicero, quid est per temeritatem fortius, seu quid juvat quamcunque causam temeritas? Sed in hac interpretatione nihil est præsidii: talis enim interrogatio nimis est opica, eodemque redit ac si quæreretur, quid sit per vitium laudabilius, aut per stultitiam sapientius. DAVIS.

Theodorus Cyrenaicus] Hic menda est, etsi levis, nihilominus tollenda. *Cyrenaicus* sectæ philosophicæ titulus est, in qua licet aliquamdiu Theodorus hic fuerit, non perseveravit

tamen: novam ipse ac propriam architectatus, uti narrat Diogenes Laertius, lib. II. Deinde locus hic non erat indicandæ Theodori sectæ, sed patriæ; ut in Diagora fecit Cicero. Proinde legendum, *Theodorus Cyrenæus.* Buher. *Cyrenaicus.* Hac forma, quam præstant Mss. sæpius utitur Cicero. Sic Tusc. I. 34. *Et quidem hoc a Cyrenaico Hegesia sic optime disputatur.* Et V. 38. *Illud Antipatri* Cyrenaici...Joannes item Stobæus, Serm. II. Θεόδωρος ὁ Κυρηναϊκός. *Theodorus ille Cyrenaicus.* Davisius. Hæc frustra opponit Davisius. Nam et Antipater et Hegesias appellari potuere *Cyrenaici*, ut qui Cyrenaicam sequerentur sectam Aristippi. In qua cum fuisset Theodorus, ut animadverti, eodem insigniri titulo poterat; quemadmodum est insignitus a Stobæo; si modo in voce Κυρηναϊκός vitium non est. At Cicero, neque ignarus Theodorum, propria sibi constituta familia, discessisse ab Aristippo, et in scribendo præter cæteros accuratus, cur eum, quem alibi *Cyrenæum* appellavit, hic diceret Cyrenaicum? præsertim cum altero conjunctum philosopho, cujus patriam nominat. Ut ergo scripsit, *Diagoras Melius*, credibile est scripsisse quoque *Theodorus Cyrenæus.* Buher.

Cap. 4. *Unius consilio*] Julii Cæsaris, qui, devicto Pompeio, summam remp. tenebat. Davis.

Animi ægritudo, fortunæ magna et gravi commota injuria] Non intelligit moerorem ex obitu patriæ libertatis natum, ut falso putant Aldus nepos et Pet. Lescaloperius; eam enim causam supra memorarat; cum ait, *is esset reip. status, ut eam unius consilio atque cura gubernari necesse esset.* Vult dolorem, quem ex morte Tulliæ suæ gravissimum concepit. Utramque rationem conjunctim recenset Acad. I. 3. Idem.

Cap. 5. *Alio loco*] Vide Lucullo, cap. 31. et Offic. II. 2.

Quia visum haberent] *Quam ille* (Zeno) φαντασίαν, *nos visum appellemus licet, et teneamus hoc verbum quidem.* Acad. I. 12. Vide et Acad. II. 31. Dicitur autem et *visus* et *visum*. Pass.

Cap. 7. *Nihil scire didicistis*] Facti estis Academici. Seneca epist. 88. *Academici novam induxerunt scientiam, nihil scire.* Lactantius Div. Inst. lib. III. cap. 14. *Hæc* (Academia) *nihil docet, nisi ut scias te* nihil scire. Idem de Ira Dei cap. 1. *Socrates..id ipsum pro summa doctrina profiteretur, quod* nihil scire *didicisset.* Quæ cum scriberet, hic locus ei fuit in mentem. At ut recte Lucretius IV. 471.

Denique nil sciri si quis putat, id quoque nescit
An sciri possit, qui se nil scire fatetur.
Davisius.

Cap. 8. *Ex Epicuri* intermundiis] Intermundia, seu μετακόσμια sunt τὰ μεταξὺ τῶν κόσμων διαστήματα, ut post Epicurum loquitur Achilles Tatius Isag. ad Phænomena. Hæc autem ex Epicuri sententia, sedes erant deorum. Cicero de Divin. II. 17. *Deos enim ipsos jocandi causa induxit Epicurus perlucidos et perstabiles, et* habitantes, *tanquam inter duos lucos, sic* inter duos mundos, *propter metum ruinarum.* Vide II. de Finib. cap. 23. Idem.

Quinque formæ, ex quibus reliqua formantur, apte cadentes ad efficiendum animum] Quinque formæ sunt οὐσία, ταὐτὸν, ἕτερον, στάσις, et κίνησις. Adeatur Mars. Ficinus in Timæum cap. 27. Davis. Petrus Marsus has quinque formas vult esse quatuor elementa, et *quintam*, quam vocant, *essentiam*, ex qua conflatum cælum, humanamque mentem voluere Platonici. Nec parum lucis affert optimi Marsi commentationi locus Cic. Acad. I. 7. *Earum igitur qualitatum*, &c. Lescal.

Sed illa palmaris quidem] Scilicet sententia: dixerat enim antea Velleius, *audite non futiles commentitiasque sententias.* Non igitur opus est, ut cum Davisio legamus, *sed illud* palmare *quidem.* Pearcius.

Cap. 9. *Qualis ea fuerit, intelligi non potest*] Secutus Gruterum Davi-

sius edidit dempta negatione: *intelligi potest.* At particula *tamen*, quæ antecedit, monere illos poterat, Velleium dicere: eam æternitatem, quæ mundi ortum præcesserit, credi facilius, quam percipi. BUHER.

Signis et luminibus] Quærit vir doctus: *Quis unquam audivit, ædilium hoc fuisse, ut luminibus et facibus urbem illustrarent? Ludos curabant ædiles, in quibus nullus luminum usus, sed signorum, hoc est statuarum, quibus ex omnibus provinciis congestis, vias, per quas pompa ducebatur, exornabant.* In India, inquit, *nullus luminum usus.* Non recordabatur, quod legerat, Circensibus ita captos fuisse Romanos, ut tres interdum dies in eo spectaculo, somni ædiumque obliti, *funalibus accensis*, posuerint. Qua de re Julius-Cæsar Bulengerus, lib. de circo, cap. 44. Funalia certe lumina sunt. An spectatorum quisque *Vulcanum in cornu conclusum* gerebat, ut Plautinus ille Sosia? Credemusne, cum essent ædiles in cætero omni apparatu prodigi, fuisse in funalium impensis sordidos? aut ludos seculares trinoctio nullis accensis luminibus celebratos? An cum triumphi ducerentur, cum instruerentur supplicationes et lectisternia, putabimus eam publicæ lætitiæ significationem, quam accensa lumina præferunt, urbi defuisse? Quin *moris in urbe fuit*, ut notat Vertranius, *per singulas domus lucernam accensam noctu fenestris appendere, qua vicus illuminaretur.* Eam vero ædilium propriam, saltem plebeiorum, fuisse procurationem, ignotum nemini esse arbitror. OLIVET.

Deinde quod ita multa sunt incommoda in vita] Sic legi malim: *Deinde, quæ ita multa sunt incommoda in vita, ut ea sapientes commodorum compensatione leniant, stulti nec vitare venientia possunt*, &c. Quo in loco *ut* positum est pro *licet.* BUHER. *Deinde quod ita multa... in vita, ut ea sapientes*, &c. Ita vulgo legitur hic locus, quem corruptum esse docti fere confitentur. Ad eum sanandum novam distinctionem ex ingenio Davisius commentus est, scribendo *in vita: Ut ea*, &c. Omnino male, si quid veri video. Alia aggrediendum esse via censuit Buherius, qui sic legendum conjecit, *deinde*, quæ *ita multa sunt incommoda in vita, ut ea sapientes*, &c. At mihi in mentem olim venit Ciceronem scripsisse, *deinde, quod ita multa sunt incommoda in vita, ut ea*, si *sapientes commodorum compensatione leniant, stulti nec vitare venientia possint, nec ferre præsentia.* Ut sensus sit: non videntur hæc a deo constituta esse hominum causa, quia, cum homines plerique stulti sint, stulti non possunt ea incommoda, quæ multa sunt in vita, vitare aut ferre; quamvis sapientes fortasse possint ea lenire commodorum compensatione. PEARCIUS. Commode animadvertit Buherius *ut* positum esse pro *licet.* Hæc enim, *deinde quod ita multa sunt incommoda*, eo tendunt, ut probet disputator, neque sapientum causa conditum esse mundum, neque stultorum. Argumentum ducit ex incommodis, quæ in vita hominum adeo sunt multa, et utrosque circumveniunt: neque devitari vel ab his vel ab illis possunt. *Ut* demus quod *ea sapientes commodorum compensatione leniant*, non tamen fugiant omnino; *stulti* vero *nec vitare venientia possunt, nec ferre præsentia.* ANON.

Cap. 10. *Nullo modo viderunt animi naturam, intelligentes in quam*] Lamb. *Nullo modo animi naturam intelligentes, non viderunt in quam.*

Nullo modo viderunt] Omnino tenendum videtur, quod eruit e veteri codice Gruterus: *Nullo modo viderunt animi naturam intelligentis, in quam figuram cadere posset.* Eadem est construendi ratio Epist. Fam. IV. 2. *rem videt, quo modo se habeat.* In aliis lectionibus nihil video quod valeam concoquere. Ea vox *intelligentis* adjungenda erat ad alteram *animi*, ut discrimen signaretur ambarum partium, unde humanum constare animum philosophi comminiscebantur, quarum altera *sensum, motum, appetitum habeat, altera rationis atque*

intelligentiæ sit particeps, ut dicitur libro de Divinat. I. cap. 32. Non nisi de posteriore loquentem facit Velleium Cicero. Is porro construendi modus, a communi usu abhorrens, quem hic usurpavit Cicero, locum dedit corruptelæ. BUHER.

Qualia vero sint] Aliorum *vero qualia sint*. LESCALOP. *Qualia vero* alia *sint*. DAVIS.

Si dii possunt esse sine sensu et mente, &c.] Locus interpretum omnium confessione depravatus, atque etiam mutilus; qui certo emendari sine veteris alicujus et hactenus irreperti codicis ope nequeat. Dum talis adsit e tenebris ac pulvere adjutor, indulgebo conjecturis, enitarque Ciceronem assequi. *Thales aquam dixit esse initium rerum, deum autem eam mentem, quæ ex aqua cuncta fingeret.* Hæc plana sunt. Nodus est in istis: *Si dii possunt esse sine sensu et mente, cur aquæ adjunxit; si ipsa mens constare potest, vacans corpore?* Quæro enim: quo pacto existimaret Thales esse mentis expertes deos, quandoquidem credebat, *deum esse eam mentem, quæ ex aqua cuncta fingeret?* Criticorum aliqui, cum id quam absurdum sit, probe agnoscerent, in hunc modum emendabant: *Si dii possunt esse sine sensu, cur mentem aquæ, cur aquam menti adjunxit*, &c. Aut brevius: *mentem cur aquæ adjunxit?* Eorum autem verborum quis sensus sit, non video. Deinde cum geminetur particula *si*, geminam esse oportet interrogationem a Velleio; at unica est ista: *cur mentem aquæ adjunxit?* Quæ quidem bene cum istis convenit quæ consequuntur; non item cum illis quæ antecedunt. Vulnus illud persanabit voculæ unius adjunctio, si in hunc modum legas: *Qui, si dii possunt esse sine sensu? Et mentem cur aquæ adjunxit, si ipsa mens constare potest, vacans corpore?* Quo pacto, inquit Epicureus, mens destituta sensu potuerit tantum mundi opus moliri, quando intelligere non possumus id quivisse deum Platonis, *animo et sensibus* præditum? Tum quo fine hoc effecisset, cujus ex pulchritudine fructum capere, sensibus carens, nullum posset? Rursum cur Thales adjunxit aquæ mentem illam, *si ipsa constare potest vacans corpore?* Perspicua hæc sunt, opinor, et inter se apta. Voculæ *qui* nocuit ambiguitas sua, et vicinitas particulæ *si*, quibus factum ut loco excideret. Inciderat quoque suspicio, scripsisse Tullium: *sine sensu et motu.* Hoc enim inter cætera docebat Thales, teste Stobæo, *Eclog. Phys.* I. 16. causam primam esse motus expertem: τὸ πρῶτον αἴτιον ἀκίνητον. Locum sane illustraret hæc emendatio. Sed abstineo tamen: tum ne audacius fecisse videar; tum quod modica sit ejus inducendæ necessitas. BUHER.

Cur aquæ adjunxit] Ut plena sit phrasis, et plana sententia, supplenda est vox *mentem*, quæ ex superiore membro facile intelligitur. Thaletis opinionem ut Velleius breviter proposuit, ita leviter impugnat. Ejus argumentatio huc redit: Thales duo prima ponit, aquam et mentem. At alterutrum ex illis satis erat. Eadem ratione dixit Cicero, Acad. II. 6. *Lacydi discipulum, cum Arcesilæ Lacydes fuisset.* Exigit phrasis vocem *discipulus*, quæ intelligitur ex illa *discipulum*. PASSER.

Cap. 11. *Anaxagoras.... primus omnium rerum descriptionem et modum*] Frustra hanc vocem, *modum*, Rigaltius sollicitat, et ex illo Davisius, ac *motum* substituunt. Quid enim expedit ea mutatio, aut quam affert lucem sententiæ? Deinde quod opponunt, in consequentibus *motum* commemorari, hoc nihili est. Nam commemoratur etiam *sensus*, qui tamen in antecedente membro non est. At enim *modus* apprime convenit. Eo quippe vocabulo ornatus ille significatur, quem rebus ac naturis omnibus a suprema mente adjunctum fuisse Anaxagoras docebat. Τάξιν τοῖς ἀτάκτοις, καὶ κίνησιν τοῖς ἀκινήτοις, καὶ διάκρισιν τοῖς μεμιγμένοις, καὶ κόσμον τοῖς ἀκόσμοις: *Ordinem confusis, motionem immobilibus, discrimen commistis, ornatum inor-*

natis. Hermias, *Irris. Gentil. Phil.* Itaque *descriptionem* posuit Cicero, quoniam scripserat *designari;* et *modum*, quoniam *confici*. BUHER.

Quæ sentire possit] Lego, *qua sentire possit.* Atque ita Augustinus, epist. ad Dioscorum, quæ est novissimæ editionis CXVIII. in qua, num. 24. hunc de Anaxagora locum et describit, et explicat. OLIVET.

Continentem ardore lucis orbem] Hæc lectio mihi nullum sensum fundere videtur; nos autem facili conjectura legimus, *continente ardore lucis orbem:* et ita, nisi fallor, loco fit medicina. DAVIS.

Quippe qui bellum, qui discordiam] Non indicant Ciceronis interpretes, unde habuerit, ejusmodi fuisse Parmenidis dogmata; quæ ipsa quidem neque a Diogene Laertio, neque ab aliis commemorantur, quibus servata debemus fragmenta philosophorum veterum. Potuerat hæc Parmenides in *Theogoniam* conjecisse, quam Hesiodum secutus scripserat. Plato in Conv. tom. III. edit. H. Steph. p. 195. τὰ δὲ παλαιὰ πράγματα περὶ θεοὺς, ἃ Ἡσίοδος καὶ Παρμενίδης λέγουσιν. *Prisca deorum gesta, quæ Hesiodus Parmenidesque describunt.* Quemadmodum ergo alter bellum, discordiam, et totidem deos fecerat, ita Parmenidem fecisse suspicor. BUHER.

Cap. 12. *Intelligentiamque nostram*] Walkerus delet *nostram:* et recte, ni mea me fallit opinio. IDEM.

Cap. 13. *Platone non dissentiens*] Vict. Man. Grut. *Platone uno dissentiens.*

A magistro Platone uno *dissentiens*] Primum non ab *uno*, sed a multis dissentiebat; nam philosophi de diis varie sentiebant: deinde ab aliis potius quam a Platone, cujus eandem fere de diis fuisse sententiam paulo ante ostendit; quam ejus discipuli, Aristoteles et Ponticus Heraclides, sunt secuti. Itaque videndum, num ita legi possit; *a magistro Platone* non *dissentiens.* P. MANUT. Secutus sum Manutii conjecturam, meo judicio, rectam et certam. LAMBIN.

Et tamen modo mundum] Quamvis plenus sit fabularum, ac fere leviora tractet, *tamen* aliquando assurgit ad graviora, et *modo mundum*, &c. LESCALOP. In illud *tamen* unanimis est criticorum conspiratio; cumque alii aliud substituant, suspicor Ciceronem scripsisse: *et amens modo mundum*... Ab eodem Velleio Cleanthes mox sugillabitur *quasi delirans;* et cap. 16. plerorumque sententias philosophorum traducet quasi *delirantium somnia.* Ob illam procacitatem hoc ipso libro cap. 34. redarguetur: *Tu ipse paulo ante summos viros desipere, delirare, dementes esse dicebas.* BUHER.

Cap. 14. *Ut divinam, esse affectam putat*] *Vi divina esse affectam putat*, et apertius esset, et, ut puto, verius, nec insigni tamen mutatione. P. MAN.

Insitas præceptasque] Vict. Man. Grut. *usitatas perceptasque.*

In animi notione, tanquam in vestigio, volumus reponere] Volumus eam notionem, quam animis nostris natura informavit, esse argumentum divinitatis longe certissimum: ut pedis vestigium indicium est animalis. LESCALOP. Illud *tanquam in vestigio*, nihil aliud est quam si diceret, animi notionem, seu anteceptam animi informationem, esse tanquam impressionem, qua deorum in nobis cognitio insculpta est. Id enim significat τὸ *vestigium*, vel Cicerone teste, apud quem in Tusculanis I. 25. legas, *memoriam esse signatarum rerum in mente vestigia*, id est, notas. *Tanaq.* FABER, *lib. I. ep.* 34.

Cap. 15. *Perseus*] Scribendum *Persæus;* nam Græcis est Περσαῖος, quod eruditi dudum observarunt. Vide modo Dionem Chrysost. Or. LIII. DAV.

Universa atque omnia] Sic πᾶς et ὅλος a Græcis sæpe conjunguntur. Plato Leg. τῷ παντὶ καὶ ὅλῳ, et *Cratyl.* ὅλῳ καὶ παντὶ διαφέρει. Multa e Tullio exempla congerit Wopkensius, *Lect. Tull.* II. 4. ubi monet, in hanc sermonis abundantiam sæpius incidisse Ciceronem, quod natura abhorreret a breviloquentia atque ariditate Laconica: tum etiam aliquando, ut pluri-

bus nominibus rem unam quam maxime significaret. Anon.

Tum fatalem vim] Vulg. *fatalem umbram*; quæ voces nullum omnino sensum fundunt: inanis enim est observatio Xysti Betuleii, qui *umbræ* vocem ab homine Epicureo duntaxat extenuandi gratia positam esse contendit. Lepidum tamen hoc commentum exscripsit Pet. Lescaloperius. Futilem scilicet interpretationem peperit corrupta lectio, quæ forsan et nobis fraudi suisset, nisi præluxisset Ms. Eliensis. Is eam, quam recepimus, scripturam diserte repræsentat. Davis.

Ignem præterea, et eum, quem antea dixi, æthera] Respicit haud dubie quod in proximo capite est, ubi illum Cleanthis deum appellat, *ultimum, altissimum, atque undique circumfusum, et extremum omnia cingentem atque complexum ardorem, qui æther nominatur*. Item hujus operis, lib. II. cap. 15. *In ardore cælesti, qui æther, vel cælum nominatur*. Cap. 26. aer ab æthere discernitur; et cap. 36. dicitur *immensus æther, qui constat ex altissimis ignibus*. Vid. lib. II. cap. 33. 40. 45. Est ergo æther idem cum igne: quod tamen negare videtur Cicero his verbis, quæ initio hujus animadversionis posui. Neque regeri potest, assignari discrimen ignis purissimi ac cælestis a terreno et concreto, uti lib. II. cap. 15. Stoïci quippe deum esse aiebant ignem, non quemlibet, sed qui in quaternario elementorum numero censetur. Quod testantur Sextus Empiricus, *adv. Mathem*. p. 367. Numenius ab Eusebio adductus, *Præpar. Evang*. lib. XV. c. 17. atque alii; apparetque ex iis quæ subdit Cicero. At non potest ignis inter elementa numerari, nisi purissimus et cælestis. *Æther*, inquit Tullius II. 45. *suum retinet ardorem tenuem, et nulla admissione concretum*. Ergo dempta conjunctione legendum est hoc de quo agitur loco: *ignem præterea eum, quem antea dixi æthera*. Buher.

Et eum, quem dixi, &c.] *Et*, idem valet ac *id est*; hanc enim partem adjunxit Cicero, ut explicaret, quemnam intelligi ignem vellet. Anon.

Tum ea quæ natura fluerunt, atque manarent] Hujus operis lib. II. 19. de luna scribit Cicero: *multaque ab ea manant et fluunt, quibus et animantes*, &c. ubi *manant et fluunt*, non aliter intellexeris, quam si scripsisset *producuntur*. Hic pariter, *quæ natura fluerent atque manarent*, eodem sensu intelligi posse arbitror, ac si scripsisset: *quæ natura producerentur*. Id.

Atque homines etiam eos, qui immortalitatem essent consecuti] Tamen Plutarcho si credimus, *de Iside et Osiride*, docebat e contrario Chrysippus eos heroas, deorum ordinem adscriptos, neque deos esse, neque homines; sed genios, Δαίμονας τὸ θεῖον οὐκ ἀμιγὲς, οὐδὲ ἄκρατον ἔχοντας. At enim Epicureum hominem, quod observandum, hic loquentem inducit Cicero, in omnem conflandæ Stoicis invidiæ occasionem intentum. De Stoicis Christianorum sanius erat favorabiliusque judicium, quod Athenagoras explicavit, *Legat*. p. 7. *edit*. 1656. Stoici, inquit, etiamsi nominibus, pro diversitate materiæ per quam spiritum dei penetrare aiunt, aliis atque aliis utentes, multiplicare deum videntur: reipsa tamen unicum esse deum statuunt: οἱ δὲ ἀπὸ τῆς στοᾶς, κἂν . . . πληθύνωσι τὸ θεῖον τοῖς ὀνόμασι, τῷ γοῦν ἔργῳ ἕνα νομίζουσι τὸν θεόν. Alia descripsit Justus Lipsius, Physiolog. Stoic. lib. I. Dissert. 9. Quanquam argumentum nimis jejune, nec satis pro rei ubertate tractavit. Audiatur itaque præ aliis Cicero, qui posthac lib. II. c. 28. Stoico Balbo hæc tribuit: *His fabulis spretis, ac repudiatis, deus pertinens per naturam cujusque rei, per terras, Ceres; per maria, Neptunus; alii per alia, &c.* Buher.

Quique aer per maria manaret, eum esset Neptunum] His certe verbis nihil aliud expressum voluit, quam quod illis e lib. II. cap. 28. modo allatis, *deus pertinens per naturam*, &c. At aeris vocabulum ei non convenit deo Stoicorum, a quo vitam ducunt

omnia. Eam vim uni tribuebant igni. Testis Cicero, cum aliis locis, tum lib. II. cap. 22. De Chrysippi sententia disserit Diogenes Laertius VII. 138. 139. Joannes Stobæus, *Eclog. Phys.* lib. I. cap. 13. Eum ignem appellabant *æthera*, uti jam demonstratum. Lego igitur; *quique æther per maria manaret.* IDEM.

Cap. 18. *Cernatur*] *Natura* videlicet ac *vis deorum*. Corrigunt nonnulli, *cernantur*, quoniam, inquiunt, de diis agitur, non de natura ipsorum. At enim qui mente cernit naturam et vim deorum, cernit quoque eos mente: ut qui cernit mente naturam atque *essentiam* hominis, cernit mente hominem. Quid est enim homo, si mente consideres, nisi natura hominis? aut quid deus, nisi natura dei? Nihil igitur mutandum. PASSER.

Exsistat et ad deos affluat] Legendum puto, *a deo affluat*, sententia ita postulante; de quo dubitandum eo minus est, quod cap. 41. *cum*, inquit, *ex ipso imagines semper affluant.* Et Lucretius nostram conjecturam lib. IV. plane confirmat. P. MANUT. Ita legit Augustinus, ep. 118. cujus in hoc loco præcipua habenda ratio est. OLIVET. Emendavi, *et ad nos affluat*, ex simili loco, qui est infra paucis post paginis. Ibi, *cumque ex ipso imagines semper* ad nos *affluant*. Sic autem omnino legendum est, neque cuiquam dubitandi locus relictus est: nam Epicurus dicebat, nos et videre et cogitare per imagines, et accursu imaginum ad nos, hoc est, ad oculos et ad mentem. LAMBIN.

Cap. 20. *Oram ultimi*] Per vocem *ultimum*, quæ sæpius formam substantivi inducit, intelligamus earum regionum, quas peragraverit animus, extremam et ultimam. Per *oram* autem, illius ultimæ regionis terminum sive finem, unde ulterius pergi nequeat. Passim hoc modo distinguuntur voces, quarum vis aliis in locis una eademque est: quemadmodum etiam illas *ora* et *ultimum* posse συνωνύμως adhiberi quis negaverit? WOPKENS.

Cap. 22. *Simonide, de quo cum quæsivisset hoc idem tyrannus Hiero*] Hieronem Simonidi σύγχρονον fuisse negat Bisciola Hor. Subces. Tom. II. lib. II. cap. 19. Sed omnino falsus est; ut docebunt interpretes ad Æliani V. H. IV. 15. DAVIS.

Quid dicit, quod non modo philosophia dignum esset] Rescribendum, *dixit*, pro *dicit*: aut *sit*, pro *esset*. LAMBINUS.

Cap. 23. *Tubulus si Lucius*] Lucius Tubulus alias Romanus prætor, unus, ex omni memoria sceleratissimus, et audacissimus a Cicerone alicubi dicitur. Insignem avaritiæ, corruptique et venalis judicii notam inustam habet lib. II. de Finib. cap. 16. LESCALOPERIUS.

Lupus] Vectius Albutius Lupus, ob morum sævitiam, lupos inter potius quam inter homines adscribendus, Lucilii famosis coopertus versibus legitur in Satyris Horatii, lib. II. Sat. I. IDEM.

Carbo] Hic, ni fallor, Caius Carbo fuit, quem Tullius Tib. Graccho socium addit in Bruto, c. 27. IDEM.

Neptuni filius] Id est, alius quispiam scelestus, et insignis impietatis. *Poetæ*, inquit A. Gellius, XV. 21. *ferocissimos, et immanes, et alienos ab omni humanitate, Neptuni filios dixerunt.* IDEM.

Cap. 24. *Quam vestra: ista enim flagitia*, &c.] Varie de hoc loco corrupto docti conjecerunt. Ego sic tandem legendum puto, *quam vestra ista:* (vestra *enim flagitia Democriti, sive etiam ante Leucippi) esse*, &c. Sensus tum demum erit; ea flagitia appello vestra, quia Democriti flagitia sunt vestra, cum hæc a Democrito sive Leucippo Epicurus *vester* mutuatus sit. Cum repetitur idem verbum, non infrequenter accidit, ut in Mss. alterum omittatur errore exscribentium. PEARCIUS. Locum esse corruptum non video. Nam ut facile intelligatur, satis erit meminisse, quod sæpe inter legendum occurrit, particulam *enim*, inter alios quos habet usus, a bonis auctoribus latinitatis adhiberi quoque, ubi additur quip-

piam, quo prius dicta clarius explicentur, vel affirmentur. Hic itaque *enim* perinde valet ac *inquam*, *enimvero;* sensusque est: vestra enim cum dico, ea intelligo, quæ a vobis Epicureis adoptantur, pudenda commenta Democriti, sive Leucippi. ANON.

Aut susceptæ philosophiæ nomen amittere] Verba hæc non sunt tam clara, quam initio videri possint. Cicero alludit ad militiæ Romanæ morem, ubi dicebantur ii *nomen dare*, qui in numerum militum recipiebantur; et e contrario *nomen* aut *sacramentum amittere*, est relinquere militiam, aut exauctorari. Ita apud Ciceronem lib. I. de Offic. cap. 11. Cato prohibet filium, qui a duce erat exauctoratus, in hostem pugnare, nisi denuo sacramentum dixisset, *quia, priore amisso, jure cum hostibus pugnare non poterat*. BUHER.

Aliquando sit. *Si natum*] Aut lege cum Davisio *aliquando*. Sed *si natum;* aut (ut ego malim) *aliquando*. Et *si natum*. PEARC.

Cap. 26. *Non rideat haruspex, cum haruspicem viderit*] Hoc Catonis censorii fuit dictum, ut liquet ex lib. II. de Divin. cap. 24. DAVIS.

In cereis fingeretur, aut fictilibus figuris] Sic editionis Aldinæ, quod amplissimo Buherio, mihique placet. Vulgo *in ceris fingeretur*. IDEM.

Sed hunc Platonicum mirifice contemnit Epicurus] *Sed hunc et Platonem* habent libri manu scripti. URSINUS.

Cap. 28. *Invehens*] Idem valet ac *invectus*. Noster in Bruto cap. 97. *Adolescentia per medias laudes quasi quadrigis* vehens. DAVIS.

Huic, deo pulchrior] Concinnior erit sententia, si legatur: *hui, pulchrior deo?* P. MANUT. Gul. etiam Canterus hunc locum mendi suspectum habuit; is enim Nov. Lect. lib. IV. cap. 14. malebat, *hic deo pulchrior?* Sed Gruterus vulgatam lectionem recte defendit; eaque nihil est convenientius. *Huic*, nempe Catulo, Roscius videbatur *deo pulchrior*. DAVISIUS.

Cap. 29. *Florere in cælo Academiam necesse est*] Non erit, quo deus a deo possit distingui. Nota est Academicorum ἀκαταληψία. IDEM.

Sic occurrit, ut dicis] Vict. *Si occurrit, ut dicis apparuisse.*

Quam tibi illam nostram Sospitam] Si quid hoc loco mutandum est, *vestram* scribe, pro *nostram*, cum templum istud Junonis Sospitæ fuerit Lanuvii patria Velleii. Dubitandum enim non est, quin Cotta, ridens credulitatem istius Epicurei, per ironiam adjecerit illud *vestram*, idque meliori jure quam quo paulo ante, loquens de Roscio comœdo, dixerat, *municipem tuum Roscium*. Idque tanto magis sit verisimile, quod paulo post Junonem istam distinguit ab altera illa, quæ erat Romæ, et addit: *ergo alia species Junonis Lanuvinis, alia nobis*. Ita enim est legendum, ut Davisius post Ursinum nos docuit. BUHERIUS.

Ergo alia species Junonis Argivis, alia Lanivinis, alia nobis] Ita legendus hic locus ex auctoritate vetustissimi libri, cum in vulgatis desint duo postrema verba, *alia nobis*, et pro Lanivinis scriptum sit Latinis. Colebatur autem Lanivii Juno Sospita cum pelle caprina, cum hasta, cum scutolo, cum calceolis repandis; cujusmodi in denariis L. Roscii Fabati, et L. Thorii Balbi, qui Lanivini fuerunt, signata reperitur. URSIN.

Lanuvinis] Man. Lamb. *Latinis.*

Cap. 30. *Age et his vocabulis deos esse facimus, quibus a nobis nominantur*] Valkerus extrudit illud *facimus:* offert e veteri codice, *faciamus;* atque ex conjectura, *faciemus*. Illum fortasse, dum emendationes venatur, fugit sententia. Velleium Cotta pergit refellere, argumentando a consequentibus absurdis, quæ ratio fuit Academicorum maxime propria. *Si*, inquit, *ab animis consuetudine imbutis testimonium veritatis* petimus, quod tu facis: *dicere licebit Jovem semper barbatum....* in Vulcano *claudum habebimus deum....* insuper negare non possumus, vocabula, quibus deos no-

minamus, propria illorum esse nomina. ANONYMUS.

Atque ipsum sibi displicere] Observa formas diversas, *confiteri nescire quod nescires*, et *ipsum sibi displicere:* quæ permutatio personæ secundæ ac tertiæ offendiculo doctissimis fuit commentatoribus, ut, renitentibus libris omnibus scriptis ac editis, *ipsum tibi displicere* legendum esse conjicerent. Ego vero et quæ in secunda, et quæ in tertia persona efferuntur, impersonaliter credo intelligenda, ut si dixisset Tullius: *quam bellum erat confiteri potius quemquam ignorantiam suam, quam ista, &c.* Quem tam secundæ, quam tertiæ personæ usum satis esse vulgarem, probare non opus est, sufficit monere. WOPKENS.

Omnia sigilla numerantes] Ne cui scilicet suus ab ipsis deesset honos debitus, ut cuilibet proprium honorem impenderent. ANONYMUS.

Cap. 32. *Sumpsisses*] Vulgati omnes: *quid opus erat te gradatim istuc pervenire? Quid autem est istuc gradatim? Sumpsisses tuo jure.* Quæ nos eadem verba eo disposuimus ordine, quem docet Jac. Facciolatus in sua de *Sorite* Acroasi. OLIVET.

Ante igitur] Antequam essent homines, erant dii. *Ante igitur erat humana forma, quam* essent *homines: ea* nempe forma, *qua erant dii.* IDEM.

Cap. 33. *Sed tamen*] Video levi mutatione hunc locum esse sanabilem; si legas: *Scito illa quidem sermone, et Attico; sed tamen, (tantum Epicuri hortus habuit licentiæ) ut soletis fere. Zeno quidem*, &c. Illud *fere* idem significat ac *semper fere;* ut, de Invent. I. 29. *Probabile est id, quod fere fieri solet.* Indignatur Cotta, quod mulier, et meretricula contra virum philosophum, contra Theophrastum scribere ausa sit; atque ita scribere, ut nullis abstinuerit probris verborum atque contumeliis, quibus summos homines onerare Epicurus, atque ejus gregales solebant. Jam vero quam atrociter debacchata sit in Theophrastum mulierculæ impudentia, æstimari inde potest, quod origo illa proverbii fuerit; *suspendio arborem eligendi:* suspendio jam quærere mortem oportere homines, vitæque renuntiare, cum tantum licentiæ sumant mulierculæ, ut in doctissimos impune scribant. BUHERIUS. Nihil muto in verbis, et rem intelligere videor. Modus est loquendi, quales adhiberi solent in sermone familiari; velut cum objurgando dicimus: *sed tamen hæc tu commisisti, et quereris.* Illud autem, *soletis queri*, omnino cum Epicureorum indole convenit, quales hic describuntur. Nam quo quisque est ad faciendam injuriam fortior, eo plerumque mollior ad ferendam. Quid mirum, si queritari solebant Epicurei? Jam in hoc Ciceronis loco duo quædam video, quæ fraudi fuerint hominibus ingeniosis. Ac primo quidem opinati sunt, particulas *quidem* et *sed* sic esse positas, ut altera concedat, altera inferat aliquid oppositum concesso. Quemadmodum in hac phrasi: *rumores satis quidem constantes, sed adhuc sine auctore.* Deinde, existimarunt in unum conjici Velleium, quæ de universo Epicuri grege dicuntur. De posteriore hac parte nihil est quod dicam; nam vident omnes: de illa priore, hæc animadverto. *Quidem*, ut multis aliis locis, ita in isto perinde valet ac *omnino. Sed* non semper oppositionem significat cum proximiore sententia; et est aliquando, ut monuit Obertus Gifanius, mere inceptivum, habetque usum inchoandæ sententiæ. Paulus Manutius corrigebat: *sed cum tantum Epicuri hortus habuerit licentiæ, etiam soletis queri.* Hæc quidem paraphrasis est verborum Ciceronis, quæ, si intelligas uti explico, eumdem prorsus sensum reddunt. Dicam enim: cum tibi tantum dederim, etiam quereris: vel: tibi tantum dedi, et quereris: quid ad sententiam interest? In posteriore sane phrasi plus est simplicitatis, et ejus negligentiæ, quæ familiarem sermonem non dedecorat. ANONYMUS.

A quo nihil didicerat] Epicurus,

teste Sexto Empirico advers. Math. I. 1. Nausiphanem audierat, hominem eruditum; quem tamen credi nolebat magistrum sibi, aut omnino ullum fuisse: idem a philosophis omnibus, præterquam sui gregis, traducebatur ut illiteratus, et rudis bonarum artium. Qui cogitabit hæc duo, saliva imbutus Socraticæ urbanitatis, intelliget formam, mutari hunc locum nisi in pejus non posse. Amontius. Hanc ad me transmissam animadversionem cum lectoribus eo libentius communico, quod ipsos invidia liberat dijudicandæ litis inter duos præstantes criticos: alterum reponentem non nihil; alterum, nihil non. Olivet.

Cap. 34. *Apollodorum, Syllum, &c.*] Vox ista *Syllum* est admodum suspecta Victorio, qui neminem philosophum isto nomine noverat. Jonsius Hist. Philosoph. II. cap. 15. Reines. Var. Lect. III. 2. et post eos Davisius ostenderunt, nomen istud apud Græcos ignotum non fuisse, cum reperiatur philosophus quidam Pythagoræ sectator eo nomine apud Jamblichum in Vita Pythagoræ cap. 28. Verum Syllus iste jam obierat tempore Zenonis Epicurei Ciceronis æqualis, qui initio Timæi adfirmat, Pythagoricam sectam jam desiisse a longo tempore. De illo igitur non est sermo, et isto nomine alius non reperitur. Th. Aldobrandinus existimat ideo in notis ad Diogen. Laertium VII. 39. hic agi de isto Apollodoro, qui per Diogenem ὁ Ἔφιλλος vocatur, quam vocem mutatum it in ὁ Σύλλος, ita ut apud Ciceronem, illius quidem sententia, sit legendum sine distinctione intermedia, *Apollodorum Syllum.* Verum Σύλλος, cum nomen loci non sit, atque adeo ne vox quidem Græca, non magis quam Ἔφιλλος, palam est, neutram earum vocum huic loco convenire. Forte corrigendum est ὁ Σιλλός. Hesychius Σιλλός, ἀναφάλαντος; atque ita in Cicerone quoque esset legendum *Apollodorum Sillum.* Quando vixerit certum non est, sed Stoicus erat, quantum e Diogene Laertio conjicere licet; et nota est Epicureorum vehementia contra istam sectam. Omittendum non est, Lambinum reperisse *Sylleum* in quodam Ms. unde cui videri possit legendum *Apollodorum Cittieum.* Idem error maculavit. Plin. Hist. Nat. lib. XX. cap. 4. ubi Apollodorus iste in omnibus Mss. et vetustis editionibus per errorem dictus erat *Scilleus*, pro *Cittieus.* Erat medicus celeberrimus, qui forsan acriter contra Zenonem disputavit. Bouherius.

Chesippum vocabat] A verbo χέζειν; quod est, sit honos auribus, cacare. Lambinus.

Quæ sola divina natura sunt] Habemus supra cap. 24. *Ubi igitur illud vestrum beatum et æternum, quibus duobus verbis significatis deum?* Itaque Epicureorum judicio, hæc duo, beatum esse, esse æternum, constituunt naturam atque *essentiam* divinam, *divina natura sunt.* Davisio dura videbatur hæc locutio, *quæ sola divina natura sunt:* et homini delicato *natura* toties repetita nauseam movebat. Legi itaque volebat *quæ sola divina sunt.* Factum male, quod non cavit diligentius Cicero, ne nostras barbarorum auriculas compositionis asperitate raderet. At enim discent a dialecticis Davisiani, quid hæ locutiones differant: *hæc divina sunt, hæc divina natura sunt.* Anon.

Cap. 35. *Nec speciem, nec usum alium quinque desiderant*] Hic manifeste Cicero tribuit quinque digitis, quod vere ac proprie dici non potest nisi de homine illis instructo. Sic non raro rebus inanimis sensum et vitam tribuit, et verba personæ convenientia traducit ad ejus qualitatem aliquam, aut actionem. Qua arte eum solutæ orationi decorem conciliat, qui in poetica maxime delectat. Si quam is color inspergit umbram stylo, ea legendi excitat diligentiam, et auget voluptatem intelligendi. Age obscuritatem depellamus. Homo quinque digitis instructus *nec aliam speciem, nec usum alium desiderat;* contentus est ea specie ac forma quam habet manus instructa quinque

digitis; contentus est usu quem præbent digiti quinque. Digitis, si quinque sunt, nihil deest neque ad speciem, neque ad usum. ANON.

Cap. 36. *Vivæ*] Xystus Betuleius, *vivi* malim, inquit, ut ad serpentes referatur. Quid ergo, mi Xyste? An non legitur de Divin. lib. II. cap. 29. *emissio fœminæ anguis?* PASSER.

Cap. 37. *Quæ deinde actio vitæ*] Ut *vitam agere* est vivere, ita *actio vitæ* est vita. IDEM.

Quæ igne nasci] Lambino placet, *ex igne*. Legendum credo, *in igne*. Vide Aristot. H. A. lib. V. cap. 19. et Plin. lib. XI. cap. 36. DAVIS.

Nec esse in ea ullam soliditatem, neque eandem ad numerum permanere, &c.] Expressa hæc sunt ex Epicuro, non facile intelligenda, nisi cum ipsins verbis conferas, quæ a Diogene Laertio descripta lib. X. cap. 139. Petrus Gassendus emendavit, atque ita reddidit, tom. IV. pag. 51. *Ait* Epicurus *deos non sensu, sed mente cerni, ipsosque non soliditate quadam consistentes, aut distinctione numerabiles, verumtamen similitudine quasi hominiformes, propter affluxum continentem imaginum ad exhibendum menti nostræ talem naturam comparatarum.* Eam doctrinam nemo, ut mihi quidem videtur, melius exposuit, quam S. Augustinus, *Epist.* 118. *num.* 27. *et seq.* BUHER.

Cap. 38. *Talem conformationem animi cæteri philosophi motum inanem vocant*] *Conformatio animi*, quam alibi vocat *informationem*, est idea. *Motus inanis animi*, nam hæc vox e proximo, ut sæpe fit, membro repetenda est, idea est futilis, cui nihil respondet in rerum natura. Dialectici chimæram vocant. ANON.

De M. Octavio deferentem sitellam] Ut ei tribunatum plebis suffragio suo populus abrogaret, quod agrariæ legi, quam tulit Gracchus, intercederet. Historiam narrant Plutarchus in Gracchis, et Appianus Bell. Civ. lib. I. De sitella vero veterum loca collegit Adr. Turnebus Advers. lib. XIII. cap. 13. DAVIS.

Cap. 39. *Sint sane: sed ea conservent, quæ sunt: deos istos esse non sensio*] Satis inculcatum fuerat, nihil agere deos, ut ne cui veniret in mentem, hic illos numerari inter conservantia. Numerarunt nihilominus eruditi aliqui. Sed Gassendus, ut locum haberet purgandi Epicurum, et impietatis crimine liberandi: Valkerus, Davisius, ut in verbis mutarent aliquid; hæc enim illis summa boni. Porro ut in hoc capite non parum est obscuritatis, totum enitar illuminare quadam paraphrasi, in quam multa includam, a S. Augustino, epist. 118. ad Dioscorum de his ipsis rebus opportune animadversa. Ejus verba discriminabit literarum diversitas. Epicurus deos esse arbitratus est *imagines, quæ de solidis corporibus fluerent, solidæque ipsæ non essent, easque labendo in animos hominum facere ut vis divina cogitetur.* Quæ imagines *quasi vaporis similitudine, continua velut emanatione ferrentur, et venirent atque intrarent in animos nostros, ut deum vel deos cogitare possemus. Cum quæritur ab* Epicureis, *quare una imago videatur corporis alicujus, a quo innumerabiliter imagines fluunt? respondent, eo ipso quo frequenter fluunt et transeunt imagines, quasi quadam earum constipatione et densitate fieri, ut ex multis una videatur.* Hæc, inquit Cotta Velleium alloquens, de imaginibus, quas vultis non modo in oculos, sed etiam in animos intrare, deque earum frequentia ac stipatione vos impune blateratis. At quam licenter, quam non pudenter abutimini concessa vobis impunitate garriendi, hominumque patientia? Etenim probandum fuerat ante omnia, perpetuo fluere ejusmodi imagines, et in omnes ferri partes sine ulla intermissione: id autem non probas. Deinde, si continenter fluunt ac feruntur, quomodo sunt æternæ? quod enim æternum est, esse debet constans ac stabile. Quis ergo *non eo ipso neget, æternum deum* vestrum *posse cogitari, quo innumerabiliter fluentibus et labentibus imaginibus*

cogitatur? Respondes, quod jam ante dixisti (c. 19.) *innumerabilitate atomorum suppeditante fieri formas deorum sempiternas; cum ita discedant quædam corpuscula de divino corpore,* aut quasi corpore, *ut alia succedant, et dissolvi illam naturam eadem successione non sinant.* Dico ego contra: si res ita habet, ut innumerabilitas atomorum, et continens frequensque transitio et affluentia ad animos, sempiternas faciant formas deorum; cur eadem ista non facient, ut sint omnia sempiterna? Nulla res interire debet, *quia nulli deest ista,* ad quam confugitis, *innumerabilitas atomorum, quæ perpetuas ruinas subinde suppleat.* Subsidio advocas æquilibritatem, sive ut appellas, æquabilem tributionem, et ais: est natura mortalis, ergo est etiam immortalis aliqua; sic enim exigit ratio æquilibritatis: si vero existit natura aliqua immortalis, existit natura divina. At vide, quo ducet iste argumentandi modus. An me feras sic ratiocinantem? Existunt homines: ergo sunt etiam homines immortales. In terra nascuntur homines; ergo homines etiam nascuntur in aqua. Si falsum est quod concludo, vitiose tu quoque colligis, et argumentationem affers non probam, neque tua æquilibritas quidquam efficit. Dicis hoc quoque: sunt interimentia, ergo necesse est ut sint conservantia: eo quod sint quæ deterant, consequens est esse etiam quæ reparent, alioqui non staret æquabilis tributio. Hæc tua oratio est; hæc responsio mea. Jam ostendi æquilibritatem istam merum esse ludibrium. Tamen esto sane innumerabilis, ut gregales tui volunt, atomorum multitudo, quæ res conservet, et ruinas perpetua successione, ac frequente affluentia sarciat: do, inquam, hoc tibi. At da vicissim mihi, et confitere, conservari non posse nisi ea quæ sunt: dii igitur vestri cum non sint, nulla eos atomorum innumerabilitas conservabit. Fac primum ut sentiam atque intelligam eos existere; tum ostendes quid eos conservet, contineatque, ne dilabantur atque intereant. Sed tamen, ut hoc quoque addam de individuis istis corpusculis atque atomis, quæ, si vobis credimus, primordia sunt rerum omnium: dictantisper et explica, quomodo ex illis oriatur omnis hæc, quam videmus, rerum universitas, ac diversitas formarum. Nam atomi, de quibus tam multa dicitis, sane nullæ sunt. Deinde si concessero illas plus esse quam nihil, *si concessero etiam concursu fortuito seipsas pellere et agitare, non et tibi fas est concedere, ut inter se atomi fortuito incurrentes, rem aliquam ita conficiant, ut eam forma modificent, figura determinent, æqualitate poliant, colore illustrent, anima vegetent.* Nihil igitur affertis, unde possit effici, deum, qualem fingitis, esse immortalem. Anonymus.

Cap. 40. *Non arbitror*] Lambinus legebat, *quos non pudeat,* et Camerarius eodem sensu, *quin pudeat.* Davisius *non* ante *arbitror* delet, et eandem particulam ponit ante *pudeat.* Ego vero minori cum mutatione legerem: *Non arbitror te, Vellei, similem esse Epicureorum* aliquorum, *quos pudeat,* &c. Buher. Quid si verba hæc, *quos pudeat,* sic accipiantur, ut significent, *quos pudere oporteat;* in quibus si esset pudor, ut esse deberet, has Epicuri voces non audirent, non paterentur. Atque ita olim accipiebam, cum hæc ipsa Gallice interpretarer. Olivet.

Cap. 43. *Tum principia mentesque quæ sunt in eodem universo*] Augustinus Epist. CXVIII. n. 28. *Democritus sentit inesse concursioni atomorum vim quandam animalem et spirabilem: qua vi eum credo et imagines ipsas divinitate præditas dicere non omnes omnium rerum, sed deorum, et* principia mentis *esse universis quibus divinitatem tribuit,* &c. Hinc patet Augustinum in suo codice reperisse, *tum* principia mentis *quæ sunt in eodem universo,* eamque lectionem merito, sicut arbitror, probat amplissimus Buherius. Ille philosophus, (Democritus) haud secus ac Epicurus, rotun-

das et minutas particulas, mentis esse principia statuebat. Vide Lucretium lib. III. 183. 243. DAVIS.

Patria Democriti, quam Democrito digniora] Democritus erat Abderites; is autem populus ob ingenii stuporem fuit insignis. Notum est illud Martialis Epigr. lib. X. 25.

Abderitanæ pectora plebis habes.

Vide Juvenalem Satyr. X. 48. ID.

Cap. 48. *Valeat*] Id est, *abeat et recedeat, quandoquidem prodesse nulli potest*, ut ait Lactantius, hunc locum laudans, *de Ira Dei* cap. 8. Agellius N. A. lib. II. cap. 29. *Valeant .... amici cum propinquis.* Terentius Andr. act. IV. sc. II. 13. *Valeant, qui inter nos dissidium volunt;* ubi *renuntiationis et imprecationis esse verbum* notat Donatus. Vide et act. V. sc. III. 18. nec non Servium ad Æn. V. 80. XI. 97. DAVIS.

DE NATURA DEORUM,

LIBER SECUNDUS.

Cap. 1. *Corona tibi et judices defuerunt*] Corona non raro consessum significat audientium; qui oratorem cingunt instar coronæ. Qua quidem in significatione a Cicerone accipitur, tum hoc, tum aliis locis: ut in Bruto, cap. 51. *In eis etiam causis in quibus omnis res nobis cum judicibus est, non cum populo, tamen si a corona relictus sim, non queam dicere.* LESCAL.

Cap. 2. *Quid est enim hoc illo evidentius*] In quo enim evidentius est solem existere, quam existere deum? Sic de Amicit. 9. *Quid enim Africanus indigens mei? Quid* valet, in quo, ad *quid*. In ejus generis phrasibus, quarum est usus valde frequens, per ellipsin supprimitur aliqua præpositio, *ad*, *per*, *propter*, *secundum*, &c. Itaque non audiendi sunt Lambinus ac Davisius, qui expulso *quid*, hic volunt *qui*. ANONYMUS.

Duo juvenes cum equis albis] Hæc nonnulli discriminant, *cum equis*, *in equis*: nimium delicati; magis certe quam Cicero, qui scribebat ad Q. Fratr. II. 13. *Vexatus Gabinius: exagitati tamen a Domitio publicani, quod eum essent cum equis prosecuti.* IDEM.

Cap. 3. *Quod si ea ficta credimus licentia fabularum, Mopsum*] Sic ratiocinatur Lucilius. Si ea esse ficta et fabulosa credimus, vixisse olim Mopsum, Tiresiam, &c. et augurandi scientia excelluisse; dubitare quidem non possumus, quin talium fabularum inventores admiserint, et pro veris habuerint *res* ipsas, *prædictiones*, *ostenta*, *præsensiones*, auguria &c. in quibus occupatos fingebant eos homines. Verumtamen si omnem abrogamus fidem his narrationibus, an idcirco deos esse non probabimus domesticis exemplis, et rebus quæ in civitate nostra evenere? ANON.

Ad investigandum suem] Davisius legit, *ad investigandam uvam;* sed potius accedo sententiæ Buherii, qui censet hæc tria verba esse eliminanda. Scilicet uterque vir doctus novit, Navium non ad suem investigandum, sed (invento sue) ad uvam, quæ maxima esset, reperiendam regiones vineæ lituo terminasse. Idem etiam judico de voce *Hostilius* in sequente sententia, quæ abesse debuit, cum *Tarquinius Priscus* is esset, non *Hostilius*, qui Navii augurio bella gesserit. Utramque mendam hinc ortam

arbitror, quod a quodam ignaro Romanæ historiæ hæc verba inter lineas cujusdam Ms. posita, annotatiunculæ loco, tandem a sequentibus exscriptoribus in textum (ut millies evenit) recepta erant. PEARC.

Nisi ejus augurio] Cujus *augurio?* an Attii Navii? Nequaquam; sed litui. Huc ipsa ducebat verborum series et sententia. An contemnendus est, inquit Lucilius, auguralis lituus, quo Attius Navius ad investigandum suem regiones vineæ designavit? Crederem contemni posse, si non alium præbuisset usum; neque enim magnæ divinitatis est investigare suem in vinea. At cum rex Hostilius litui augurio maxima bella gesserit, non eo contemnendus est quod adhibitus sit ad suem investigandum. ANONYMUS.

Nulla peremnia servantur] Auspicia peremnia, ut ex Festo intelligere licet, erant, cum magistratus in campum euntes Petroniam amnem auspicato transibant. Festus in *Peremne: Peremne dicitur auspicari, qui amnem, aut aquam, quæ ex sacro oritur, auspicato transit.* Idem in *Petronia: Petronia amnis est in Tiberim profluens, quam magistratus auspicato transeunt, cum in Campo quid agere volunt. Quod genus auspicii*, peremne *vocatur. Amnem autem antiqui fœminine enunciabant.* LAMB. *Peremnia* fuerunt, non cum solam Petroniam, prout censuit Lambinus, sed cum alios quoque fluvios auspicato transirent. Hinc ex disciplinæ veteris neglectu provenisse monet Cicero, de Div. lib. II. cap. 36. ut *amnes non transeant auspicato.* Id autem *flumen auspicatur, quod sua sponte in amnem influit,* ut loquitur Festus in *Manalis fons.* Ita certe locum restituit Jos. Scaliger, quem de variis *peremnium* generibus vide sis ad vocem *Peremne.* DAVIS.

Nulla ex acuminibus] Illorum meminit lib. II. de Divin. cap. 36. *Itaque nec omnes transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur. Nam ex acuminibus quidem, quod totum auspicium militare est,* &c. Sed cujusmodi hoc auspicium fuerit, Sigonius lib. II. *de antiquo Jure Provinciarum,* cap. 6. et Rosinus lib. I. *Antiquit. Rom.* cap. 6. adhuc incompertum sibi esse ultro fatentur. Gevartius autem, et fidenter: *Ego non dubito,* inquit, Electorum suorum libro I. cap. 2. *auspicia* ex acuminibus *ea esse dicta, quæ ex cuspidibus signorum militarium terra evulsorum capiebantur.* LESCALOP.

Nulli viri vocantur, ex quo in procinctu testamenta perierunt] Cum olim delectus habebatur, primi citari nominarique solebant, boni ominis gratia, Valerius, Salvius, Statorius, Victor, quo quidem et salutem et victoriam sibi ominabantur; quod idem, ut reor, milites in procinctu testamentum facturi imitabantur. Nam etsi, impendente maximo mortis periculo, sic testari solebant: tamen, viris bonorum nominum vocatis, sibi et salutem et victoriam auspicabantur. Sed genus illud testamenti in desuetudinem abiisse et hic dicit Cicero, et Justinianus refert. *Viros* tamen *vocari* prisco genere orationis et religionis dixit, ut e Macrobio apparet, lib. I. Saturn. cap. 16. sic scribente: *Viros vocare feriis non oportet: si vocaverit, periculum est.* Iterum: *Vitabant veteres ad viros vocandos etiam dies, qui essent notati rebus adversis.* TURNEB. Advers. XXIII. 12.

Verbis certis] *Certa verba* sunt legitima et solemnia, quod ex Cicerone, Varrone et Festo docuit Barn. Brissonius Form. lib I. Vide et Augustin. C. D. lib. V. cap. 18. Ipsam formulam suppeditabit Livius, lib. VIII. cap. 9. DAVIS.

Cap. 4. *Etruscorum, et haruspicum*] Hæc quidem lectio, quamvis eam Mss. retineant, absurda prorsus est et inficeta. Recte igitur fecit Aldus Nepos, qui vocem penultimam delendam pronuntiavit; non enim *Etruscum* ab *haruspice* diversum voluit Cicero, sed Etruscus nationem, haruspex scientiam denotat; quam Noster *Tuscam disciplinam* vocat lib. VI. Fam. Ep. 6. DAVIS. Vide lib. II.

de Legibus, cap. 9. et quæ ibi Muretus.

P. Scipione, C. Figulo consulibus] Ita Cicero fuisset locutus, si dicere voluerat, id accidisse in consulatu Scipionis et Figuli: verum loquitur de comitiis consularibus in consulatu Gracchi secundo, ubi illi designati fuerunt. Miror neminem vidisse legendum: In *P. Scipione et C. Figulo consulibus res ipsa probavit.* Significat enim, eventum in Scipione et Figulo confirmavisse id, quod augures et haruspices fore prædixerant, cum ii designabantur. *In* absorpsit littera ultima vocis præcedentis, ut sexcentis locis factum est. Buher.

Cum legeret libros] Ita Romani ob reverentiam vocabant libros sacros et Pontificios. Ad Attic. IX. Ep. 11. *Nos autem in libris habemus, non modo consules a prætoribus, sed ne prætores quidem creari jus esse.* Valerius Maximus lib. I. 1. 3. de eadem Gracchi actione loquens eos libros appellat, *libros ad sacra populi pertinentes.* Sed mirum est, Plutarchum in *Marcello* libros istos militares vocare, nisi ibi pro στρατευματικοῖς ὑπομνήμασι legendum sit Γράκχος μαντικοῖς ὑπομνήμασί, quo modo libri augurales a Græcis vocantur. Idem.

Tabernaculum captum fuisse hortos Scipionis] Gellius lib. XIII. cap. 14. *Pomœrium,* inquit, *est locus intra agrum effatum, pone muros, regionibus certis determinatus, qui facit finem urbani auspicii.* Et Servius ad Æneid. VI. vers. 197. dicit etiam, *ager post mœnia* (ita legendum est pro *post pomœria*) *ubi captabuntur auguria, dicebatur effatus.* Eo loco, ut patet e dictis et e Varrone lib. IV. L. L. consul debebat capere auspicia, nec licebat illi ulterius progredi. Inde patet, id non potuisse fieri in hortis Scipionis, qui certe ibi non erant, cum locus iste relinqueretur semper incultus. Inde palam est, voces istas, *hortos Scipionis,* Ciceronis non esse. Manutius pro istis in Mss. reperit *haruspectionis,* quod non de nihilo est, licet hic non conveniat. Qui si inde formaretur *avispectionis,* aut *avispicionis?* Egregie certe ista vox huc veniret. Non nego vocem istam alibi non reperiri; verum quot voces reperiuntur apud Varronem et alios grammaticos, quas frustra apud alios quæres? Quis, absque illis si esset, novisset locutiones augurales, *avem specere, spectionem habere, templum facere conspicione, et* sexcentas alias? Satis est, vocem istiusmodi esse analogice formatam. *Avispectio* aut *avispicio* sunt æque analogice formatæ ac *spectio* et *conspicio.* Ita *tabernaculum capere avispectionis* est, *sedere in templo auspicii,* in loco Varronis allato, et καθέζεσθαι ἐπ' ὄρνισι apud Plutarchum, ubi tamen, ut hoc in transitu moneam, legendum est: καθιζόμενος ἔξω πόλεως εἰς οἶκον, &c. aut ἔχειν οἶκον, ut Mss. habent, et H. Stephanus conjicit. Idem.

Cap. 5. *Tum lapidibus, aut repentinis terrarum hiatibus*] Locus est vitiatus, nam *lapideorum imbrium* supra mininerat Noster. Janus Gulielmius reponendum putabat *lapsibus,* aut *labibus.* Ultima ratio mihi simul ac Jano Grutero vehementer placet. Davis.

Distinctionem, utilitatem, *pulchritudinem*] Ex iis quæ sequuntur, manifestum est, *varietatem* potius hic esse legendum, quam, ut antea, *utilitatem;* ut illa ratio omittatur, quod de *utilitate,* qua homines adducti deos agnoscunt, non in quarta causa, sed in secunda mentionem facit. Quam lectionem, ut meliorem, in nostris libris secutus sum. P. Man.

Cap. 7. *Possetne uno tempore*] *Uno tempore,* quemadmodum ad Attic. IX. 10. *unus manipularis*...Catull. *unus caprimulgus* ... Terent. *unam adolescentulam,* ubi Donatus *unam* interpretatur *quamdam.* Plaut. *unus servus* ... *unus amator,* ... *unus hospes.* Plura affert exempla Joan. Vorstius, *de Latinit. falso suspect. cap.* 4. Anon.

Solstitiis brumisque] Licet duo sint *solstitia,* æstivum unum, alterum hiemale; usu tamen recipitur, ut *solsti-*

tium, id quod θερινὸν est, denotet; *bruma* vero, χειμερινόν. Dein illud æstatem, hæc autem tempus hibernum significat. Agellius Noct. Attic. lib. III. cap. 10. *In septimo signo fit* solstitium a bruma; *in septimo* bruma a solstitio. Vide Senecam Nat. Quæst. lib. III. cap. 29. Plinium H. N. lib. II. cap. 97. et 70. Ovidium Trist. lib. V. Eleg. X. 7. ac Varronem R. R. cum alibi, tum lib. I. cap. 39. nec non lib. III. cap. 10. Davis.

Cap. 9. *Omnes igitur partes mundi tangam, quæ maximo calore fultæ sustinentur*] Veneti recte ita: *Omnes igitur partes mundi (tangam autem maximas) calore fultæ sustinentur.* Placet et quod mox non *ictu*, sed *tritu*, in illis scribitur; conflictus enim lapidum ictum significat. Itemque verum videtur quod sequitur, *primum ipse liquor aquæ declarat effusæ;* non ut nostri libri habent, *tum aquæ declarat effusio.* Quid enim ille liquor est, aut quid declarat singulare? Sed movit fortasse aliquem, ut *tum* adderet: et locum mutaret, quod *primum* poni solum non oportere crederet. Quod solere tamen, supra etiam ostendimus. Camer.

Cap. 10. *Neque nive, pruinaque concresceret*] Nix et pruina sunt aqua concreta: aqua igitur nive et pruina concrescit. Sicut aer dicitur moveri vento, cum ventus nihil sit nisi aer motus. Anon.

Tabescit calore] Evanescit, siccatur. Rarefactio, ut vocant, non omissa est, sed tantisper dilata. Vide infra: *is autem existit metu ejus caloris,* &c. Idem.

Ipse vero aer, qui natura est maxime frigidus] Hæc erat Zenonis sententia, ut testatur Diogenes Laertius in Zenone Citieo, εἶναι δὲ τὸ μὲν πῦρ, τὸ θερμὸν, τὸ δὲ ὕδωρ, τὸ ὑγρὸν, τὸν δὲ ἀέρα, τὸ ψυχρὸν, τὴν δὲ γῆν, τὸ ξηρόν. Id est; *esse autem ignem quidem, calorem; aquam vero, humorem; aera vero, frigus; terram autem siccitatem.* Lamb.

Cap. 12. *Quæ non sit minor*] *Minoris* vetus liber, quod placet. Sequitur enim; *sic mundum universum* pluris *esse necesse est.* Ursin.

Qui tum remitterentur, tum continerentur] Interpretes videntur hic animi causa de via aberravisse. Manutius credidit, *contineri* significare crescere, quod mirum est potuisse scribi ab homine ita docto. Lambinus *remittere* accipit pro indulgere cupiditatibus suis, et eum Lescaloperius et Davisius secuti sunt: verum an cogitandum est, illum esse effectum rationis nostræ? et si ponamus, discipulum aliquem Epicuri ita potuisse loqui, an ita Stoicus tam severus, quam erat Balbus, posset loqui? Præterea Lambinus et Davisius mutant *continerentur* in *contenderentur*, aut in *intenderentur*, quasi vox, quam volunt loco movere, hic non conveniret. Interim Cicero Tusc. Quæst. IV. 9. fere eodem modo dixit: *Sic aversa a præscriptione rationis, ut nullo modo appetitiones animi nec regi, nec contineri queant. Quemadmodum igitur temperantia sedat appetitiones, &c.* Locus iste magnam lucem affert huic nostro loco. Ratio secundum Stoicos erat data homini ad domandum ejus affectus, si erant mali, et ad moderandum eos, qui videbantur boni. Posterius id intelligit Balbus per *remitterentur*, et vox ista est ibi maxime propria, quod multis exemplis potest demonstrari. Buher.

Cap. 16. *Quin etiam cibo, quo utare, interesse*] Rectius interpungas sententiam, *quin etiam, cibo quo utare,* id est, quo cibo utare. Pearc.

Est enim plena rationis] Lambinus vult scribi: *est enim expers rationis.* At verba illa, *est enim plena rationis,* non ad naturam, sed ad *constantiam,* fuerunt referenda. Habet enim et natura constantiam. Unde in Topicis: *In natura et arte constantia est, in cæteris nulla.* Sed constantia siderum non est naturæ: quia plena rationis est. At naturam censuerunt esse vim quandam sine ratione cientem motus in corporibus necessarios, uti affirmat auctor in hoc libro, cap. 32. Joan. Fr. Gronovius, *Observ.*

lib. II. *cap.* 2. Qui occasiones quærunt delendi et rescribendi, opponunt hæc e capit. 45. hujus libri: *Quod facit ea natura, quæ per omnem mundum omnia mente et ratione conficiens funditur*, &c. Si enim natura est quæ mente et ratione omnia conficit; cur motus constantiam, *quia plena sit rationis*, Cicero naturæ abjudicat? Cogitationem referant, qui sic aiunt, ad hæc cap. 32. *Alii naturam censent esse vim quandam sine ratione, cientem motus in corporibus necessarios: alii autem vim participem rationis atque ordinis.* En rationis expertem *naturam*. ANON.

Cap. 17. *Minimeque* resipiens *patriam*] Ita legitur in Ms. pro *respiciens;* et ita omnino legendum: est enim *resipere*, redolere et præ se ferre. URSINUS. Hunc locum non aliter olim emendavit Is. Casaubonus ad Theophrasti Char. I. et sane cunctorum sermonibus jactati sunt Attici sales. Sic etiam reponendum statuit Janus Gulielmius; at male contendit Ciceronem ad mel Gargetticum allusisse; non enim de dictionis suavitate, sed de jocis et leporibus agitur. DAVIS. Etsi recta nobis videatur codicis Ursiniani lectio, tamen, cum e principibus nostris editoribus nemo eam receperit, nos in contextum introducere non ausi sumus. OLIVET.

Cap. 18. *Cumque duæ formæ præstantes sint, ex solidis globus ... ex planis autem circulus aut orbis*] Sic olim statuit Pythagoras τῶν σχημάτων τὸ κάλλιστον σφαῖραν εἶναι τῶν στερεῶν, τῶν δὲ ἐπιπέδων κύκλον, ut testatur Diogenes Laertius lib. VIII. § 35. nec aliter uno ore mathematici. Vide sis Cleomedem Κυκλ. Θεωρ. lib. I, Quinctilianum Inst. Orator. I. 10. et Zachariam Scholasticum de Opif. Mundi. Hunc autem locum citat Nonius cap. 5. § 38. et licet plerumque verba veterum corrupta proferat; hic tamen ejus codex nostris videtur præstitisse; legit enim; *cum duæ formæ præstantissimæ sint, ex solidis globus ... ex planis autem* circus *aut orbis*. Supra cap. 16. *In orbem* circumque *ferretur*. Rursus in Somn. Scip. apud Macrobium lib. I. cap. 15. *Erat autem is splendissimo candore inter flammas* circus *elucens; quem vos, ut a Græcis accepistis, orbem lacteum nuncupatis.* DAVIS.

Quia nunquam eruditum illum pulverem attigistis] Mathematicis disciplinis operam non dedistis. Noster de Archimede Tusc. lib. V. cap. 23. *Humilem homunculum a* pulvere *et radio excitabo.* Ibi nos plura. Locutionis ratio est, quia geometræ veteres in mensa pulvere conspersa figuras suas seu σχήματα describebant. Vide Aristophanem Nub. vers. 177. DAVIS.

Cæli palatum] Huic loco illustrando pauca quædam monuit Hier. Columna ad Ennii Fragm. Sed rem plane conficiunt ab eo prætermissa verba Varronis apud Augustinum, de Civ. Dei, lib. VII. cap. 8. *Palatum*, inquit, *Græce* οὐρανὸν *appellant: et nonnulli poetæ Latini* cælum *vocaverunt* palatum. Isidorus etiam Orig. lib. XI. cap. 1. *Palatum nostrum, sicut cælum, sursum est positum... sed Græci similiter* palatum οὐρανὸν *appellant.* Hac de re fertur elegans Theocriti Chii facetia, apud Athenæum lib. VIII. cap. 344. Hinc abunde liquet, unde Tullius ansam arripuerit jocandi; simulque constat, eos codices inscientia librariorum temeratos esse, qui *cæli palatium* nobis exhibent. IDEM.

Cap. 19. *Quarta fere diei parte addita*] Ex illa parte, quæ ad trecentos sexaginta quinque dies singulis annis additur, quinto quoque anno exoritur dies illa, quam vocant, *intercalaris*, quæ sexta est ante Kalendas Martias. Is autem annus, in quem *intercalaris* dies incidit, eam ob rem dicitur *bissextilis*, quia bis repetitur VI. Kalendas. LESCALOP.

Quæ tum est aquilonalis, tum australis] Inveni in cunctis Mss. libris, quorum duo erant antiquissimi, et mihi valde probati, *aquilenta* pro *aquilonalis*. Animadverti etiam Germanos, quod sic fortasse et ipsi in ali-

quo exemplari legissent, eandem vocem in margine sui codicis adnotasse: nec tamen recepi: non enim alibi apud hunc auctorem reperi. Scio recentiorum plerosque eam usurpasse eruditos viros: ut non temere eos id fecisse existimandum sit. Cicero *aquilonius* alibi dixit. Quid de hoc loco constituendum sit, nondum plane perspexi. Vix puto posse omnes codices antiquos in eodem errore versari. VICTOR. At Manutio, Lambinoque placuit, *aquilonaris*. DAVIS.

Cap. 20. *Tum abeunt, tum recedunt*] Emendandum ex antiquo libro, *tum adeunt, tum recedunt*. URSIN. Hanc lectionem recepi, quam res ipsa, locique sensus postulant. DAVISIUS. Et nos quoque recepissemus, nisi scrupulum injecisset primariarum quatuor editionum consensus. OLIVET.

Ad eandem inter se comparationem] Eliens. unus habet *compositionem*, quæ quidem lectio videtur amplectenda. Græce dixeris εἰς τὸν αὐτὸν συσχηματισμόν. DAVIS.

Cap. 21. *Nec habent æthereos cursus, neque cælo cohærentes*] Quoniam infra cap. 46. scriptum videmus, *in æthere autem astra volvuntur*, inconstantiæ ab aliquibus arguitur. Inique. Aliud est enim astra volvi *in æthere:* aliud volvi æthereo vel ipso ætheris cursu, quasi æther astra contineat, et vi sua complexus rapiat. Moveor equidem in aere; sed motus tamen non habeo aereos. ANON.

Nec erratio, nec varietas *inest*] Vulgo *vanitas;* sed nos egregiam viri præstantissimi Joan. Clerici conjecturam recepimus, quam diserte firmat Ms. Eliensis. Ratio est, quod *constantiæ* non *vanitas*, at *varietas* opponatur. Supra cap. 16. *Fortuna, amica* varietati, constantiam *respuit.* Item de Divin. lib. II. cap. 53. *Ipsa* varietas, *quæ est propria* fortunæ, *fortunam esse causam, non naturam esse docet*. DAVIS.

In terrisque versantur] Vulgo *versatur;* sed bardus est, qui dixerit *lunam in terris versari*. Ea de caussa nos scripturam codicis Eliens. et Bon. 1494. repræsentavimus; adeo ut postrema vox de iis sit intelligenda, quæ multo infra lunam, non procul terræ superficie, semet ostendunt. Hoc etiam absque Mss. ope sagaciter odoratus est vir eximius Joan. Clericus. Hujusmodi sunt *faces, trabes*, aliique ignes aerii, de quibus adi sis Plinium H. N. lib. II. 26. seqq. Græcis proprie μετάρσια dicuntur; ut observavit Achilles Tatius Isag. ad Phænom. cap. 32. IDEM.

Cap. 22. *Ignem esse artificiosum*] Græce, Πῦρ τεχνικὸν ὁδῷ βαδίζον εἰς γένεσιν. Vide Laertium VII. 156. IDEM.

Cap. 23. *Monogrammos deos*] Sic eos describit Lucretius lib. V.

Tenuis enim natura deum, longeque remota
Sensibus ab nostris, animi vix mente videtur.

Eadem ratione λόγῳ θεωρητούς appellabat, id est, qui ratione tantum cernuntur. *Monogrammum* autem appellant pictores id, quod solis lineis informatum ac descriptum est, nullis dum coloribus adhibitis. Hinc *homines monogrammi* per translationem, ut docet Nonius, homines macie prætenues, et quasi decolores. LAMB.

Tum autem res ipsa, &c.] Malebat Valkerus legi: *tum etiam.* Videbat sensum; at non meminerat, in particula *autem*, quando continuat orationem, eandem esse vim et significationem, ac in particula *etiam*. Quod ab iis animadversum est, qui has excusserunt minutas partes Latinitatis. ANONYMUS.

Cap. 24. *Quod in Libera servant, in Libero non*] Man. Lamb. *quod in Libero servant, in Libera non.*

Quod in Libero *servant, in* Libera *non item*] Ita edidere Manutii, commode ad intelligentiam. Dixerat Cicero, natos Cerere, nominatos esse *Liberum*, et *Liberam*, *quod ex nobis natos, liberos appellamus*. Eo significaverat, ut mares, *liberos*, ita feminas olim appellatas fuisse *liberas*. Idcirco addit non sine causa, in usu communi esse adhuc, ut mares appellentur *liberi;* non autem ut feminæ nominentur *liberæ*. BUHER.

Quidam] Grut. *quidem*.

Quem quidam eundem esse Quirinum putant] Erat quidem Romanis in usu, ut Romulus appellaretur *Quirinus*, quoniam, ut memorat Cicero, de Legib. I. 1. *Romulus, post excessum suum, dixit Proculo Julio, se deum esse, et Quirinum vocari.* Hæc tamen fabula, erat multis fabula. Aliis opinantibus *Quirinum* esse Martem: Servius *in Æn. I.* 296. Aliis Janum, qui sane Romæ dicebatur *Janus Quirinus:* Macrob. *Saturn. I.* 9. Ut ut hæc sunt, de Quirino Romulo quæ esset opinio Ciceronis, hæc declarant, ab ipso scripta, *Offic. III.* 10. ubi de cæde Remi: *Peccavit igitur, pace vel Quirini, vel Romuli dixerim,* Buher. Vide quid e Turnebo annotatum sit in lib. I. de Leg. cap. 1.

Cap. 25. *Qui est idem χρόνος*] Melius legebat Lactantius, Instit. I. 12. *quod est idem, quod χρόνος.* Hic enim probat, quod proxime dixit, ipso nomine quo Saturnum Græci appellarunt, significari, *eum esse, qui cursum, et conversionem temporum* contineret. Probat vero explicatione nominis: qui enim Latinis Saturnus, Græcis dicitur Κρόνος, *quod est idem, quod χρόνος. Quod* vocabulum vi ac significatione *est idem,* ac χρόνος. Anon.

Planiusque alio loco] Si est nobis ad intelligendum difficilis hic versus, quem ex Ennio describit Cicero; propterea quod solitarium habemus eum, ab antecedentibus, consequentibusque avulsum; quis ausit affirmare, planum non fuisse et apertum iis, qui librum Ennii integrum legebant? Deinde etiam in verbo *lucet* est aliquid planius, quam in voce *candens* superioris versus. Idem.

Dicunt enim, cælo fulgente, tonante] Non est hæc altera formula; sed explicatio illius: *Jove fulgente, tonante.* Si quosdam habuit Gruterus codices manuscriptos, his carentes quinque vocibus, *dicunt enim, cælo fulgente, tonante:* fecit prudenter, quod eos omisit, tamquam mendosos. His certe vocibus sublatis, non staret sententia, quæ est hujusmodi: *Hunc* Jovem, cælum *etiam augures nostri* nuncupant; *cum dicunt,* Jove fulgente, tonante; *dicunt enim* cælo, *cum dicunt* Jove. Idem.

Euripides autem, ut multa præclare, sic hoc breviter] Non dicit Cicero: brevius, quam Ennius; sed *breviter.* Poterat sane hoc dici fusius, quam dixit Euripides. Idem.

Cap. 26. *Neptuno, altero Jovis*] Vict. Man. Lamb. *Neptuno alterum, Jovis.*

Altero...fratri] De ea dativi forma vide G. J. Vossium Anal. lib. IV. cap. 6. Davis.

Cap. 28. *Poterunt intelligi, qui qualesque sint..quos deos et venerari,* &c.] Sententia est, poterimus intelligere, *qui, qualesque sint dii, quos deos et venerari, et colere debemus, et quæ* illis imposita sint nomina. Anon.

Cap. 29. *Hesterno die*] Vel Ciceronis μνημονικὸν ἁμάρτημα, vel librarii lapsum esse credendum est: non enim *hesterno die* Velleii disputatio cum Cotta instituta fingitur, sed eodem; atque in ipso secundi libri initio ita contexitur dialogus, ut nullus dies intercesserit inter Epicureorum et Stoicorum confutationem. Idem error est in illis lib. III. *quæ a te nudius tertius dicta sunt; cum docere velles deos esse.* Sunt autem verba Cottæ ad Balbum, quæ non *nudius tertius,* sed eodem die finguntur esse dicta. Credi potest, Ciceronem in animo habuisse tribus libris trium dierum disputationem referre, et voluisse: mox id mutasse, relictis prioris cogitationis vestigiis. Ursin. Vide lib. III. cap. 7.

In te uno] Vocem hanc *uno* alii delent: alii reponendum existimant, *viro:* alii, *omnino:* alii denique *una.* Vulgatæ lectioni favet Wopkensius.

Cap. 30. *Ab eaque omnia pulcherrime geri*] Cum præcesserit vox *omnes,* puto vocem *omnia* hic delendam esse. Nam in initio cap. 32. Cicero dixerat, *sequitur, ut doceam omnia subjecta esse naturæ, eaque ab ea pulcherrime geri:* ubi vox *ea* in posteriore parte sententiæ respicit ad vocem

omnia in priore: eo modo, quo censeo vocem *res*, quæ præcesserat, hic subintelligendam esse. Hanc vero conjecturam si quis amplectatur, necesse est ut legat in fine hujus sententiæ *eas esse generatas*, scilicet, eas res. Vulgo legunt *eam esse generatam;* sed nullo sensu, si hæ voces ad *naturam sentientem* referantur. PEARC. Ego, hæc olim Gallice interpretatus, sic intellexi, ut doctissimus Pearcius. Neque enim videbatur Stoicus, cui natura æterna est, potuisse dicere, hanc esse *generatam*. Hodie tamen eadem non est mihi sententia: et cum Stoicus dicit *ab animantibus principiis naturam esse generatam*, id opinor sibi velle, naturam e *principiis animantibus* constare, hoc est, non esse *vim quandam sine ratione*, sed esse *rationis participem*. Quæ obscura, fateor, hic sunt ex brevitate dicendi: sed mox cap. 32. explicata dilucescent. OLIV.

Cap. 31. *Eadem veritas*] Id est, eadem cognitio veritatis. Cum sit tam varia bonis scriptoribus acceptio *veritatis*, non video quo alio sensu dici commode possit, *eandem esse veritatem in diis, quæ est in hominibus*. Hæc autem vocis potestas, tametsi non est primaria, non est tamen in probatis auctoribus, inque communi sermone infrequens. Tullius, *Acad.* II. *cap.* 7. ubi Lucullus adversus novam Academiam disputat, non aliter nomen *veritatis* accipere potuit in his Luculli verbis: *Ita est maxima in sensibus* veritas, *si et sani sunt*, &c. Non aliter Fabius, cum ex quorumdam sententia, quam non penitus improbat, docet lib. XII. cap. 1. posse virum bonum aliquando, *veritatem auferre judici*. Non aliter, quæ vulgo jactatur parœmia; *Veritas est filia temporis*. Tempus enim quotidie veritatis, quæ initio latebat, cognitionem parit. LESCAL.

Cap. 32. *Nulla cohærendi natura*] Natura cohærendi, est vis conjungens partes via et ordine dispositas, ut in arbore, ut in corpore animalis, *in quibus nulla temeritas, sed artis quædam similitudo apparet*. In gleba, in fragmento lapidis, et aliis ejusmodi, nulla talis apparet similitudo artis: idcirco dicuntur nullam habere cohærendi naturam. ANON.

Cap. 36. *Hac animabili, spirabilique natura, cui nomen est aer*] Bene *animabili*, nam adjectiva nomina sic finita, active quoque significant, ut multis exemplis probat Jac. Perizonius, *in Sanct. Minerv. I.* 15. Et confirmat auctoritas Virgilii, Georg. I. 93. *penetrabile frigus*. Eodem sensu *aer* dicitur *animabilis natura*, hoc est, apta animare. ANON.

Si quidem nos non quasi *Græce loquentem audiamus. Docet idem alio loco*] Ut sensus loci planius appareat, censeo sic legendam, et punctis distinguendam esse sententiam, *si quidem nos non Græce loquentem audiamus, docet idem alio loco*, &c. Hoc est: idem Pacuvius docet alio loco illum fuisse Graium, qui hoc dixerit. Deleo istud *quasi* ante *Græce*, quæ vox nihil hic ponderis habet, et ex præcedentibus huc videtur temere adducta esse. PEARCIUS.

Ut si mota loco sint] Docti pro *mota* tentant *motæ*, hanc vocem ad *terras* referentes: vel *moti*, quod spectet ad *ignes*. Nihil autem vetat, quominus in voce *mota* intelligas sidera: quæ cum appellatione ista *tantorum ignium* significentur, quid mirum si illud masculinum in neutrum transierit? WOPKENS.

Cap. 39. *Litoribus alludit*] Topicorum cap. 7. omnes, præter Lambinum, editores habent, *cluderet*. Hoc vero in loco, alii aliter. Videatur Lælius Bisciola, *Tom. I. Hor. Subsec.* VII. 7.

Alludit] Vict. *cludit*. Grut. *eludit*.

Cap. 41. *Carminibus Arati*] Quæ ad illustranda Ciceronis Aratea pertinent, vide infra ad Poematum fragmenta.

Cap. 48. *E quibus pulli orti primum aluntur ab iis, ut a matribus, a quibus exclusi fotique sunt: deinde eas relinquunt, et effugiunt sequentes, cum primum*] Paulo aliter Manutius, ac Lambinus. Sic enim legunt: *ex qui-*

bus pulli orti primum aluntur ab iis, ut a matribus: deinde eas relinquunt, a quibus exclusi, fotique sunt: et effugiunt, cum primum, &c. Recte quidem, et dilucide: nec tamen erat cur vox, *sequentes*, quam habent Victorius et Gruterus, non retineretur.

Cap. 50. *Quid ea, quæ nuper,* &c.] Dixerit Balbus, maximam esse ingeneratam animantibus conservandi sui a natura custodiam: hic memorat, ostensa illis esse curandi sanandique corporis ea remedia, quæ homines vix longo post tempore invenerunt. Supplenda est phrasis vocibus aliquot, quarum absentia nullam obscuritatem affert, quoniam facile videt lector eas abesse. Quid, inquit, annon eas bestiæ jam inde a primordio norunt adhibentque rationes curandi sui, quas medicorum ingenia nuper invenere? *Nuper* dico. Etsi enim ante aliquot sæcula eas artes repererint medicorum ingenia; tamen potest dici nuper admodum repertas esse, si ratio habeatur longissimi temporis, ex quo bestiæ illas habent. Habent scilicet a natura ipsa traditas. ANON.

Vomitione canis purgare, alvos ibes Ægyptiæ curant] Hic locus depravatus mihi visus est: neque enim ullam certam structuram, aut sententiam horum verborum esse puto, et in veteribus etiam exemplaribus non parum ab hac diversam lectionem inveni; quamvis neque in illis etiam ea integra et sincera sit; talis est tamen, ut indicio esse possit in hac vitium subesse, et perversionem aliquam. Duo sunt remedia, quæ medici e belluis (ut ferunt) didicere, et utraque ad corpora purganda accommodata: unum scilicet vomitus, quod a canibus, cum eos herbula quadam perpurgari conspexissent, acceperunt: alterum, clyster, ab ibi Ægyptia, videntes eam marina aqua per inferiores partes se abluere. Exponebat igitur ea nunc Cicero: sed in hac, quam habemus, scriptura confusa sunt et perturbata omnia. Itaque rectius esse putavi hunc locum, quemadmodum in priscis libris est, describere. VICTOR. Fortasse ita corrigendum: *Vomitione canes purgantur: alvo se ibes Ægyptæ curant.* P. MAN. Sic restitui, scripturæ veteris vestigia secutus; *vomitione et dejectione purgare, ex eo quod vomitione canes, alvo se ibes,* &c. Nam vulgata lectio, *vomitione canis purgare, alvos ibes Ægyptiæ curant,* mendosa est. Sed in re perspicua quid opus est exemplis, præsertim in promptu positis? Ita, quæ desunt, supplenda sunt. Nam perspicue dicit Cicero, medicos reperisse, non vomitione canes purgare; neque alvo ibes Ægyptias se curare; (nam etiam qui non erant medici, hæc viderunt) sed rationem purgandi per vomitionem et alvi dejectionem; ex eo quod canes et ibes his duobus diversis modis se curant. LAMBINUS. Hanc lectionem repræsentant Lincoln. et Pal. pr. *vomitione canes,* purgatione *autem* alvos *ibes Ægyptiæ curant.* Quæ cum non ex omni parte sincera videatur, scribo, *vomitione canes, purgatione autem* alvi se *ibes Ægyptiæ curant.* DAVIS. Ego vero principes quatuor editores, quibus fidem obligaveram, hoc in loco deserui, et Davisianorum Mss. lectionem recepi. OLIVET.

Cap. 51. *Aut radicibus a terra, aut stirpibus continerentur*] Radix variis fibris, ac quasi ramulis per terras se diffundit: stirps radici truncum committit. G. J. VOSSIUS, *in Etymolog.*

Eoque septum fingit animal] Excussi præcipuas editiones, eratque in omnibus istæc lectio; neque abibant Mss. nostri. At non video cur non potius rescribi debeat *cœptum.* GRUT. Equidem nullus dubito, quin legendum sit *cœptum.* Hoc olim verbum Gallico verbo reddidi; nec tamen in contextum hodie introducam. Licet enim audaciori esse interpreti, quam editori. OLIVET.

Cap. 52. *Frumenti similium*] Man. Lamb. *frumenti, et similium.*

Cap. 54. *Accepta sunt: oris utraque ex parte*] Manutius et Lambinus edidere, *quæ accepta sunt* ore. Is

utraque ex parte tonsillas attingens, &c. Et ita legerim, quamvis Victoriani, Gruteriani, nostrique codices a recepta lectione non abeant. DAVIS.

Cum depulsum *et quasi detrusum cibum accepit,* depellit] Quis hæc ferat in scriptore tam culto, quam est Tullius? Merito sane Gruterus ea non sine vitio esse statuit; sed nec ille, nec ullus alius operam ei tollendo dedit, multo minus reperit medicinam. Mihi reponendum videtur: *cum depulsum et quasi detrusum cibum acceperit,* deglutit. Hoc certe verbum *gulæ* vel *œsophago* (sic enim capiendus est *stomachus*) optime convenit. DAVIS.

Quæ constant *fere e nervis*] Legendum *constat,* ut est in manuscripto, ut ad *alvum* referatur. URSIN.

Cap. 55. *Tum spiritu dilatant*] Deest *se,* quod est in antiquo; *tum se spiritu dilatant.* IDEM.

Aliæ pertinentes] Lamb. *Aliæ ad renes pertinentes.*

Coactusque] Aldus nepos edidit, *coctusque.* Ita et Davisius.

Contagione] Man. Lamb., *Coagitatione.*

Cap. 56. *A deo*] Vict. *A diis.*

Sunt enim e terra *homines non ut incolæ*] *E terra homines,* scilicet oriundi, ait Lescaloperius: at id Balbus dixerat paulo ante, cum usus esset vocibus *humo excitatos.* Interim ferri non potest, ut voces *e terra* conjungamus cum *incolæ atque habitatores*: hoc vidit Davisius, legitque *in terra,* ut sensus esset commodior. Ego aliter locum sanandum esse puto: voces *e terra* ad superiorem sententiam pertinere arbitror. Sic igitur hæc et præcedentia legenda mihi videntur; *ut deorum cognitionem,* e terra *cælum intuentes, capere possent: sunt enim homines non ut incolæ atque habitatores,* &c. PEARC.

Cap. 57. *Quibus, et apertis oculis*] Aliter interpungo: *Quibus et apertis, oculis si quid incideret, repelleretur; et somno conniventibus, cum oculis ad cernendum non egeremus utique, tanquam involuti quiescerent.* Sic arbitror esse constituendam phrasim. BUHERIUS.

Quod his naturis relatus amplificatur sonus] Quibus naturis? Hoc est, naturalibus qualitatibus; duritie scilicet, qualis est in corneolo introitu; et flexuosa obliquitate. LESCAL.

Cap. 58. *Et in vocis, et in tibiarum, nervorumque cantibus ... et vocis genera permulta*] Si quis hæc cogitet, mecum (opinor) censebit Ciceronem non bis de *voce* in eadem sententia locutum esse; statuetque priora verba *et in vocis* locum non suum occupasse. En totum locum eo modo, quo scripsisse Ciceronem credo: *Auriumque item est admirabile quoddam artificiosumque judicium; quo judicatur et in tibiarum nervorumque cantibus varietas sonorum, intervalla, distinctio; et* in *vocis* (scilicet cantibus) *genera permulta, canorum, fuscum,* &c. PEARC.

Cap. 59. *Per quam vox, principium a mente ducens, percipitur, et funditur*] Ducit vox principium a mente. Quid est enim vox humana? cogitatio, ut ita dicam, sono vestita. ANONY.

Quæ sonos vocis distinctos, et pressos efficit] *Pressos,* non vagos, ac sparsos, sed qui verba syllabis juncta componant. Potest hoc vocabulum usurpatum esse alibi fortasse alio sensu: hic tamen quam vim habeat, declarant ea quæ sequuntur: *Cum et ad dentes et ad alias partes pellit oris.* IDEM.

Nostri] Stoici.

Nares cornibus iis, &c.] Cur non dixit *nares cornuum eorum,* &c. nam debebant etiam ἀσυνδέτως deinceps consequi similes casus; *linguam plectri similem; chordarum dentes; nares cornuum eorum,* &c. Notandus igitur locus, cujus similem me apud Lucretium reperire et notare memini lib. IV. sub extr. LAMB.

Cap. 63. *Ferrea tum vero proles*] Hæc sunt ex Arato conversa.

Cap. 65. *Multæ sæpe res hominum sententia, atque utilitate partæ*] Omnium codicum, præter quam Lambiniani, lectio ita fert. Quæ quidem

emendationem videtur aliquam postulare, at non tantam, meo certe judicio, quantam affert Lambinus. Sic enim leges apud eum, imo in ipso Ciceronis contextu, quem censor ille suis castigationibus paulo confidentius implere solet. *Multæ sæpe res* ex *animi sententia*, et utilitates *partæ*. At quid necesse est tam multa immutare, cum addita præpositiuncula duntaxat una restituat huic loco sensum et nitorem? Quid opus legere *animi*, ubi *hominum* legimus? Licet enim Cicero, et alii passim Latini scriptores dixerint *ex animi sententia:* tamen sæpe quoque omiserunt illud *animi*, atque hunc in modum locuti sunt: *ex sententia rem aliquam gerere: ex sententia navigare, opsonare,* &c. Sæpe aliud adjectivum, aut substantivum adjunxerunt. Ita Cicero, Fam. II. 6. *Feliciter, et ex mea sententia remp. gessimus.* Quidni pariter hoc loco dixerit, *multæ sæpe res ex hominum sententia partæ?* Item quid est quod legat Lambinus *utilitates?* cum cæteri omnes legant *utilitate*, et eleganter omnino *multæ res ex hominum utilitate partæ* dicantur: non minus quam illud ad Attic. V. 8. *statues ex nostra dignitate*, &c. Quare ut castigatio nostra sit verecundior, nec tamen inferior sensu, et elegantia, solam præpositionem *ex* huic loco restituendo placet addere, et ita legere, *multæ sæpe res ex hominum sententia, et utilitate partæ.* Lescaloperius.

DE

NATURA DEORUM,

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Tres in partes commode tribui potest hic liber, in præfationem, disputationem, et brevem epilogum. In præfatione, Cicero transit a dissertatione Balbi ad Cottæ dissertationem. In disputatione, totam Stoicorum theologiam superiori libro copiose a Balbo expositam, Cotta confutat. In epilogo, quis fuerit disputationis exitus, aperitur. Lescaloperius.

Cap. 1. *Nescis, inquit, quanta cum expectatione, Cotta, sim te auditurus*] Donatus *in Andr.* act. 4. sc. 5. Nescis *plerumque dicimus ei, quem non redarguere volumus imperitiæ, aut ignorantiæ; sed quem facere volumus, ut velit libenter.* Passeratius, in Propert. II. 15. 12.

Si mehercule, inquit, Vellei] Aut in his verbis mendum est, aut quidpiam desideratur. Quid si ita corriges, *sane hercule, inquit, Vellei*, non erit, quo lector offendatur: subaudietur enim *paratus venio;* et optime cum sequentibus sententia conveniet. P. Manut. Restituit Lambinus, *sic mehercule:* quod puto esse intelligendum hoc sensu, ut dicat Cotta, sic esse se paratum, uti prius dixerat; non ad refellendum, sed ad requirendum quæ minus intelligebat. Nisi malis ita accipere: *sic* sane res habet uti tu ais; venio paratus; neque aliter debui, hominem nactus, qui sciat *apta inter se, et cohærentia* dicere. Anonymus. Lambino assentirer; nisi facilior se offerret emendandi ratio. Legatur: *Sim hercule.* Utinam sim pa-

ratus, ut me esse ais. Neminem esse arbitror qui non intelligat, quam hoc personæ oratoris conveniat, dissimulantis vires, et *extenuantis eas consulto.* Latinum esse, *sim*, pro *utinam sim*, non opinor negaturos esse grammaticos. Propertius, IV. *Eleg.* XI. 101. *Sim digna merendo*, &c. Tibullus, in Panegyric. vers. 4. *Tanti sim conditor acti.* Sic enim legendum. Et vers. 37. *Sim victor in illis.* Quo pacto ex *sim hercule* provenerit, *si me hercule*, quid opus est explicare? Buhær.

Cap. 2. *Orationeque ea, quæ me in perorando cohortabatur*] Lambinus reponendum putavit, *qua me in perorando cohortabaris.* At mutatione nihil est opus; cur enim oratio cohortari non dicatur, nullus video. Similiter Noster Acad. II. 33. *Quid fiet artibus? quibus? iisne, quæ ipsæ fatentur conjectura se plus uti, quam scientia? an iis, quæ tantum id quod videtur sequuntur, nec habent istam artem vestram, qua vera et falsa dijudicent.* Ubi *dijudicandi vis* artibus adscribitur; ut in loco, quem tractamus, orationi cohortatio. Davisius. Non aliter infra cap. 35. *Invita versatur oratio.* Tuscul. I. 46. *Ita tetra sunt quædam, ut ea fugiat et reformidet oratio.* Ibid. *Suis se laudibus vita occidens consolari potest.* Amat hunc dicendi ornatum Cicero, a poetis mutuatum. Anony.

In illa oratione nobili] Orationem de Collegiis intelligit, quam *aureolam* vocat infra, cap. 17. Ejus habendæ occasionem exponit lib. *de Amicit.* cap. 25. Davis.

Cap. 3. *Mihi quidem ex animo exuri non potest*] Lambino *exseri*, aliis *erui* placet, aliis *eximi*, aliis denique *exui*. Nulla vero fuit ratio, cur hæc sollicitarent viri docti: ea enim *inuri* dicuntur quæ alte sunt impressa. Vulgaris est hæc metaphora, ut exemplis non egeamus. Plura tamen, si opus est, suppeditabit J. F. Gronovius ad Livii IX. 3. Huic contrarium est *exuri.* Videatur illud Plauti Rudent. act. III. sc. IV. 62. La. *Ignem magnum hic faciam.* Da. *quin ut humanum exuras tibi.* Vult igitur Noster, opinionem de diis immortalibus, in ejus animo radices tam altas egisse, ut nullo modo, ne igne quidem ferroque, possit eximi. Davis.

Cur quod (perspicuum in istam partem) *ne egere quidem oratione dixisses, quod esset perspicuum*] Ita vulgo. Lambinus voluit, *cur quod* in ista parte *ne egere quidem*, &c. Vulgata sane lectio ferri non potest, licet defensorem nacta sit Pet. Lescaloperium. Sed similes habent labra lactucas. Ut quod res est dicam; voces illæ, uncinis cinctæ, spongiam merentur. Ipsa loquendi ratio imperitum fraterculum satis arguit. Davis. Facile doctis quibusdam viris assentior, qui illa verba *perspicuum in istam partem* ex hoc loco amovenda esse arbitrati sunt. Vox *perspicuum* (ut inter illos constat) ex sequentibus adducebatur: et mihi quidem similiter videntur voces *in istam partem* adductæ esse ex præcedentibus. Sic velim, ut legatur tota sententia: *Dic igitur, inquit, quid requiras in istam partem. Egone? primum illud, cur, quod ne egere quidem oratione dixisses, quod esset perspicuum et inter omnes constaret, de eo ipso tam multa dixeris?* Per voces *in istam partem* intellige *sur ce sujet-la*, in ista de diis immortalibus disputatione. Hujus loquendi generis exempla peti possunt ex Rob. Steph. Thesauro. Pearc.

Cap. 4. *Tantas res opinione stultorum judicari, vobis præsertim, qui illos insanos esse dicatis*] Omnes homines, præter sapientem suum, stultos esse Stoici contendebant; et eorum est paradoxum, πάντας τοὺς ἄφρονας μαίνεσθαι. De eo vide Ciceronem Parad. IV. Davis.

Cap. 5. *Homerus*] Iliad. Γ. 345.

Proverbium] Græce sic effertur: Ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ. Vide Zenobium Cent. II. 17. et Suidam. Dav.

Cap. 6. *Sequuntur, quæ futura sunt*] Ante hæc verba, textum Ciceronis esse interruptum nemo eruditus non intelligit, quamvis id quidam imperiti

librarii dissimulare voluerint. Sed nihil *admodum* in hac lacuna esse deperditum videtur. LESCALOPER. Qui Latine dicit, *nihil admodum*, perinde est ac si dicat *nihil omnino*. Ergo si nihil *omnino* deperditum est, cur lacunam agnoscit? ANONY.

Qui ista intellecta sunt a philosophis debeo discere: præsertim cum isti plurimis de rebus divini (vulgo *divinis*) *mentiantur*] Dixerat prius Cotta: *Rumoribus mecum pugnas, Balbe: ego autem a te*, quoniam philosopham uterque personam induimus, *rationes requiro... quis invenit fissum jecoris? quis cornicis cantum notavit?...* Hic eundem urget locum. Qui *ista, inquit, intellecta sint*, hoc est, quo tandem pacto intellectum sit, atque cognitum, hæc indicia esse ac significationes rerum futurarum, *a philosophis debeo discere*, quorum est opus proprium ac munus, mente præjudicatis opinionibus libera, veritatem explorare, et rerum causas, modos, rationes explicare; non ab iis, quos tu, Balbe, advocas, vel narratoribus fabularum, vel divinarum artium cultoribus: *præsertim cum isti plurimis de rebus mentiantur*. Hoc ipsum argumentum tractatur, *de Divinat*. II. 14. Si hæc apta loco est, cumque Ciceronis instituto ac verbis congruens explicatio, standum est auctoritate manuscripti codicis regii, omittentis vocem *divinis*. Ei Walkerus ultimam demit litteram, legitque *divini*. Videre debuerat, hujus nominis vim contineri in pronomine *isti*, quod evolvi sic debet: ii, quos tu laudas, quibus credis, quos mihi objicis. ANONYMUS. *Divinis*, quos habent vulgati omnes, ferri non poterat. Vocem tamen integram omittere cum non auderem, Walkeri conjecturam admisi: quæ si non prodest, non nocet. OLIVET.

Cap. 7. *Quod Chrysippum dicere aiebas*] Forte, *quæ Chrysippum dicere aiebas;* vel in antecedentibus, *eademque* illud *etiam differemus*. Harum emendationum alteram flagitat oratio. DAVIS.

Quæque in domo pulchra cum pulchritudine mundi comparabas, et *cum totius*] Delenda videtur copula, &c. WOPKENS.

Quæ a te nudiustertius dicta sunt] 'Αμάρτημα μνημονικὸν, totus enim hic dialogus uno die fingitur habitus. Vide Fulv. Ursinum ad lib. II. cap. 29. DAVIS.

Cap. 8. Quod *nihil in rerum natura*] Ita dedi, veteres libros secutus; nam vulg. *quo nihil* exhibent. DAVIS. Quod offert Davisius, equidem accipiam libens. Qui tamen sint libri quos appellat veteres, nescio. Quare duces quatuor meos deserere nolui. OLIVET.

Cap. 9. *Acuta conclusio dilatavit* Difficilis locus; et fortasse corruptus: de quo varie conjecerunt docti: alii enim legerunt *dilucidavit*, alii declaravit: alii *coarctavit:* omnes fere statuerunt vocem vulgatam *dilatavit* repudiandam esse, excepto Lescaloperio, qui eam retinuit, sensumque loci hunc voluit esse, *breve argumentum Zenonis ansam tibi dedit ad locum istum amplificandum.* Olim conjeceram legendum esse, *acuta conclusio* non *dilatavit:* ut *non dilatare locum totum* significet eum non satis illustrare, et in omnibus suis partibus explicare. Sed de hoc nihil certi habeo quod dicam. PEARC. Fortasse hoc vult Cicero: hunc locum Zeno explicavit aliquanto fusius, quam solebat. Aliter enim dilatat verbosus, aliter breviloquens. ANON. Ego illud *dilatavit* hunc in modum interpretor: sic expressit, ut dilatationis satis amplæ vicem præstiterit. Zenonis conclusio sic continebat partes omnes loci illius, de quo hic loquitur Cotta, ut totum illum locum quasi patefaceret ac panderet. WOPKENS.

Cap. 10. *Ne tertianas* quidem *febres*] Nisi placeat illa Lambini conjectura, pro qua reponit *ne tertianas* quoque *febres;* lege *ne tertianas* item *febres*, quod etiam M. A. Mureto venit in mentem. Certe flagitat loci sensus, ut vel hanc vel illam emendationem

recipiamus. DAVIS. Frustra trepidant critici, et ferrum ignemque adhibent, ubi nihil est morbidum. Quid Cotta dicit? *Si omnia quæ certis temporibus ordinem suum conservant, divina* esse *ducimus*, uti vis: *vide:* cave, *ne dicendum sit febres*, si non omnes, *tertianas quidem, et quartanas, divinas esse.* Si non omnes, tertianæ quidem, et quartanæ, certis temporibus ordidinem suum conservant: consequens est ergo, has saltem esse divinas. ANONYMUS.

Cap. 11. *Oratio de convenientia, consensuque naturæ,* quam quasi *cognatione* continuatam.] Davisius legit *cognatione continuata.* Bene; ut in sequentibus hic apparebit. Sed ne sic quidem menda omni carebit locus. Puta Ciceronem scripsisse, *Oratio de convenientia consensuque partium naturæ, quas cognatione continuata conspirare dicebas.* In vulgata lectione, si istæ voces *convenientia, consensus*, et *conspirare* de natura, re una, dici possint non ineleganter, at illa lectione recepta, ea, quæ sequuntur (ut in proxima nota probaturus sum) non satis defendi possint. Ut vero promptiores simus ad reponendam vocem *partium*, reputemus ea quæ dicta sunt in II. 7. *Hæc ita fieri, omnibus inter se concinentibus mundi partibus, profecto non possent,* &c. Et quæ Noster dicit in Academ. I. 7. *Natura cohærens et continuata cum omnibus suis partibus.* Itemque ea quæ cecinit Virgilius, Georg. II. 483. *Sin, has ne possim naturæ accedere partes, Frigidus obstiterit,* &c. Vulgatam item vocem *quasi* jure hinc exulare cognoscimus ex iis quæ Cotta, simili modo omisso *quasi*, dixerat in eodem cap. *Tanta rerum consentiens, conspirans, continuata cognatio, quem non coget,* &c. Ex quo discimus hic scribi debuisse *cognatione continuata*, et veram lectionem *quas* male in *quasi* mutatam fuisse. PEARC.

Nisi ea uno divino spiritu contineretur] Ex superiore nota discimus legendum esse, *nisi* eæ (sc. partes) uno *divino spiritu continerentur*. Illæ *vero cohærent et permanent naturæ viribus.* Si legamus cum vulgatis editionibus *ea, illa, cohæret, permanet*, tum inepte dicetur *natura cohærere et permanere cum naturæ viribus*. At si hæc omnia ad *partes* naturæ referas recte se habebit sententia, et Ciceronis calamo non erit indigna. Sic in II. 7. occurrit *nisi ea* (potius *eæ*, sc. mundi partes) *uno divino et continuato spiritu continerentur.* IDEM.

Illa vero cohæret et permanet naturæ viribus] Veniam hanc dabit mihi doctissimus atque humanissimus Pearcius, ut nihil mutem. An vero, inquies, dicit Cotta, naturam cohærere, et permanere viribus naturæ? Dicit omnino; neque aliter debuit: eam nempe sententiam defendens, quam exposuit Plinius in ipso aditu Naturalis Historiæ, II. 1. ubi de mundo dicitur: *Cuncta complexus in se; idemque rerum naturæ opus, et rerum ipsa natura.* Itaque *natura*, ut opus, *cohæret, et permanet, viribus naturæ*, ut opificis. Si hæc deliramenta percipi animo nequeunt, aut verbis explicari, id neque mirandum est, neque Christianis dolendum. OLIV.

Cap. 12. *Illa autem, quæ Carneades afferebat*] Similia leguntur apud Sextum Empiricum, *advers. Mathem.* lib. IX.

Ergo itidem si omne] Ita Vict. et Grut. Sed melius, ni fallor, Man. et Lamb. *Et, si omne*, &c. Nova enim ratiocinatio est; non superioris conclusio.

Cap. 14. *Vos autem dicitis, omnem vim esse ignem*] Respicit Cotta quæ Balbus dixerat, II. 10. *In illo calido et igneo inest procreandi vis.* Et cap. 12. *Ex mundi calore motus omnis oritur.* Zeno statuebat ignem esse *ipsam naturam, quæ quidque gigneret.* Acad. I. 11. ANON.

Quamobrem id quidem commune est de calido: veruntamen videamus exitum] Quasi dicat: quare quod ad calorem pertinet, id illi proprium non est, ut absque illo animalia vivere non possint, sed commune cum humore et spiritu, sine quibus pariter animan-

tium vita servari nequit. Lescalop. Frustra laborant nonnulli, ut voces *de calido* donent sensu non indigno Cicerone. Buherius reponendum esse censuit, *quamobrem id quidem commune eis est et calido.* Hæc conjectura sensui satisfacit: at ego suspicor voces *de calido* ex alia parte sententiæ (ut sæpius evenit) in aliam transiisse. Legendum puto, *quamobrem id quidem commune est: veruntamen de calido videamus exitum.* Sensus tum demum erit: quapropter id est commune iis, de quibus dixi, nempe *humori* et *spiritui*, ut corpora intereant, iis amissis. Deinde addit Cicero: veruntamen sequamur hoc argumentum, quo uti cœperamus, *de calido*, videamusque quomodo concludetur. Pearc.

Ita vultis, opinor, nihil esse animal extrinsecus in natura atque mundo, præter ignem. Qui magis, quam præter animam, unde animantium quoque constet animus, ex quo anima dicitur] Quanquam hic locus non est ex Heraclito petitus; totus tamen est, ut ita dicam, Heracliteus, id est, admodum obscurus. Quid enim huc pertinet in primis hoc vocabulum *extrinsecus?* Adeo non pertinet, ut Stoicorum placitis penitus adversari videatur: nec enim Stoici voluere *nihil esse animal* (vel, ut legunt nonnulli, *animale) extrinsecus*, sed *intrinsecus* potius *in natura atque mundo præter ignem*, quem scilicet rebus omnibus insitum et innatum tota Porticus defendebat, non res *extrinsecus* duntaxat allambentem. Quæ vero sequuntur, nihilo sunt expeditiora: *Qui magis, quam præter animam.* Alii enim voculam *qui* destituunt, accentu alii notant, alii pronomen, alii adverbium interrogandi faciunt. Nec minus hæreo in his verbis: *unde animantium quoque constet animus, ex quo anima dicitur.* Nam cur potius anima ex animo dicatur, quam animus ex anima? cum præsertim dixerit Cicero Tusc. I. 9. *Ipse autem animus ab anima dictus est.* Conandum nobis est solvere hos nodos, nec desperandum, Lutetiæ præsertim in tanto librorum, doctissimorumque virorum, subsidio. Sic igitur hic locus exponendus videtur.

I. *Ita vultis, opinor:* ea est sententia vestra, o Stoici, ut quidem existimo: *nihil esse animal extrinsecus in natura atque mundo, præter ignem*, id est, *ex igne, tanquam ex actu primo, omnem mundi motum proficisci*, ait Aldus Manutius: quod quidem Stoicam ad mentem vere dictum est; hunc autem ad locum, meo quidem judicio, minus commode: non enim exponit hoc *extrinsecus*, quod nobis hic præcipuum negotium facessit. Quare nihil propius fuit, quam ut oppositum adverbium *intrinsecus* substituerem, sensu quidem longissime dissitum, sed literis affine, propter eam, quam dixi, causam. At cum repugnaret omnis codex, vetus perinde ac recens, ipseque adeo ab omni novitate abhorrerem, quod omnis Tullii censor retinuerat, retinendum esse duxi, *extrinsecus*, atque hanc sententiam ita exponendam. *Nihil esse animal extrinsecus in natura atque mundo, præter ignem*, hoc est, nihil esse in omni rerum natura, et universitate, quod sit ex sese animal; etiam *extrinsecus*, hoc est, extra animantium corpora positum, *præter ignem*, qui quidem *ignis ex sese ipse animal est, nulla se alia admiscente natura*, ut paulo inferius habetur: id est, extra omnem aliam naturam, quæ se illi adjungat; uno verbo, simplex et incompositus, ut est in supera regione. Non aliter intelligi posse putavit hoc *extrinsecus*, vir scientissimus æque, et amantissimus litterarum P. Philippus Labbe, quem, pro sua humanitate, non piguit nostras identidem audire conjecturas, et nostris adesse conatibus. Verum, ut ingenue fatear, licet commodius nihil invenerim; tamen, si hoc voluit Cicero, (nondum enim mihi liquet) potuit sane verbis apertioribus mentem suam facere nobis exploratiorem. Sed in eo explanando porro pergamus.

II. *Quimagis, quam præter animam?* Quomodo, inquit, sive qua causa magis vultis nihil esse animal extrinsecus in mundo præter ignem, quam præter animam: hoc est, præter aerem, qui spiritu ducitur? Et vero ipse Virgilius *pro spiramento animam dicit*, ut auctor est Macrobius in Somn. Scip. I. 14, ubi et illud Maronis affert, *Quantum ignes, animæque valent.*

III. *Unde*, id est, qua ex anima, sive, quo ex aere *animantium quoque constet animus.* Multi enim veteres philosophi aereum esse animum censuerunt: imo *ipsum esse aera dixit Anaximenes: Hippocrates spiritum tenuem per corpus omne dispersum: Democritus spiritum insertum atomis*, &c. Macrob. in Somn. Scip. loco illo mox indicato.

IV. *Ex quo anima dicitur:* quod unum superat ex difficili loco; sed difficillime expediendum, nisi quid immutetur in hoc contextu, ob eas, quas paulo ante produxi, rationes. Quare ut ne quid inepti sit in hac sententia, neve tantus orator, tamque diligentis prudentiæ vir secum ipse rixetur, fas mihi sit unam addere litterulam, ac legere *animal* pro *anima.* Ita belle quadrant omnia, nec jam pugnæ quidquam est super, cum dicitur animus ex anima, ex animo animal suam ducere appellationem, perinde ut naturam. LESCALOP.

Cap. 16. *Ut Capram, ut* Lupam] *Nepam* pro *Lupam* habet antiquus liber, et recte: nec enim Lupæ simulacrum inter sidera relatum fuisse apud scriptores reperitur. URSINUS. Quamvis igitur *Lupam* exhibeant vulgati omnes, ab illis hic discessimus. Negabat quidem Yvo Villiomarus, hoc est, Josephus Scaliger, *Animadvers. in Rob. Titii* IX. 4, Nepam hic posse collocari, propterea quod scorpius non sit bellua. Tamen Aratus, *Phænom.* vers. 84, nepam vocat μέγα θηρίον, immanem belluam. Unde et illud Ovidii, Metam. II. 197. *Porrigit in spatium signorum membra duorum.* OLIVET.

Phrygias litteras] Quid hoc rei sit ex Plutarcho didici, *lib. de Isid. et Osir.* pag. 362. Οὐ γὰρ ἄξιον προσέχειν τοῖς φρυγίοις γράμμασι, ἐν οἷς λέγεται, &c. Unde intellexi, φρύγια γράμματα, *Phrygias litteras*, librum esse pervetustum, veteres complexum sive historias, sive fabulas. BUHER.

Quartus Jovis et Asteriæ] Alia omnia fabulosæ veteris historiæ scriptores. Apollodorum quidem, *Biblioth.* I. IV. 1. Hyginum, *Fab.* LIII. reliquos si audimus, Asteria Jovem *contempsit.* Credamus ergo, Ciceroni præsto fuisse ignotos nobis auctores, ac fortasse Pœnos. De Hercule Tyrio, Herodotus, II. 44. IDEM.

Si hi, dii non sunt, quia *nusquam coluntur, quomodo illi sunt?*] Forte *qui*, non, *quia:* si enim legamus *quia*, necesse est ut intelligamus; *quomodo illi etiam sunt dii, quia nusquam coluntur*? ut Cicero ex eo probaret, illos non esse deos, quod nullus illis cultus adhibitus fuit. At hoc videtur contra mentem Ciceronis, qui per vocem *illi* intelligit eos, quibus cultum tributum fuisse antea memorarat. PEARC.

Cap. 18. *Quæ matre Asteria est, sorore Latonæ*] Lamb. *Cujus matertera Asteria est, mater Latona?*

Cap. 22. *Ex quo Minerva Apollinem*] Ita Man. et Lamb. Victorius autem et Gruterus: *ex quo*, et *Minerva*, &c. Satius, opinor, fuerat omitti conjunctionem *et*, qua editiones aliæ sine incommodo caruerant. Nam si existimavit Davisius, qui Gruterum sequitur, mancam esse hanc phrasim, *ex quo Minerva Apollinem;* debuerat videre, e proxima revocandum esse verbum *procreavit.* OLIVET.

Cap. 23. *Quæ pinnatum Cupidinem genuisse dicitur*] Cur *pinnatum?* An ergo non pinnati Cupidines cæteri? Non est mihi dubium, scripsisse Ciceronem, *primum Cupidinem.* Dicet enim mox: *Cupido primus, Mercurio, et Diana prima natus.* Quod ut erat ad nominum vitandam confusionem necessarium, ita nunquam est a Cicerone, in hac tot nominum recensione prætermissum. BUHER.

Tertium Caprio patre] De hoc Caprio nihil est a quoquam memoriæ proditum. L. Ampelius, cum has e Cicerone fabulas describeret, videtur legisse, *Cabiro:* unde satis probabilem duxit conjecturam Jac. Gronovius, pro *Caprio* reponendum esse *Cabiro.* Futilis visa est Davisio; non mihi. Habemus enim ex Apollonii interprete, *Argonaut.* I. 917, cujus verba descripsit auctor Etymologici magni, *v.* Κάβειροι, duos duntaxat primis temporibus Cabiros fuisse, seniorem, Jovem; Bacchum, juniorem. Vix dubium esse possit, quin Cicero hic de Baccho loquatur Cabiro, et Jovis Cabiri filio. Nihil video, ut in re admodum incerta, certius. BUHERIUS.

Cap. 25. *Efficiam profecto, ut fateare. Sed*] Et pendet sententia, et lacuna ingens partem hujus libri tertiam, ac fere quartam absorbuit. Hanc veterum olim Christianorum religione factam esse labem, scio quosdam dicere: quæ dicendi causa sit, nescio. Quid enim fuit denique, cur hæc amputarent, alia relinquerent haud minus noxia, si non etiam magis? Arnobius quidem, lib. III. alios facti auctores indicat, cultores ipsos deorum. Tullium enim ait, *nullum* veritum *impietatis invidiam, ingenue, constanter et libere, quid super populari* de diis *opinatione sentiret,* sic explicasse, ut *perorata esset hæc causa, nec secundas actiones* a Christianis *postularet.* Idcirco *esse non paucos, qui aversentur et fugiant de hoc* argumento *libros ejus.* Quin etiam *alios dicere: oportere statui per senatum, aboleantur ut hæc scripta, quibus Christiana religio comprobetur, et vetustatis opprimatur auctoritas.* Quæ scripta vero, si non hæc *de Natura Deorum?* Quid enim? Romanorum deos oppugnat homo Romanus, consularis, initiatus, augur, pontifex. Si ergo *scelus is fecit, cui prodest* factum; non est difficilis conjectura, utris in partibus, Christianis an aliis, quæri hujus libri violatores oporteat. Verum hanc nobis pauperiem religio fecerit, an superstitio; ignis, an aqua; homo, an quadrupes; quid scire interest? ubi nihil solatii restat, nisi quod ille ait; ut *quod vides perisse, perditum ducas.* OLIVETUS.

Cap. 26. *Nequaquam istuc istac*] Ut ostendat disputator Academicus quod instituit, in ratione multum esse ad concinnanda scelera, e veteribus tragoediis exempla quædam producit. Hi duo versus fuisse videntur in ea oratione, quam habuit irritata Niobe, cum *venturi præscia Manto* Thebanas mulieres ad divinos honores Latonæ et *Latonigenis* deferendos esset adhortata. (*Ovid Metamorph.* VI. 157.) Nequaquam istud negotium ista via procedet, res non ita fiet uti tu suades. *Magna inest certatio.* Grave et longum certamen inter nos committemus ego et Latona, priusquam me sibi subjectam habeat. ANON.

Nam ut ego illis supplicarem] *Illis,* hoc est Latonæ, Apollini, Dianæ. *Eritne ut ego illis supplicarim?* Interrogatio cum indignatione. Atque in his duabus vocalis, *ego illis,* plus inest, quam in tricenis versibus, quos apud scriptorem Metamorphoseon eadem hæc Niobe declamitat. Legas, et conferas. IDEM.

Omnium seminator malorum] Cur hic versus esse dicitur *omnium seminator malorum?* Opinor, quia nihil est tam turpe, tam flagitiosum, quod projecta illa, et effrenata cupiditas hominis, propositum ad facinus quacunque ratione et via, per fas et nefas ruentis, intentatum relinquat. At idem versus omnium quoque bonorum seminator recte dici potest: ad quem enim apicem virtutis et gloriæ non aspirat magno animo vir, qui vult quod vult? LESCALOPER.

Ille transversa] *Ille,* pater meus Æetes: *transversa mente,* alieno abs me animo; *mihi tradidit repagula,* quibus cum utatur ad me includendam, ipsa utar ad recludendam omnem iram. *Perniciem illi dabo:* Absyrtum ejus filium interficiam; vel-

lus aureum, regni insigne, auferam, &c. Idem.

Postquam pater, &c.] Vide sis pro lege Manilia cap. 9. Sic et inter alios, Apollodorus Bibl. lib. I. cap. 9. §. 25. Sed alio prorsus modo rem narrant Apollonius Rhodius Argon. lib. IV. 466. et Hyginus Fab. XXIII. Davis.

Major mihi moles, &c.] Duos hosce versus Iambicos exhibet etiam Noster lib. III. de Orat. cap. 58. et Tusc. IV. 36. Ex Accii sunt Atreo deprompti, simul ac ii qui sequuntur, ut eruditis placet. Idem.

Cap. 27. *Addo huc, quod*] Typographi nostri, Gruterianos secuti et Davisianos, apice onerarunt istud *quod*, et sic fecerat Robertus quoque Stephanus. Adverbii tamen locum hic non occupat, si recta est, ut equidem arbitror, Lescaloperii paraphrasis. *Addo huc* (ad incestum) *Thyestem quondam ausum esse clepere* (clam surripere) *e regia* (e palatio meo) *agnum clarum coma aurea* (vellere aureo) *quod prodigium cœlestum pater misit mihi, portento* (per portentum, sive per faustum omen) *regni stabilimen mei* (ut esset ille monstrosus agnus regni mei firmamentum: erat enim in fatis, ut is regnaret, penes quem ille agnus esset) *qua in re* (quo in furto) *adjutricem conjugem cepit sibi* (Thyestes adjutus est ab Ærope uxore mea, quam scilicet ad id facinus illecebris suis et adulterio compulit.) Olivet.

Spe dubia salutis] Legi possit *spe dubia salutis*, prout amplissimus Buherius emendavit. Nostri tamen codices receptæ scripturæ pertinaciter adhærent, nec eam moveo. Davis.

Cap. 28. *Quæ est in collatione ista similitudo*] Non dubito, quin voces, *in collatione*, sint explicatio librarii, primitus ad marginem scripta, sed quæ postea textum ipsum invasit. Voluit enim fraterculus iste, Tullii mentem plenius declarare: quocirca *collationem* seu comparationem, quæ præcessit, nihil ad rem facere verbis disertis monuit. Idem.

Pheræo Jasoni] Vide Plin. VII. 51. et quæ ibi annotavit Joan. Harduinus, quem, studiorum olim meorum fautorem et adjutorem, hodie cælitem numero. Olivet.

Cap. 29. *In Eunucho*] Terentii, Act. I. Sc. I.

Phormio] In fabula Terentii, Act. II. Sc. II. 7.

Cap. 30. *Auri Tolosani*] Quod Q. Cæpio consul diripuit. Præter historicos, vide sis Gellium III. 9. Davis.

Conjurationis Jugurthinæ] De qua Sallustius.

Tubuli] De quo lib. I. cap. 23. et de Finibus, II. 16.

Posteriora, de incestu rogatione Peducea] Ad illustrandum hunc locum facit, quod narrat Asconius, in orat. pro Milon. 12. *Sext. Peduceus tribunus pleb. criminatus est L. Metellum pontificem maximum, totumque collegium pontificum male judicasse de incestu virginum Vestalium, quod unam modo Æmiliam damnaverat, absolverat autem duas, Marciam et Liciniam. Populus L. Cassium creavit, qui de eisdem virginibus quæreret: isque et utrasque eas, et præterea complures alias damnavit.* Buher.

Judicium de dolo malo] Vide lib. de Offic. III. cap. 14.

Cap. 31. *Contra deum licet disputare liberius*] Quid ita; quoniam, inquit Academicus, cum sit deus longe perfectissimus intelligendi potestate, prudentia, et reliquis virtutibus, quæ ad gubernationem spectant, si quid ab illo peccatum erit, minime omnium sit excusandus. Dei causam adversus Academicos egerunt innumerabiles theologi. Lescal.

Eam dedisses hominibus rationem] Hic *dedisses* perinde valet ac *dare debueras*. Est enim modus, quem grammatici *potentialem* vocant, et quo significari aiunt, post Priscianum lib. XVIII. non solum potestatem rei efficiendæ, sed voluntatem quoque, atque etiam debitum. Lescal.

Quanti ejus nomen putetis] Legendum videtur, *quanti ejus numen putetis*. Davis.

Cap. 32. *Nam si curent*] Non monu-

erunt interpretes, unde petitus sit hic versus. Ex Ennii Telamone, ubi duobus illis subjungitur, quos descripsit Cicero, de Divin. II. 50. BUHER.

Omnium perfidiosissimus] Omnium utique perfidiosorum perfidiosissimus. Sic enim esse resolvendas phrases illas docent grammatici. ANON.

Cap. 33. *Quam multos ante hunc in ipso Græciæ flore Pisistratus*] Athenis arcem Pisistratus et tyrannidem occupavit, anno periodi Julianæ 4153. Vita excessit, 4186. regiam potestatem obtinuit annos XVIII. non tamen continentes; sed exiliis duobus interruptos. Urbe pulsus anno 4161, locum recepit 4166, pulsus iterum 4170, rediit, 4180. Quæ sunt a me exposita olim fusius, et idoneis præsidiis firmata, in dissertatione, Trevoltiensibus, ut vocant, Commentariis inserta, *ann.* 1709. *mens. Octob.* BUHER.

Cap. 34. *Cum bene planeque percepisset*] Quemadmodum ex Academicorum præscripto, percepisse oportet atque comprehendisse, antequam assentiare. ANON.

Tyrannus Gelo] Valerius Maximus Geloni Hieronem substituit: sed falso, ut quidem apparet. Cum enim duo fuerint Hierones reges Siciliæ, vel potius tyranni; prior Gelonis frater, qui illi successit, posterior, qui multo post tempore imperitavit: neuter Carthaginienses bello vicit, sed Gelo, deletis uno prælio centum quinquaginta millibus, ut auctor est Diodorus Siculus, lib. XI. et ex illo noster Petavius *de Doctr. Temp.* lib. XIII. ad ann. Per. Jul. 4318. Unde jure colligo non alium quam Gelonem, amiculum aureum Jovi Olympio ex manubiis Carthaginiensium obtulisse. LESCAL.

Atque in eo cavillatus est] Hoc est, in eo amiculo, occasione hujus amiculi cavillatus est: in eo jocandi et cavillandi materiam invenit. ANON.

Cap. 35. *In Tympanidis rogum illatus est*] Relegenti mihi de pyra Dionysio structa quod litteris mandavit Athenæus, V. 9. in mentem venit, Tullium scripsisse forsan: *vi tympani in rogum illatus est.* Tympanum vocabant machinam attollendis ponderibus idoneam: quod certum e Vitruvii lib. X. cap. 4. Nemo nescit, exequialis pompæ partem fuisse non postremam, pyræ altitudinem, in quam non facile sustolleretur lectus gravis imposito cadavere, atque ornamentis, impedimentisque varii generis. In regii hujus funeris apparatu, qui rogum struxerat, Timæus artifex, excogitaverat, ut quidem videtur, quidpiam singularis machinamenti, quo res facilius succederet, et expeditius. Inventum celebravit fama, historiarum consignata monumentis, et dignum commemoratione duxit Tullius; si tamen ita scripsit, uti ego suspicor, vestigiis insistens veterum quorundam codicum, in quibus est: *vi timpanitis rogo*, vel, *rogum.* Quid hoc sit quod affero, judicent eruditi. Tympani formam, ex veteri reperto Capuæ monumento expressam, descriptionemque publicavit anno 1727. Alexius Symmachus Mazochius. BUHERIUS.

Sic mundi divina in homines moderatio] Cum hic occurrant tum *mundi*, tum *in homines*, aut hoc, aut illud rejiciendum videtur. Davisius omittit vocem *mundi;* ego vero voces *in homines*, quia recte dicitur *moderatio mundi*, non tamen recte (ut opinor) *moderatio in homines.* PEARCIUS.

Cap. 36. *Spei, salutis, opis, victoriæ facultas a diis expetenda est*] Hæc opponuntur *menti*, *virtuti*, *fidei*, quæ dicit Cotta *in nobis ipsis sita esse.* An non vero *spes* tam in nobis sita est, quam *fides?* Cur igitur hæc vox cum iis conjungatur, quæ non in nobis insunt, sed a diis *expetenda* sunt? Locus est (opinor) corruptus, quem sic restituo, loco vocis *spei* mutato, *Quamobrem licet menti delubra, et virtuti, et fidei*, et spei *consecremus; tamen hæc in nobis ipsis sita videmus: salutis, opis, victoriæ facultas a diis expetenda est.* Nec aliter Cotta antea locutus erat in cap. 24. *Aut enim in nobismetipsis insunt, ut mens, ut fides, ut* spes, *ut virtus, ut concordia: aut op-*

tandæ nobis sunt, ut honos, ut salus, ut victoria: ubi *spes* (ut in ea, quam præ me fero, lectione) cum *mente, fide,* et *virtute* conjungitur, non cum *salute,* &c. IDEM.

Cap. 38. *Myrtili*] Mercurii filius erat Myrtilus, quem Pelops in mare jecit. DAVIS. Evolvendis Charisii monumentis inveni, unde sint hi versus. Sunt autem ab Accio poeta sumpti, quem ille nominat Institut. Grammatic. lib. I. MAN.

Cap. 40. *Quos* (muros) *vos pontifices, sanctos esse dicitis*] Vide Plutarch. *Quæst. Rom.* 17. et Justinianum, *Instit.* lib. II. Tit. I. 10.

Ad veritatis similitudinem] Vide lib. de Divin. I. cap. 5.

DE

DIVINATIONE

LIBER PRIMUS.

Cap. 1. *Quaque proxime...mortalis*] Vict. Grut. *Quæque proxima.... mortali.*

Quaque proxime] Vide Turneb. Advers. lib. V. cap. 20.

Ut Plato] In Phædro.

Æoliam] Vict. Man. *Ætoliam.*

Æoliam] Videndus et hic Turnebus, loco proxime laudato.

Cap. 2. *Octaviano bello*] Vide *Florum,* lib. III. cap. 21. 9. seq. DAVIS.

Ex Cæciliæ Balearici filiæ somnio] Hanc historiam tangit iterum Noster hujusce libri cap. 44. sed eam fuse narrat Julius Obsequens de Prod. cap. 115. Cæcilia Metella, filia fuit Metelli, qui, devictis insulis Balearibus, Balearicus vocabatur. IDEM.

Cap. 3. *Vetere Academia, et Peripateticis consentientibus*] Sic omnes quidem nostri et aliorum Mss. Nullus tamen dubito, quin locus sit mendosus: nam *vetus Academia* nihil aliud est quam *Socratici,* quorum supra meminit Tullius. Repono, *veteri Academiæ Peripateticis consentientibus;* quæ sane minima est mutatio, sensumque dat rei congruum. IDEM.

Semina quædam] Lamb. *Semina eorum quædam.*

Sed a Stoicis, vel principibus] Non intelligo quid velit auctor. Clarius et verius Pal. sec. *vel princeps ejus disciplinæ:* ut innuat Panætium. GRUTERUS.

Cap. 6. *Ergo vero philosophiæ semper vaco*] *Philosophiæ* est dandi quidem casus, quem regat verbum *vaco,* sed isto sensu, *philosophiæ causa vacuus sum:* quem sensum verba, quæ proxime supra posita sunt, postulant: *ita tamen, si vacas animo, neque habes aliquid, quod huic sermoni prævertendum putes.* Quare errant, qui, *vaco,* interpretantur, *operam navo.* Apud Tullium nusquam *vacare doctrinæ, litteris,* pro *studere litteris, doctrinæque se dedere,* reperias. VAVASSOR. *De vi et usu, &c.*

Quæ non aut extis pecudum, aut monstra aut fulgura interpretantium] Vir Cl. Jos. Mercerus ad Nonium in *Extispices* acutissime legendum conjecit, *extispicum.* Ejus conjecturam firmare videatur Noster lib. II. cap. II. *Artificiosæ,* inquit, *divinationis illa fere genera ponebas,* extispicum, *eorumque, qui ex fulguribus ostentisque prædicerent.* Malim tamen, *quæ non aut exta pecudum, aut monstra, aut,*&c.

Similiter *exta interpretari* dixit Noster infra II. 12. Davis.

Cap. 7. *Et in significatione eventus animadversa et notata*] Legendum videtur, *exin significationes eventis animadversæ et notatæ*; quod amico partim deberi lubens equidem fateor. Idem.

Atque etiam ventos] Arati versus in linguam Latinam translati. Extant Διοσημείων V. 177. Pariter Virgilius, Georg. I. 356. et seq. Davis.

Cap. 8. *Rava*] Vict. Man. Grut. *Cana.*

Cap. 9. *Sed inest in rivis et ranunculis*] Quam hic variant editores! Alii pro *in rivis* dant *mire*, alii *in re vis*, alii *in gyrinis*. Davisius vero delere voluit verba *rivis et*. Equidem mihi satisfacio legendo, *sed inest* in ravis etiam *ranunculis*, &c. Istud *etiam* pro *et* ex Ms. Eliensi mutuor. *Ravæ* vero sunt raucæ et parum liquidas voces habentes, ideoque dicuntur ranunculæ esse *ravæ*, quia (ut paulo ante dicitur) *absurdo sono fontes cient*. Similiter hic in cap. 8. occurrit, *rava fulix*, et in Acad. IV. 33. olim legebatur (testante Nonio) *ravum mare*. Vide etiam Horat. Carm. III. 27. 3. Pearcius.

Ter fruges *fundens*] Inanis est Joan. Harduini (Emendat. ad Plin. lib. XVIII. 11. 28.) suspicio, pro qua rescribit, *ter* flores *fundens*; nam recepta lectio a cunctis Ciceronis et Plinii præstatur exemplaribus; quia et Theophrastus, Aratus, ac Geoponicorum scriptor hac in re καρπὸν et καρποὺς adhibent. Davis.

Cur arandi maturitatem ad signum floris accommodet] Ab hac lectione non abeunt aut editi codices, aut Mss. Mihi tamen, præpositione transposita, rescribendum videtur, *cur ad arandi maturitatem signum floris accommodet*; fruges enim fundens lentiscus, arandi tempus monstrare censebatur. Idem.

Cap. 10. *Quid aristolochia ad morsus serpentium possit....ex somnio, video*, &c.] Locus est difficilis, monente Davisio; qui, cum vox *posse* extet pene in omnibus Mss. ante vocem *video*, sic sententiam refingit, *qui aristolochia ad morsus serpentium possit?...*Posse *video, quod satis est*, &c. Mihi quidem olim in mentem venerat, loco quatuor verborum mutato, sic sententiam restituere, *Quid aristolochia, quæ nomen ex inventore reperit, rem ipsam inventor ex somnio, ad morsus serpentium possit, video; quod satis est*, &c. Pearcius. Vide Victorii Var. Lect. VI. 3. Turneb. Advers. V. 20. Brodæi Miscellan. II. 2.

Ex inventore reperit] Lamb. *ex invento reperit.*

Quid fissum in extis, quid fibra valeat] De fisso jecoris, fibraque, vide Barn. Brissonium Form. lib. I. Davisius.

Cum Summanus in fastigio Jovis optimi maximi] Hanc historiam nonnihil immutatam, et ad alienum tempus relatam narrat vetus Scholiastes ad Ciceronis Catil. III. cap. 8. Quis vero fuerit *Summanus*, Ovidio Fast. VI. 731. non satis constitit. Constat tantum, huic nocturna, Jovi vero diurna fulmina tribui. Vide Plinium H. N. lib. II. §. 53. et Augustinum de Civ. Dei, IV. 23. At cum aliis, tum Arnobio lib. V. et lib. VI. ac Martiano Capellæ lib. II. idem cum Plutone numen censetur. Adi Giraldum Histor. Deorum, Syntagm. VI. col. 196. Idem.

Cap. 11. *In secundo consulatu*] Puto corrigendum, *in secundo* de *consulatu*, ut subaudiatur, *libro*. P. Man. Gulielmius emendabat, *in secundo consulatus*; ut error natus fuerit e compendio scripturæ. Grut.

Petissit] Vulgo *petessit.*

Quæ *sint signorum in sede locatæ*] Puto, *qua sint signorum in sede locatæ*, hoc est, in qua Zodiaci parte. Dav.

Graves] Lamb. *gravi.*

Cum tumulos Albano in monte nivales] Cum coss. cæterique magistratus Romani ferias Latinas celebrarent, in Albano monte fiebant sacrificia. Vide Varronem lib. V. L. L. §. 3. et Dionysium Halicarnasseum lib. IV. c. 49. Idem.

Cecidere Latinæ] Vulgo *cecinere;* quæ quidem lectio, si commodus inde proveniret sensus, loco movenda mihi non videretur. Cum vero ex ea sani nihil exsculpere queam, codicis Eliensis fidem sum secutus. Sed et Aldus Nepos eodem modo jampridem edidit. Idem.

Magnum ad columen] Instar columnæ, seu ad columnæ magnitudinem, prout explicat Turnebus Adv. V. 20. Idem.

Cap. 12. *Generataque*] Lamb. *generosaque.*

Generataque Nattæ] Hunc locum quin depravaverint scribæ, dubium esse nequit. Medicinam autem illi non uno modo pararunt interpretes. Liceat etiam mihi aliquid in hanc symbolam conferre; sic enim ego, salva virorum insignium sententia, Tullium nostrum scripsisse puto:

Tum species ex ære vetus, sacrataque *Nattæ*
Concidit.... Wopkens.

Pro *generataque* Muretus legit *generosaque,* Gulielmius *venerataque,* Davisius vero *venerandaque.* Ego nihil mutandum censeo: hoc enim (ut opinor) poetice locutus voluit Cicero, *concidit Nattæ species* (sive statua) *vetus et generata ex ære;* ut esset *generata* idem quod confecta et formata. Sic de Leg. I. 9. dicitur Deus *hominem generasse,* impropric, pro creasse vel formasse: sic e contrario vox *satus,* quæ proprie de arboribus dicitur, ad hominum pecudumque originem transiit in I. 42. de Divin. *quædam etiam ex hominum pecudumve conceptu et satu.* Pearcius.

Martia] Lupa, quæ Romulum Remumque nutriisse fertur. Hinc *Martius Lupus,* apud Livium, X. 27. Ratio nominis est, quod ea fera sit Marti sacra. Videndus auctor de Orig. gentis Romanæ, quem Aurelium Victorem vocant, cap. 20. Idem tradunt Plutarchus in Romulo, et Servius ad Æn. II. 355. IX. 556. Davis.

Civili et generosa] Vict. Man. Grut. *civili generosam.*

Cap. 13. *Præcipue coluere vigenti numine*] Man. Lamb. *Præcipue ingenti coluerunt numine.*

Venereum efficiunt] De jactu Venereo vide Joan. Meursium de ludis Græc. aut Dan. Souterii Palameden lib. I. cap. 26, 27. Davis.

Aquilæ admonitus volatu] Hoc memorat *Valerius Maximus* lib. I. cap. 4. 2. extern. et Noster infra lib. II. cap. 8. Davis.

Tetrarchiæ regno] Rescribendum videtur, *tetrarchia et regno;* Deiotarus enim Trocmanorum tetrarchiam, Armeniæ vero minoris amisit regnum. Idem.

Hinc tripudium fieri] Vulgo *aut tripudium,* unde Turnebus Advers. lib. V. cap. 20. et Lambinus rescribendum putarunt *avi tripudium.* At nos auctoritati Mss. Paris. Reg. et Cantab. paruimus, cum voculam sensui convenientem suppeditarint. Id.

In solidum ceciderit] Vide Barn. Brisson. lib. I. de Formulis.

Cap. 16. *Nuptiarum auspices*] Hunc locum in animo habuit Valerius Maximus lib. II. cap. 1. *Apud antiquos,* inquit, *non solum publice, sed etiam privatim, nihil gerebatur, nisi auspicio prius sumpto; quo ex more nuptiis etiamnum auspices interponuntur. Qui quamvis auspicia petere desierint, ipso tamen nomine veteris consuetudinis vestigia usurpant.* Vide Servium ad Virgilii Æn. I. 350. IV. 45. et J. C. Bulengerum de Aug. et Ausp. lib. III. c. 13. Idem.

Sic tum avibus magnæ res impetriri *solebant*] Ita sine dubio legendum est, non ut antea, *impertiri.* Est autem *impetriri* vetus augurale verbum, quod idem Cicero usurpat lib. II. de Divin. cap. 15. *Qui evenit,* inquit, *ut is, qui* impetrire *velit, convenientem hostiam rebus suis immolet?* Et Plautus in Asin. act. II. sc. I. 11.

Impetritum, *inauguratum est: quovis admittunt aves.*

Restituendus est etiam locus ille apud Valerium lib. I. cap. 1. *Prisco etiam instituto rebus divinis opera datur, cum aliquid commendandum est,*

precatione: cum exposcendum, voto: ..... cum inquirendum vel extis vel sortibus, impetrito: non ut vulgo legitur, *impertito.* Quod autem hoc ipso in libro legitur *impetrandis consulendisque rebus;* malim legere *impetriendis,* quam *impetrandis.* Diversa enim sunt *impetrire* et *impetrare:* non enim Festus, sed opinor Paulus illud scripsit, *impetritum, impetratum.* P. Man. Vide Hotomannum, Observ. lib. IV. cap. 3. et lib. VI. cap. 11.

P. Claudius .... L. Junius] Bello Punico primo. Rem memorant scriptores bene multi. Præter historicos vide Nostrum de Nat. D. lib. II. cap. 2. Valerium Maximum lib. I. cap. 4. 3. et Minucium Felicem cap. 7. 26. Davis.

M. Crasso quid acciderit] Crassus, ut notum, a Parthis est interfectus, ejusque copiæ miserabili clade deletæ. Idem.

C. Ateium] Ita sine dubio legendum est, non, ut antea, *Ætheium;* cum de *Ateio* Plutarchus in Crasso mentionem faciat, et Dio lib. XXXIX. *C. Ateium Capitonem* nominet. Facile autem crediderim eum esse, quem Cicero appellat lib. XIII. Fam. epist. 29. his verbis: *C. Ateio Capitone familiarissime utor.* Ætheiorum gentem inter Romanas nondum inveni. P. Manut.

Fuissent, nullam afferre potuissent] Lamb. *fuisset...potuisset.*

Etenim diræ] Ἀραί. Vulgo *diras* nos autem, jubente re ipsa, conjecturam recepimus *Turnebianam.* Vide lib. V. Advers. c. 20. Davis.

Cap. 17. *Id est incurvum...nomen invenit*] Hæc verba primus glossematis damnavit Just. Lipsius Var. Lect. lib. I. cap. 20. quoniam non modo Cicero, sed vulgus, et pene pueri, quid esset lituus, tum temporis probe noverant. Mihi tamen haud ita firma claraque videtur hæc ratio, ut rem in aperta luce collocet. Nam, ne memorem de solo Romuli lituo hic agi, licet M. Ciceronem, augurem lituo frequenter usum, Q. frater alloquatur; ea miscere, quæ Tullium non fugerunt, haud erat importunum: siquidem liber in lectorum gratiam fuit editus. Nec forte litui forma cunctis innotuit; eum enim Livius etiam describendum putavit. *Augur,* inquit ille lib. I. c. 18.... *baculum sine nodo aduncum tenens, quem* lituum *appellaverunt.* Præterea latinitas est elegantior, quam ferre solet librariorum captus; quapropter ab ipsius Ciceronis manu fuisse præfracte non negarim. Utcunque se res habeat, huc facit Macrobii locus Saturn. lib. VI. c. 8. *Posse quæri animadvertimus, utrum a tuba lituus auguralis appelletur, an tuba a lituo augurum lituus dicta sit; utrumque enim pari forma et pariter in capite incurvum est. Sed si, ut quidam putant, tuba a sonitu* lituus *appellata est .... necesse est, ut virga auguralis a tubæ similitudine* lituus *vocetur.* Id quod aperte statuit sive Noster, sive glossographus. Idem.

Cum situs esset in curia Saliorum] Valerius Maximus lib. I. c. 8. 11. *Deusto sacrario Saliorum, nihil in eo præter lituum Romuli integrum repertum est.* Rem fuse narrat Plutarchus in Camillo. Idem.

Ex quo factum est, ut eum ad se rex Priscus arcesseret] Revera cum Tarquinius equitum centuriis, quas Romulus scripserat, alias adjicere vellet, et id Attius Navius, augur, nisi aves addixissent, fieri prohiberet; ira regi mota est, eludensque artem interrogavit, *possetne fieri, quod ipse mente conceperat?* Hinc Ciceronem memoria lapsum patet. Vide Livium I. 36. Dionysium Halicarnassensem III. 71. Valerium Maximum I. 4. et Lactantium Div. Inst. II. 7. Idem.

Supraque impositum puteal accepimus] Adi Cl. Salmasium Exercit. Plin. p. 1138. edit. Paris. Idem.

Apud te scriptum est de Tib. Graccho] Lib. II. de Nat. D. cap. 4.

Cap. 18. *Ut Bacis Bœotius*] Clemens Alexandrinus in I. Στρωμ. pag. 398. Χρησμολόγοι παρ' Ἕλλησι συχνοὶ γεγονέναι φέρονται, ὡς οἱ Βάκιδες, ὁ μὲν Βοιώτιος, ὁ δὲ Ἀρκὰς, πολλὰ πολλοῖς προαγορεύσαντες, Τῇ δὲ τοῦ Ἀθηναίου Ἀμφιλύτου συμβουλῇ καὶ

Πεισίστρατος ἐκράτυνε τὴν τυραννίδα, τὸν καιρὸν τῆς ἐπιθέσεως δηλώσαντος. Σιγάσθω γὰρ Κομήτης ὁ Κρῆς, Κινύρας ὁ Κύπριος, Ἄδμητος ὁ Θετταλὸς, Ἀρισταῖος ὁ Κυρηναῖος, Ἀμφιάραος ὁ Ἀθηναῖος, &c. URSINUS. Revera tres fuere Bacides. Vide Scholiasten ad Aristophanis Pacem vers. 1071. et Interpretes ad Æliani V. H. XII. 35. DAVIS.

Partus hic mulæ] Mulæ partus semper inter prodigia fuit habitus, quia res solito rerum ordine fieri non posse credebatur. Ratio est διὰ τὸ ἄσπερμον εἶναι τὸ ζῶον, ut tradit Artemidorus Oneir. lib. II. cap. 12. Vel idcirco mulæ non pariunt, quod *e duobus diversis generibus nata non gignunt in omni animalium genere*, si Plinio fides lib. VIII. H. N. cap. 44. Plura vide sis apud Aristotelem de Gener. anim. lib. II. cap. 8. et Ælianum Hist. anim. lib. XII. cap. 16. *Quidam vero non dissimulandi auctores, ut M. Varro et ante eum Dionysius ac Mago, prodiderunt mularum fœtus regionibus Africæ adeo non prodigiosos haberi, ut tam familiares sint incolis partus earum, quam sint orbis equarum.* Verba sunt Columellæ lib. VI. cap. 37. IDEM.

Se maturam *oppetere mortem*] Hic omnino legendum, *se* maturum *oppetere mortem*. Alioqui sensus exurgit incommodus: nam tum demum Tib. Gracchus, se, quam P. Africani filiam adolescentem, maturam oppetere mortem, æquius censeret. Quasi mors adolescentis *matura* dici posset! Vide Cl. Salmasium Exerc. Plin. p. 1118. At *adolescenti* recte *maturus* opponitur. De re ipsa vide Plutarchum in Gracchis. Eadem narrant Valerius Maximus lib. IV. c. 6. 1. Plinius H. N. lib. VII. cap. 36. Aur. Victor de viris Illustr. cap. 36. et Noster infra lib. II. cap. 29. IDEM.

Cap. 19. *Numeris* et motibus *stellarum cursus persequuntur*] Quibus quæso *motibus* stellarum cursus persequuntur hi viri? Permultum fallor, aut reponendum, *numeris stellarum cursus* et motus *persequuntur*. Geminus germanus est locus infra lib. II. cap. 6. *Solis defectiones, itemque lunæ prædicuntur in multos annos ab iis, qui siderum* cursus et motus numeris persequuntur. IDEM.

Imprudentiæ] Lamb. *impudentiæ*.

CCCCLXX. *millia*] Sæpe mihi in ejusmodi litteris observatus error facile persuadet, ut legendum potius existimem CCCLↃↃↃ. et deleatur *millia*; nam CCCLↃↃↃ. valet centum millia. Quo de genere in nostris in epist. ad Atticum commentariis et satis copiose, et primi, ut opinor, disputavimus. P. MANUT. In manuscripto est CCLↃↃ. annorum. Puto autem rectum esse, CIↃ. IↃↃↃ. *annorum*. URSINUS. Frustra sunt Paulus Manutius et Fulv. Ursinus, qui mutandos hosce numeros censuere. Quamvis enim futilem prorsus et vanam horum jactantiam esse scimus; recta tamen est lectio recepta; rem enim ita se habere prædicabant Chaldæi. Lactantius Div. Instit. lib. VII. cap. 14. *Secuti fortasse Chaldæos, qui, ut Cicero tradidit in libro de Divinatione primo* (ad hunc ipsum locum respicit) quadringenta septuaginta millia *annorum monumentis comprehensa se habere delirant*. Quin et idem numerus servatur infra lib. II. cap. 46. DAVIS.

Sed, ut vis, acciderit] In manuscripto est, *ut ut vis acciderit*. URS.

Cap. 20. *Galeotæ*] Hi portentorum interpretes videntur sui nominis originem debere voci Hebraicæ גלה, quæ significat *revelavit*. PEARC.

Vestalis illa] Probabilis est Hieronymi Columnæ conjectura, cui placet *Vestalis Ilia*. Ad illam certe stabiliendam conspirant loci circumstantiæ, quemadmodum fuse docet vir ille doctissimus ad fragm. Ennii p. 123. DAVIS.

Tibi sunt ante gerendæ Ærumnæ] Malim, *tibi sunt ante* ferendæ *Ærumnæ*. IDEM.

Multa manus] Hic, noto satis Hellenismo, *multa* valet multum. Virgilius Georg. III. 226.

> Multa *gemens ignominiam, plagasque superbi*
> *Victoris.* IDEM.

Mentis metu Perculsus] Lambinus *mentem*. Sed contra Mss. Neque erat necesse: nam *mentis perculsus* dictum, ut Terentio *perculsus animi*. Gulielmius.

Curis sumptus suspirantibus] Vulgati, *sumptis*: sed *sumptus* est in manuscripto, hoc est, corruptus, vel, quod melius puto, consumptus; ut simplex sit pro composito. Ursin.

Ibi ex oraclo voce divina *edidit*] Legendum videtur, *ex oraclo* vocem divinam *edidit*, quemadmodum diserte repræsentat Eliens. Vide Phædrum lib. I. Fab. XII. 12. et Agellium XII. 5. Davis.

Cap. 22. *De quo in Bruto Accii loquitur ipse,*] Fabulam Accii, cui *Bruto* nomen esset, significat; quam et ludis Apollinaribus, qui M. Bruti absentis nomine facti fuere, actam, intelligi potest de prima Philippica. Camerarius.

Liquier cursu novo] *Linquier*, Grutero rectius videtur. Ego tamen, ut verum fatear, nec in hac, nec in illa lectione sensum video commodum. Forte rescribendum, *nitier cursu novo*, quod valet ire, vel incedere. Vide Servium ad Virgilii Æn. II. 380. et Nonium in *niti*. Davis.

Cap. 23. *Quæ ipsa Phalaris*] Revocavi quod erat in Pal. pr. sec. et membranis S. Victoris; nam Pithœi liber et Marsi editio non habent vocem tertiam. Vulgati, *Phalaridis*. Et vero si alii adhuc codices ea voce carent, abjiciatur. Gruter. Legendum credo, *quæ* ipse *Phalaris*. Dav.

Persicis libris *proferam*] Media vox manifestarium est glossema, prout ante me viderunt Jan. Gulielmius et Joan. Clericus: quapropter eam duximus expungendam. Certe Dinonis, non βίβλους Περσικὰς, sed τὰ Περσικὰ laudant Athenæus, Diogenes Laertius, et alii. Idem.

Cap. 24. *Columnam auream, quæ esset in fano Junonis Laciniæ*] Plerique codices, *Liciæ*, *Lyciæ*, vel *Luciæ*; quapropter Gulielmius reponendum conjecit, *quæ esset in fano Junonis Lucinæ*. Præterquam vero quod in hujusmodi narratione *templum Junonis Lucinæ* memorare, loco ubi situm esset omisso, prorsus est absurdum; *columnam auream solidam in Junonis* Laciniæ *templo sacratam* fuisse constat ex Livii lib. XXIV. cap. 3. adeoque vulgata lectio non est tentanda. Davis.

Eum quoque oculum, quo bene videret] Annibalem μονόφθαλμον fuisse liquet ex Polybii lib. III. cap. 79. Livii lib. XXII. cap. 2. Scholiaste Juvenalis ad Satir. X. 158. aliisque quam plurimis. Idem.

Hoc idem in Sileni] Legendum videtur, *item*, vel *itidem*, uti Lambinus etiam conjecit: non enim ad superiorem, sed ad proxime sequentem refertur historiam. Idem.

Carthaginiensem] Si Vossium audias, lege *Carthaginensem*, ut admonuimus Tom. I. p. 14.

Cap. 25. *Tertia te Phthiæ tempestas*, &c.] Versus est apud Homerum Iliad. I. 363. et profertur ab Achille hoc modo:

Ἤματί κεν τριτάτῳ Φθίην ἐρίβωλον ἱκοίμην.

Phthia autem urbs in Thessalia; Achillis patria: quæ quid commune habeat cum morte, et qua ratione Socrates hoc versu præmoneatur se tertio die moriturum, quæsitum est. Qua de re cum ego et Simeo Bosius loqueremur, dixit, quod et mihi venerat in mentem, per *Phthiam* mortem et interitum significari, spectata vi nominis, quod videtur ortum a verbo φθίνω et φθίω, quod valet intereo, consumor, corrumpor. Lamb.

Fanum illud Indicis Herculis] Vide Pet. Victorium Var. Lect. lib. IV. cap. 21. et Joan. Meursium Athen. Attic. lib. II. cap. 10. Davis.

Cap. 26. *Sed proxime Cœlius*] Sensus est: ætas Cælii ei facto proxima fuit. Vide de Leg. I. 2. Pearc.

Præsultorem sibi non placuisse ludis] Jupiter hunc servum *præsulem*, sive præsultorem, nominabat, quia priusquam committerentur ludi, virgis cæsus στροφὰς παντοδαπὰς ὑπ' ὀδύνης ἐστρέφετο, gestusque saltatoriis similes edebat.

Vide Plutarchum in Coriol. p. 225. Dionysium Halicarnassensem lib. VII. cap. 69. et Des. Heraldum ad Arnobii p. 306. DAVIS.

Quam vellet, cunctaretur] Plutarchus, in Gracchis. Idem somnium refert etiam Val. Max. lib. I. c. 7. 6. IDEM.

Cap. 27. *Ignotum quendam projectum*] Hancce rem latius diducit Val. Max. lib. I. cap. 7. 3. extern. IDEM.

Duo quidam Arcades familiares] Hanc historiam nonnihil variatam scriptor Græcus exponit, cujus verba laudat Suidas in τιμωροῦντος, ut olim monuit Pet. Victorius Var. Lect. lib. XIX. cap. 12. Ast a Cicerone diversus non abit Valerius Maximus lib. I. cap. 7. 10. extern. IDEM.

Cap. 28. *Noster Sallustius*] Non historicus, sed M. Ciceronis libertus intelligitur. DAVIS.

In monumento Marii] Hoc somnium fuse refert Valerius Maximus lib. I. cap. 7. 5. ubi notat *in æde Jovis Mariana S. C. de reditu Ciceronis esse factum.* Pari modo *Æmilia monumenta*, et *monumenta Cn. Pompeii* pro locis, quos struxerant vel refecerant, dixit Tacitus Ann. III. 72. IV. 7. Vide et Senecam Cons. ad Marciam, cap. 22. Consules autem fuere P. Lentulus et Q. Metellus, quorum ille Nostro fuit præcipuus salutis auctor. Vide sis orat. ad Quir. post reditum cap. 5. seq. et post red. in Sen. cap. 3. 4. IDEM.

Cap. 29. *Cum dormientibus ea pars animi*] Platonis locus extat lib. IX. de Rep. DAVIS.

Cap. 30. *De quo ante dixi*] Supra, cap. 23.

Homerici Hectoris] Iliad. x. 358. Homerum vero Virgilius imitatus est, Æn. X. 470. ut Servius animadvertit. IDEM.

Cap. 31. *Sed quid oculis rabere visa est*] Sic legendum; *rabere*, inquam, non *rapere*. *Rabere* autem *dictum a rabie*, inquit Nonius. Varro: *Idem Attii, quod Titii: Quid est? quid blateras? quid* rabis? *quid vis tibi?* Cæcilius Hypobolimæo: *Rastraria rabere se ait.* LAMB. Vide Mureti Var. Lect. IX. 19.

Superstitiosis hariolationibus] Fatidicis; nam *superstitiosus* veteribus haud raro *divinum* significat. Infra II. 56. *Unde* superstitiosa *primum sæva evasit vox fera.* Apud Plautum Amphitr. act. I. sc. I. 167. ait Sosia de Mercurio, qui eum non longe abesse præsentiebat: *Illic homo* superstitiosus *est.* Iterum Curcul. act. III. 27. Superstitiosus *hic quidem est: vera prædicat.* Et Rudent. act. IV. sc. IV. 95. *Quid si ista aut* superstitiosa, *aut driola est, atque omnia, Quicquid insit, vera dicet.* Vide sis Adr. Turnebum Advers. lib. V. c. 22. et Jos. Scaligerum Conj. in Varronis lib. VI. L. L. pag. 68. DAVIS.

Repperisti] Lamb. *peperisti.*

Cap. 32. *C. Coponium ad te venisse Dyrrachio, cum prætorio imperio*] C. COPONIUS. PR. S. C. in argenteo denario descriptus est. URSIN.

Cum primis] Vict. *cum primo.*

Domum itionem] *Domuitionem* habet antiquus liber composito vocabulo, et ita legit Apuleius: et in lib. III. ad Herennium cap. 21. *Jam* domuitionem *reges*, &c. URSIN. Qua de re Schottus, *Nodi Ciceronis*, IV. 10.

Cap. 33. *Rituales libri*] Aut omnia me fallunt, aut restituendum est fide Pal. sec. *tonitruales.* GRUTER.

Nostri etiam augurales] *Vestri* est in Ms. et ita scribendum est, ut ad Ciceronis auguratum referatur. URS.

Submersus equus voraginibus non exstitit] Historiam narrat Plinius lib. VIII. §. 64. Eandem refert et Ælianus Var. Hist. lib. XII. cap. 46. ut olim monuit Pet. Victorius Var. Lect. XII. 1. DAVIS.

Cap. 34. *Qua in pugna.... Delphis positæ*] Parenthesi voces has inclusimus, ne sint, qui, cum Grutero, eas a mala manu irrepsisse censeant; neve sint, qui, cum Lambino, reponant *quas dixi Delphis a Lacedæmoniis positas fuisse;* nam receptam lectionem præstant omnes Mss. neque raro fit, ut intelligatur *verbum substantivum.* DAVIS.

Cap. 35. *Et ipse, et equus ejus*] Quæ hic memorantur prodigia, narrat Valerius Maximus, I. VI. 6. Silius Italicus, V. 59. Plutarchus, in Fabio. Livius, XXII. 13. Florus, VI. 24. IDEM.

Signifer primi hastati] Aldus Manucius, eumque secutus metaphrastes Gallicanus, signiferum *primi centurionis* ridicule censent intelligendum. Denotatur enim primi manipuli seu ordinis hastati signifer. Vide Just. Lipsium Mil. Rom. lib. II. Dial. VIII. IDEM.

Cap. 36. *Midæ illi Phrygio*] Hanc historiolam referunt Valerius Maximus lib. I. cap. 6. 2. extern. Ælianus V. H. lib. XII. cap. 45. et Joannes Sarisberiensis, Polic. I. 13. IDEM.

Apes in labellis consedissent] Plinius H. N. lib. XI. cap. 17. Apes *sedere in ore infantis tum etiam Platonis, suavitatem illam prædulcis eloquii portendentes.* Eadem referunt Valerius Maximus lib. I. cap. 6. 3. extern. Ælianus Var. Hist. X. 21. 45. XII. Olympiodorus in vita Platonis, ac Joannes Sarisberiensis Policr. IDEM.

Hanc speciem Praxiteles] Non intelligitur celeberrimus ille statuarius; at cognominis cælator, qui Pompeii M. vixit ætate. Vide Fr. Junium in Catal. Artif. p. 175. DAVIS.

Ampsancti in Hirpinis, et in Asia Plutonia] Quæ et χαρώνεια dicuntur. Loca sunt pestilentes et lethiferos odores emittentia. Vide sis Is. Casaubonum ad Strabonis lib. V. p. 374. Talis erat Apsancti, vel, ut alii scribunt, Ampsancti lacus, de quo Servius ad Virgilii Æn. VII. 563. et Chr. Cellarius Geogr. Ant. lib. II. cap. 9. Adi et Plinium, II. 95. ID.

Quæ videmus] Forte *quæ vidimus*, scilicet, quæ vidit Quintus cum Asiæ proconsul esset. PEARC.

Flexanima tanquam lymphata] Pacuvii sunt versus, ut patet ex Varrone lib. VI. L. L. DAVIS.

Cap. 37. *Negat, sine furore, Democritus, quemquam poetam magnum esse posse; quod idem dicit Plato*] Platonis locus extat in Ione. Idem docet philosophus ille præstantissimus in Menone, in Phædro, in Apol. Socratis, et alibi. IDEM.

Ego providebo rem istam, et albæ virgines] Græcum carmen vertit, Ἐμοὶ μελήσει ταῦτα, καὶ λευκαῖς κόραις. URSIN.

Ex quo factum, ut viderentur] De re ipsa vide Justinum lib. XXIV. cap. 8. Pausaniam in Phocicis cap. 23. ac Joannem Sarisberiensem Polic. VI. 17. IDEM.

Cap. 40. *Ducem classium fuisse. At illum*] Corrupti hic omnes libri. Vix tamen cordato dubium, quin rescribendum sit cum Gulielmio: *ducem classium fuisse ad Ilium; auspic.* Emendatio palmaria. GRUT.

Homerus] Odyss. K. 494.

Martios (alias *Marcios*) *quosdam fratres*] Martiorum fratrum meminit Servius ad Æn. VI. 70. 72. Plinius lib. VII. H. N. cap. 33. Quin etiam Marcium vatem illustrem fuisse tradit, et ex ejus carminibus duo recenset Livius lib. XXV. c. 12. DAVIS.

Polyidum] Iliad N. 663.

Cap. 41. *Naturæ rationem*] Sic solebant Druidæ. Pomp. Mela, lib. III. cap. 2. Cæsar B. G. lib. VI. c. 14. Strabo lib. IV. pag. 302. Quin et *augurandi studio Galli præter cæteros callent,* ut ait Justinus lib. XXIV. cap. 4. Vide Diodorum Siculum, Bibl. lib. V. IDEM.

Rex Persarum potest esse] Hinc Persici regis filius natu maximus, quatuordecim natus annos, magica Zoroastris disciplina fuit imbutus, ut tradit Plato, Alcib. I. et ex eo Apuleius, Apol. DAVIS.

Telmessus in Caria est] *Telmessum* vel *Termessum* alii Cariæ, alii Pisidiæ, alii denique Pamphyliæ tribuunt, nisi forsan variæ sint urbes, eodem vel non longe diverso nomine insignitæ. Vide præstantissimum virum Ezech. Spanhemium Diss. IX. de usu et præst. Numism. p. 563, 564. IDEM.

Jamidarum unam, alteram Clutidarum] De Clytidis vide Pausaniam lib. VI. cap. 18. Jamidas autem ex

variis scriptoribus notos fecit Pet. Vict. Var. Lect. lib. XIII. cap. 15. Addatur Philostratus vit. Apoll. lib. V. cap. 25. qui Κλυτιαδῶν simul ac Ἰαμιδῶν meminit. IDEM.

De principum filiis sex *singulis Etruriæ populis*] Valerius Maximus lib. I. cap. 1. non *sex*, sed *decem* fuisse tradit, qui singulis Etruriæ populis in disciplinam traderentur. P. MAN.

Cap. 43. *Cum vellet Lysander commutare*] Ad id, nisi fallor, respicit, quod tradit Corn. Nepos in Lysandro c. 3. Vide sis Diodorum Siculum lib. XIV. et Plutarchum in Lysandr. DAVISIUS.

Pasiphaæ] Man. Lamb. *Pasitheæ.*

In Pasiphaæ fano, quod est, &c.] Sic prorsus legendum, non, ut vulgo, *in* Pasitheæ *fano*. Hanc enim vulgatam lectionem historia refellit. Plutarchus in Agide et Cleombr. Tertullianus de Anima cap. 46. LAMB. Vide Joan. Meursii Miscell. Lacon. lib. I. cap. 4.

Incubabant] Solebant veteres in templis deorum dormire, quorum ope atque consilio indigebant, responsa ab iis, oraculave accepturi. Quos proprie *incubare* dicebant: et qui id faciebant: *incubatores*. Plautus Curcul. I. 1. 61. *Leno ægrotus incubat in Æsculapi fano*. Vide Basilii Fabri Thesaurum, verbo *cubo*.

Tusculi ædes Castoris et Pollucis] Quia Tusculani Castorem et Pollucem in primis colebant, L. Servius Sulpicius Rufus ad celebrandum gentis suæ, quæ obsidione Tusculum exemerat, factum præclarum, in una parte aurei nummi Tusculum ipsum, in altera signa Castoris et Pollucis pileata impressit. URSIN.

Cap. 44. *Quoties senatus decemviros*] Hæc iterata (nam et hic et paulo ante posita sunt) mihi mendi suspicionem commovent. LAMB.

Marsico bello] Quod etiam *sociale*, vel *Italicum* dicitur. Vide supra cap. 2. DAVISIUS.

Credo ab Epicureo] Post *credo*, interpungendum: ne quis ita conjungat; *credo inductus*.

Cap. 45. *Explicatum est*] Hanc vocem repræsentant omnes Mss. et patienter ferunt editores: attamen ad rem nihil omnino facit. Certissima conjectura rescribo *expiatum est;* nam expiandæ *voci nocturnæ temptum Aio factum fuisse* videmus ex Livii lib. V. cap. 50. DAVIS.

Ara enim Aio Loquenti] Sive, *Aio Locutio*, ut habet Livius, lib. V. cap. 50. Quanquam ibi *Locuto* legendum suspicor. De quo Romanorum deo vide Varr. apud Gell. XVI. 17. PAS.

Junonem illam appellatam Monetam] A monendo. Ἥραν Μονήταν similiter σύμβουλον interpretatur Suidas in Μονήτα: sed nominis causam atque fontem modo longe diverso tradit. DAVISIUS.

Quod bonum, faustum, felix, &c.] De hisce formulis diligenter egit vir eximius Barn. Brissonius Form. lib. I. pag. 8, 66, 118. IDEM.

Bonis nominibus...bono nomine.... esse voluerunt] Ratio est, quod, ut Ovidius Fast. I. 178.

Omina principiis, inquit, inesse solent.

Sic cum sub Vespasiano restituendum fuit Capitolium, *ingressi milites, queis* fausta nomina *felicibus ramis*. Rem narrat Tacitus Hist. IV. 53. ubi nonnulla Lipsius hanc in rem notavit. Vide sis et B. Brissonium Form. lib. I. pag. 92. ac interpretes ad Ciceronem pro Murena cap. 18. IDEM.

Cap. 46. *L. Paulus, consul iterum*] Hoc narrat Valerius Maximus lib. I. c. 5. 3. Plutarchus in Paulo Æmilio, pag. 260. Nicephorus Gregoras in Synesium de Insomn. pag. 359. Joannes Sarisberiensis Policr. I. 13. ubi Persen de rege Persarum, qui sæpe Perses dicitur, perperam intelligit. IDEM.

Sed id ipsum est, deos non putare] Rectius, *sed id ipsum est*, esse *deos non putare*. Ut in I. 6. *mihi vero satis est argumenti et* esse *deos*, &c. PEAR.

Cap. 47. *Addubitato salutis augurio*] Tacitus Annal. XII. 23. *Salutis augurium quinque et viginti annis omis-*

sum repeti ac deinde continuari placitum. Quale vero fuerit *salutis augurium,* docet Dion, lib. XXXVIII. pag. 40. Vide sis et J. C. Bulengerum de Aug. et Ausp. lib. III. c. 17. DAVISIUS.

Quod paucis post mensibus exortum] De bello Catilinario loquitur. IDEM.

Subigit ipsa feris] Metri causa litteram tertiam duplicabat Lamb. Verum Turnebus et Aldus nepos, inverso verborum ordine, legunt *Ipsa feris subigit.* Gulielmio denique placebat *Subjicit ipsa feris.* Balliol. *subigat,* unde forsan non male rescribi possit, *Subjugat ipsa feris,* &c. DAV.

Cap. 48. *Non urbanus fuit*] Id est, non erat res iis, qui in urbe degebant, inventa, quique ritus sacros ob politicas causas instituere poterant: sed fuit *pastoralis;* erat ritus a pastoribus, aratoribus, rusticis observatus, qui non satis callidi erant, ut res, ad opiniones imperitorum fictas, invenirent. MISCEL. OBSERV. *Vol.* III.

Atque secundam] Tullium dedisse suspicamur:

arte secundam
Solus avem servans. WOPKENS.

Romam Remoramne *vocarent*] Alii *Remamne;* alii *Romamne Remamne;* sed recepta præstat lectio, quam firmant Mss. *Festus: Remurinus ager dictus, quia possessus est a Remo. Et habitatio Remi,* Remora. *Sed et locus in summo Aventino Remoria dicitur, ubi Remus de urbe condenda fuerat auspicatus.* Hinc apud Plutarchum in Romulo non Ῥεμώνιον, sed Ῥεμώριον legendum, licet hunc locum Ῥεμορίαν rectius vocet Dionysius Halicarnassensis lib. I. cap. 85. si modo codicem Vatic. sequamur. Paulus in Compendio: *Romam Romulus de suo nomine appellavit; sed ideo Romam, non Romulum, ut ampliore vocabuli significatu prosperiora patriæ suæ ominaretur.* Et Romam quidem ἐπώνυμον Romuli fuisse quam plurimis traditur: dissentiunt tamen aliqui. Vide sis interpretes ad Festum voce *Roma,* Servium in Æn. I. 277. et Panc. Maasvicium ad Polyæni Strat. lib. VIII. cap. 25, 2. DAVIS.

Atque ore timebat] Lambinus admisit Turnebi conjecturam, *atque ora tenebat,* nolentibus Mss. et ratione ipsa: belle enim tribuit poeta spectatoribus eam sollicitudinem, quæ et ipso se vultu proderet, ut fere solet. GRUTERUS.

Ter quatuor *corpora sancta*] Sic scripsi, non *quattuor,* cum vox illa pro dissyllaba sit habenda. Vide Car. Wasium de Senar. cap. 9. pag. 103. DAVIS. Sed et Manutius, et Lambinus:

Cedunt ter quatuor de cœlo, &c.

Cap. 49. *Cognatione divinorum animorum*] Omnino legendum crediderim *contagione,* quæ vox *contactum* passim denotat. Cum enim *omnia completa et referta sint æterno sensu et mente divina:* non tam *cognatione,* quam *contactu* divinorum animorum commoventur animi humani. Est autem hoc dogma Stoæ de Pythagoricis et Platonicis haustum fontibus. Præter alios bene multos, vide Ciceronem N. D. lib. I. cap. 11. et Origenem contra Celsum lib. VI. DAVISIUS.

Sed vigilantes *animi*] At pro Quinti sententia vel *in somnis vigent,* et adeo vigilant, animi. Vide cap. 51. Legendum puto, *sed* vigilantium *animi:* ut *castus animus purusque vigilantis* dicitur infra cap. 53. IDEM.

Ut de Atheniensi Solone accepimus] Valerius Maximus lib. V. cap. 3. extern. Diogenes Laertius lib. 1. §. 49. et §. 65. Similia tradunt Plutarchus in Solone pag. 95. et Ælianus V. H. lib. VIII. cap. 16. IDEM.

Non plus, quam Milesium Thalem] Sumpsit hoc ab Aristotele ex lib. I. cap. 11. Polit. URSIN.

Quæ Astyage regnante facta est] Astyage quidem regnante, factum est solis deliquium, quod prædicere potuit Thales. Sed prior est eclipsis illa, quam ab hoc philosopho prænuntiatam sub Cyaxare Astyagis patre contigisse referunt scriptores. De

qua diligenter egit D. Petavius Doct. Temp. lib. X. cap. 1. DAVIS.

Cap. 51. *Antiphonis interpretatio*] De hoc homine videas licet Æg. Menagium ad Diogenis Laertii lib. II. §. 46. IDEM.

Sunt enim explanatores] Aliquid deesse vidit acutissimus Lambinus: quapropter rescribendum conjecit, *sunt enim* harum rerum *explanatores*. At cum Reg. et Cantab. habeant, *sunt enim explanatores somniorum:* forsan optime rescripseris, *sunt enim explanatores omnium horum;* somniorum videlicet, oraculorum et vaticinationum. IDEM.

Cap. 53. *Cum esset* infans] *Infans* hic est ἄφωνος, mutus, elinguis. Vide Herodotum lib. I. cap. 85. et Agellium lib. V. cap. IDEM.

Caput arsisse Servio Tullio dormienti] Eum, licet humili loco natum, *clarum fore visa circa caput flamma promiserat*. Hoc prodigium memorant permulti scriptores, quorum locos indicabit Joan. Freinshemius ad Flori lib. I. cap. 6. 1. IDEM.

Cap. 54. *Nunquam impellenti, sæpe revocanti*] Vide Claudii Fraguerii diatribam *de Dæmonio Socratis,* in libro cui titulus: *Poetarum ex Academia Gallica, qui Latine aut Græce scripserunt, carmina*. Prodiit Parisiis, anno 1738.

Et nostrum quidem] Xenophon de Exped. Cyri, lib. III. cap. 1. §. 5. Hunc locum cum narratione Ciceronis olim contulit Petr. Victorius Var. Lect. lib. VIII. cap. 22. DAV.

Neque enim domo egredienti] Socrates apud Platonem in Apolog. ID.

Cap. 56. *Diuturnitate pertractata*] Quæ sit hujusce φράσεως mens, ego sane non intelligo; nisi forsan velit *Cicero diuturnitatem* fuisse *pertractatam*, lectis commentariis, in quibus eventorum longam seriem tradiderint varii scriptores. Si mei tamen arbitrii res esset, potius legerem *diuturna pertractatione;* nam simili modo loqui solet Noster. IDEM.

Cap. 57. *Aut mente* permoti] Quid sint *animi hominum mente permoti,* me quidem fugit: saltem loquendi ratio est incommoda. Rescribendum videtur, *aut* in *mente* permotis *per se ipsi liberi incitati moventur*. Ita sane sensus exsurgit rei congruus. IDEM.

Id quoque rimatur, *quantum potest, Posidonius esse censet*] Sic edidere Victorius et Gruterus, nec abeunt plerique codices; nisi quod eorum nonnulli, ordine verborum mutato, repræsentent, *id quoque, quantum potest, rimatur*. Mihi tamen persuadere non possum, quin vitio laborent verba. Vett. editi dant, *id quoque rimatur, quantum potest, Posidonius cum esse censet;* quod longe melius. Paris. *id* quoque *rimatur, quantum potest*. Forsan *id* quisque rimetur, *quantum potest*. IDEM.

Ut enim (Lamb. *Etenim*) *Ceos accepimus ortum Caniculæ*] Historiam, quæ rei dedit originem, referunt Diodorus Siculus Bibl. lib. IV. pag. 281. Hyginus Poet. Astron. lib. II. cap. 4. aliique. Vide Cl. Salmasium Exercit. Plin. edit. Paris. pag. 144. IDEM.

Indidemque eadem, quæ oriuntur] Gulielmius castigat, *Indidemque eademque oriuntur*. GRUT.

DE

DIVINATIONE

LIBER SECUNDUS.

Cap. 2. *Græcis de Philosophia literis*] *Literæ* libros denotant. Noster de Fin. lib. I. cap. 4. *Nos autem hanc omnem quæstionem .... fere a nobis explicatam esse his* literis *arbitramur.* Vide J. F. Gronovium ad Livii lib. VI. cap. 1. Davis.

In unius potestate] Julium Cæsarem dicit. Idem.

A Platone] Lib. 7. de Rep.

Cap. 5. *Bene qui conjiciet, vatem hunc perhibebo optimum*] Alii *perhibeto,* eodem sensu. Græcus autem est versus Euripidis apud Plutarchum de Oraculorum defectu. Cam.

M. Marcellum] De quo Asconius in Pisonem, cap. 19. *Fortasse quæratis, quem dicat Marcellum. Fuit autem nepos M. Marcelli ejus, qui bello Punico secundo Syracusas vicit, et quinque consulatus adeptus est. Hic autem Marcellus, de quo Cicero dicit, naufragio ad ipsam Africam periit, paulo ante cœptum bellum Punicum tertium,* id est anno U. C. dciv. Davisius.

Cap. 6. *Sors*] Ita Victorius, sed male. Alii, *fors.* Fecit non semel, et jam pridem, vulgarium linguarum usus, et harum vocum similitudo, ut prior posteriorem excluderet. Oliv.

Cap. 7. *Inventurum*] Lamb. *inventum iri.*

Cap. 8. *Quod me moveant*] Man. *quod me moneant.*

Certe potuit] Lego, *certe non potuit:* scilicet, non potuit vitari interitus exercitus, si Flaminius paruisset iis auspiciis, quibus pugnare prohibebatur. His enim præmittuntur verba, *si fatum fuit;* et paulo post sequitur; *si fato, etiam si obtemperasset auspiciis, idem eventurum fuisset:* rursusque, *quoquo modo nos gesserimus, fiet tamen illud quod futurum est.* Pear.

Cap. 9. *Pompeium censes..... si scisset, se in solitudine Ægyptiorum trucidatum iri amisso exercitu?*] Hic mendum primus vidit Tanaquillus Faber *(epist. I. 4.)* Qua enim ratione *solitudinem* vocet Cicero littus Pelusiacum, in quo stabat rex Ptolemæus cum ingenti comitatu, quod Ægyptiorum classis prætexebat? *(Tuscul. III. 27.)* Eam ob rem rescribebat is, quem dixi, criticus: *se a satellite Ægyptio contrucidatum iri?* Nimium audacter. Davisius *(in Cæsar. de Bell. Civil. III. 104.)* malebat: *se in celone Ægyptiorum trucidatum iri?* Arguta, sed non probabilis conjectura; plus enim justo recedit a vestigiis receptæ vulgo lectionis. Recederetque longius, si Davisius scripsisset, *celoce,* quod scribi oportuerat. *Celocem* constat scapham esse, uti probant Hieronymus Columna, in hunc Ennii versum:

> *Labitur uncta carina per æquora cana celocis.*

Salmasius, *Observat. ad Jus Attic. et Rom. pag.* 699. Schefferus, *de Milit. Naval.* 11, 2. *Celon* quam sit diversæ significationis ostendit Salmasius, *in Solin. p.* 589. *edit.* 1. Has igitur emendationes merito rejecit Wopkensius, *Lect. Tull.* III. 7. Cogitanti semel atque iterum mihi, ecquid præstare hic possem, venit in mentem denique, nihil superfuturum vitii, si legatur: *se in servitudine Ægyptiorum trucidatum iri? Servitudo,* quæ vox jam obsolevit, vigebat ætate Ciceronis. Eam norat T. Livius, *lib.* XXIV. *c.* 22. *Servitudinis, indignita-*

tisque homines expertes. Festus: *eritudo, servitudo.* Glossæ veteres, *servitudo.* δουλεία. Allubescebat Romanis auribus ea nominum forma; atque in usu erant, *sævitudo, severitudo, sorditudo, sanctitudo,* &c. quæ deinceps antiquata librarii scriptores mutavere. Huic loco maxime convenit *servitudo;* significat enim, Pompeium, quando ad regem venit Ægyptium, ei se servum dedisse. Sic poterat sentire et loqui Cicero, quod Pompeius ipse, cum in Ægyptiam navem descenderet, professus erat, (*Plutarch. in Pompeio, pag.* 661. *Dio Cassius lib. XLII. pag.* 187.) pronuntiatis duobus Sophoclis versibus, quorum est sententia, interpretante Grotio:

Quicunque regis in domum gressus tulit,
Jam servus illi est, liber etsi advenerat.

Non aliud Ovidius, *IV. Pont. III.* 41.

Quid fuerat Magno majus? Tamen ipse rogavit
Submissa fugiens voce clientis opem.

Seneca, *Consol. ad Marc. c.* 20. *Quid erat turpius, quam Pompeium vivere beneficio regis?* Lucanus deliberanti Pompeio, an se post cladem ad Parthorum regem conferret, Lentulum facit dicentem, velitne fieri *Parthorum famulus.* (*Phars. VIII.* 339. Et,

Miserum quid decipis orbem,
Si servire potes?

Addere alia poteram, nisi satis hæc essent comprobandæ huic loci difficilis emendationi. Buherius. Forte præstat vulgatum lectionem retinere, quam sic de meliore hariolari. Si enim reputemus, Pompeium in navicula quidem interfectum esse, sed tamen ad littus illud, quod ad hanc Ægyptiorum solitudinem pertineret; magna jam difficultatis pars sublata erit, reliquamque haud ægre tollet ἀκυρολογία (proprie loquendi negligentia) auctoribus quibusque probatissimis haud plane inusitata. Wopken. Si conjecturis certandum est, quidni legatur: *si scisset, se a sorditudine Ægyptiorum trucidatum iri?* Quid enim aptius designandis vilissimis capitibus et mancipiis, quorum consilio et manu periit Pompeius? At nihil emendatione opus est, sed hac tantummodo animadversione. Homini solitudo est, ubicunque frequentiam non habet, quam desiderat. Ita Pompeio fuit in ora illa Ægyptiaca solitudo. Aderant naves; rex cum ingenti comitatu stabat in littore; at erat nemo, cujus auxilio posset opibusque defendi. Anon.

Quid vero Cæsarem putamus] Si fert animus, historiam videas licet apud Dionem lib. XLIV. pag. 149. Plutarchum in Cæs. pag. 739. et Suetonium in Julio cap. 82. Adi sis et Senecam de Ira lib. III. cap. 30. Davisius.

Cap. 10. *Addunt ad extremum, omnia levius casura*] Forte *Addunt ad extremum* male, *omnia,* &c. Vix enim aliter se recte habebunt sequentia, *si enim nihil sit extra fatum, nihil levari re divina potest:* hæc enim non de iis dicuntur qui addunt solum, sed qui *male* addunt. Pear.

Si enim nihil] Lamb. *Si vero nihil.*

Si enim *nihil fit extra fatum*] Vel delenda est vocula secunda, vel legendum, *si* autem *nihil fit extra fatum.* Certe vulgata lectio ferri non potest: siquidem Tullius argumenti Stoici non *confirmationem,* sed *confutationem* jam nunc aggreditur. Dav.

Levari re divina potest] Idem *levare divinatio potest.*

Nihil levari re divina *potest*] Hoc est, tum reliquo deorum cultu, tum sacrificiis, quæ *rei divinæ* vel *rerum divinarum* nomen præcipue complectitur. Idem.

Hoc sentit Homerus, cum querentem, &c.] Pet. Victorius lib. XXXIV. Var. Lect. cap. 24. scribit, M. Tullium hoc loco memoria vacillasse; non enim Jovem induci ab Homero cum dolore dicentem, inquit, se non posse interitu filium liberare, cum cuperet; sed dubitantem, an hoc ipsum facere oporteat contra fatum. Ego vero puto Victorium, cum hæc scriberet, dormitasse, aut etiam somniasse, aut certe operam lusisse: nam

Jupiter duo facit apud Homerum. Primum queritur, fatale esse Sarpedonem filium a Patroclo interfici. Deinde dubitat et consultat apud se, utrum Sarpedonem e periculo eripiat, an a Patroclo interimi sinat. Queritur his verbis Iliad. XV. 433, Ὤ μοι ἐγὼν, &c. Dubitat et consultat his, vs. 435. Διχθὰ δέ μοι κραδίη, &c. LAMB.

Cap. 12. *Inspiciamus, si placet, exta primum. Persuaderi* igitur *cuiquam potest*, &c.] Cum unus Davisii Ms. habeat *inspiciamus ergo*, locum verbi *igitur* sic muto, et lego, *inspiciamus* igitur, *si placet, exta primum. Persuaderi cuiquam potest*, &c.? Istud *igitur* post verbum *persuaderi* inutile et otiosum videtur. PEARC.

Collata] Lamb. *collatum*.

Quæ pars inimici, quæ pars familiaris esset] Videtur adjectivum *familiaris* hic esse casus nominativi; ut in Liv. Hist. VIII. 9. dicitur *caput jecinoris a familiari parte cæsum fuisse*. Unde conjicio Ciceronem scripsisse *quæ pars* inimica. PEARC.

Conformari quodam modo numini deorum] Paris. Med. Balliol. Reg. Cantab. et Ven. 1471. habent *nomine deorum*. Omnino legerim *numine deorum* (nec aliter Aldum nepotem edidisse video) vult enim Noster, exta nutu et voluntate deorum in hanc vel illam formam, aut speciem, fuisse redacta. DAVIS.

Divina cum rerum] Lamb. *divinatio, cum rerum*.

Atqui divina cum rerum natura] Legendum videtur vel libris omnibus reclamantibus, *atqui* divinatio *cum rerum natura*: nam vulgata lectio, *atqui divina cum rerum natura*, inexplicabilis est; nisi forte dicamus sic explicari posse, *atqui divina natura cum rerum natura*; vel sic, *atqui vis divina cum rerum natura*, ut repetatur vocula *vis* e superioribus illis: *et certe si est in extis aliqua vis*, &c. LAMB. Hujusce loci nec emendatio, nec explicatio Lambino cessit feliciter. Aldus nepos edidit, *numine deorum*, vique *divina. Cum rerum natura*, &c. Ei favet Med. qui dat *neque divina*. Reg. et Cantab. repræsentant, *utique* mente divina *cum rerum natura*; unde non difficulter intelligi potest, quid de *mente divina* sit statuendum. Nimirum sunt glossema, quo librarii declarandum putarunt *deorum numen*. Itaque, nisi fallor, deleta voce *divinâ*, rescribendum: *Atqui cum rerum natura tanta tamque præclara, in omnes partes motusque* (forsan *locosque*) *diffusa, quid habere potest commune, non dicam gallinaceum fel: sunt enim qui vel argutissima hæc exta esse dicant: sed tauri opimi jecur, aut cor, aut pulmo*, &c. In libris vulgatis perperam distinguitur oratio. DAVIS.

Cap. 13. Aliæ *pecudis*] Genitivus est ἀρχαϊκὸς, si modo debet id ἀρχαϊκὸν dici, quod adhibent optimi scriptores. Vide G. J. Vossium Anal. lib. IV. cap. 6. DAVIS.

Cap. 14. *Qui omne, quod esset, unum esse dixerunt*] Horum princeps fuit Xenophanes. Cicero Acad. II. 37. *Xenophanes dixit unum esse omnia, neque id esse mutabile, et id esse deum*. De hac sententia vide quæ disputat Rad. Cudworthus System. Intell. cap. IV. § 31. IDEM.

Musculorum jecuscula bruma dicuntur *augeri*] Lege *dicunt*, nempe Stoici. *Murium jecuscula bruma increscere* docent etiam Plinius H. N. lib. XI. §. 76. Ælianus H. A. lib. XI. §. 76. IDEM.

Puleium aridum....rumpi vesiculas] Pulegium (ita Lamb.) ὑπὸ τὰς τροπὰς ἀνθεῖν docet Aristoteles Probl. Sect. XXI. Plinius H. N. II. 41. *Floret ipso brumali die suspensa in tectis arentis herba pulegii; rumpuntur intentæ spiritu membranæ*. Vid. et lib. XVIII. §. 60. IDEM.

Cap. 16. *In tauri opimi*] Vide supra, lib. 1. cap. 52.

Contactum] Vict. *contractum*:

An, quod aspexit vestitu purpureo excordem Cæsarem, ipse corde privatus est] Metaphorice dicit *excordem Cæsarem*: quid hoc scilicet ad cor tauri physice sumptum? PASSERAT.

Non ergo omnium interitus atque obitus] Omnino lege, *non ergo om-*

nium interitus atque ortus, vel *omnium* ortus *atque obitus.* Vel hæc vel illa ratio plane necessaria videtur; quod ex sequentibus manifestum. DAVISIUS.

Cap. 17. *Æquimelium*] Forum erat Romæ rerum venalium. Scribit Livius in eo foro fuisse domum Sp. Mælii, damnati eo quod regnum affectasset. ALDUS MANUT.

Tanquam inter duos lucos] Vide de Nat. Deor. I. 8. DAVIS.

Cap. 18. *Jove tonante, fulgurante*] Lego, *Jove tonante, fulgente,* ut et lib. de Nat. Deor. II. cap. 25. Nam Festus, *fulgere prisci, pro ferire dicebant.* Frustra est Aldus Manutius, *Quæsit. per Epist.* I. 5. BUHER.

Cap. 19. *Comitiorum solum vitium est fulmen*] Hoc, ut videtur, apud Romanos obtinuit, quod *cum ad exercitum recensendum concionem in campo ad capræ paludem* Romulus *haberet, subito coorta tempestas cum magno fragore tonitrubusque, tam denso regem operuit nimbo, ut conspectum ejus concioni abstulerit, nec deinde in terris Romulus fuit.* Verba sunt Livii, lib. I. cap. 16. DAVIS.

Cum unum *haberet*] Nisi vox *unum* idem hic sonet quod *unum solum,* legendum videtur *unicum.* PEARC.

At inventum est caput in Tiberi] Caput erat Summani dei. Vide lib. 1. cap. 10. DAVIS.

Cap. 20. *Cum altrice* belua] Vox *belua* unico L. scribi debet, quamvis reclamet Festus, qui bellum a belluis dictum esse scribit, *quia belluarum sit,* inquit, *perniciosa dissensio.* Sed errat et labitur Festus; nam *bellum* dictum est a *duello,* ut *bis* a *duis.* Quin hoc, quod dico, idem Festus alibi docet. Tanta est inconstantia! Itaque qui Festi auctoritatem hac in re secuti *belluam* cum duplici *ll* scribunt, una cum Festo labuntur. Omnino nostri veteres codices semper habent hoc nomen scriptum simplici *l.* LAMB.

Prognostica nostra....aristolochiamque radicem] Res, ad quas hic respicit, extant supra, lib. I. cap. 7, 8, 9, 10. DAVIS.

Cap. 21. *Aut æra legum de cœlo tacta, quid habent* observatum ac vetustum?] Cum merito displicuerit doctis illud *ac vetustum,* Davisius legit *ac animadversum.* Ego aliter sententiam puto refingendam esse. Fortasse Cicero scripsit, *aut æra legum* vetustarum *de cœlo tacta quid habent* observandum? Hic vocat *leges vetustas,* ut in I. 2. dixerat *elapsæque vetusto numine leges.* Lego etiam *observandum,* non *observatum,* sensu (opinor) postulante: opus est enim verbo, quod tempus post legum lapsum futurum exprimat. Sic in cap. 40. *quæ si suscipiamus.....sternutamenta erunt* observanda. PEARC.

Pinarii Nattæ nobiles: a nobilitate igitur periculum] Non video quid sibi velit istud *a nobilitate periculum:* juxta enim eorum opinionem, qui prognosticis fidebant, lapsus statuæ Nattæ, quia nobilis esset, nobilitati periculum minitabatur: non aliis periculum a nobilitate oriundum. Lego igitur, *at Pinarii Nattæ nobiles,* nobilitati *igitur periculum.* IDEM.

Periculum. Hoc tam callide.] Vict. *periculum. Hoc tamen callide.* Grut. *periculum hoc. Tam calide.*

Hoc tam callide Juppiter cogitavit] Malim, *hoc quam callide Juppiter indicavit!* Nam paulo post ait, quam *scite per notas nos certiores facit Juppiter!* DAVIS.

Venereum....Panisci] Quæ Marcus hic repetit, Quintus supra lib. I. cap. 13. dixerat. IDEM.

Cap. 22. *Mulæ partus*] Vide lib. I. cap. 18. IDEM.

Cap. 23. *Tages quidam dicitur*] Ovidius Metam. lib. XV. 553.

Haud aliter stupuit, quam cum Tyrrhenus arator
Fatalem glebam, &c. IDEM.

Deum dicam, an hominem] Tages, *Genii* fuit *filius, nepos Jovis,* si Festo credimus. DAVIS.

Cap. 24. *Quod non rideret haruspex*] Nulla Catonis facta mentione, Noster idem dictum refert lib. I. N. D. cap. 26. IDEM.

Quod referatur hoc dictum nulla

Catonis facta mentione, colligebat vir doctus, id abiise jam in proverbium. Aiebant nonnulli contumeliam hanc esse, et despectionem collegii auguralis, cujus pars erat Cato. Ita sententes inscitiæ arguit idem Criticus, eosque item omnes, quicunque augurem ab haruspice non discernunt. Aperte quidem discriminat Cicero, de Nat. Deor. II. 4. *Nostrorum augurum, et Etruscorum haruspicum disciplinam.* Augures sedem habebant Romæ; adhibebantur ad auspicia, sine quibus nihil publice, nec domi nec militiæ gerebatur. Haruspices arcessebantur ex Etruria, cum evenerat quidpiam, quo terrerentur plebis animi. Sic favebant haruspicibus augures, ut medici circulatoribus, et paganis ludionibus actores urbani. Quid mirum, si augur Cato haruspices facit ridiculos! OLIVET.

Cum a summo *haruspice*] Quod *immolanti aufugisset hostia.* Vide Suetonium in Jul. cap. 59. Cæterum menda, nisi fallor, hunc Ciceronis locum obsidet: vix enim est, ut *summum haruspicem*, hominis nomine non prolato, dixerit Noster. Legendum puto, *a* Spurinna *haruspice.* Supra lib. I. cap. 52. *Cum* Spurinna *diceret, timendum esse, ne et consilium et vita deficeret.* Adi Valerium Maximum lib. I. cap. 6, 13. lib. VIII. cap. 11, 2. et Suetonium in Jul. cap. 81. Similis quidem ductus est literarum, nominaque propria crebro temerarunt librarii. ID. Non satisfacit, quod scribit vir laudatus vix esse, ut haruspicis summi meminisset Tullius, nisi nomine illius apposito: nam haruspicis illius nomen satis celebre erat, ideoque non opus erat cur coram Quinto exprimeret illud Tullius, præsertim cum ante jam ipse Quintus haruspicem nomine significasset. Accedit porro, quod vox *summo* huic loco egregie conveniat; quippe quæ eo spectat, ut haruspicinæ vanitatem eo significantius exprimat; quod nimirum non de trivio tantum haruspices, sed eorum quidem summi falsa monerent, prædicentesque sic negligerentur, ut nihil incommodi, maximum etiam emolumentum consequeretur. WOPKENSIUS.

Ne in Africam ante brumam transmitteret] Non mirum, id fuisse monitum ab haruspice: erat quippe *religio*, inquit Donatus in Terent. Phor. IV, 4. 28. *aggredi negotium aliquod diebus decrescentibus.* Decrescunt autem dies usque ad brumam, hoc est solstitium hibernum. Videri mirum potest, quod affirmet Cicero, ante brumam profectum esse Cæsarem, qui, teste Hirtio, *De Bello Afr. cap.* 2. navem conscendit VI. *Kal. Jan.* hoc est die 27. Decembris; ac proinde non ante brumam. Nodum facile solvet, qui didicerit, eo anno U. C. 707. ita fuisse turbatam rationem temporum, ut qui dies debebat octavus esse mensis Octobris, numeraretur Decembris septimus et vigesimus. Turbationis quæ fuerint causæ, quod remedium, explicat erudite ac perspicue Dionysius Petavius, *de Doctr. Temp.* IV. 1. ANON.

Cap. 25. *Multa me consule ... commemorata dixisti*] Lib. I. cap. 11, 34, 44. DAVIS.

Non possumus intelligere] Simili vero ratione contra Genethliacos argumentatur Sextus Empiricus adv. Mathem. lib. V. §. 47. IDEM.

Cap. 26. *Nonnunquam etiam errorem creat similitudo*] D. Lamb. tribus voculis additis, rescribendum putabat *et in quibus nonnunquam;* at J. M. Bruto placebat, *in his nonnunquam etiam errorem creat similitudo.* Verum, nota parentheseos apposita, quod nos primi fecimus, nec hoc nec illud additamentum esse necessarium patet. DAVIS.

Magna stultitia est earum rerum] Qui vocem *similitudo* volunt esse sententiæ clausulam, et a voce *magna* novæ sententiæ initium duci, næ illi valde delirant, et simul plane declarant se Latini sermonis esse ignaros atque imperitos. Hic enim ordo, atque hæc sententia verborum est; magna stultitia est, deos facere effectores earum rerum, neque causas

quærere: quas res tum natura, tum casus affert, et in quibus rebus nonnunquam etiam errorem creat similitudo. Lamb.

Tu vates Bœotios] Vide supra, I. 34. et Plin. H. N. lib. X. §. 24.

Mitificato] Man. Lamb. *modificato.*

Mitificato cibo] Concocto, digesto. Sic enim dicitur, *ad mitigandum cibum*, de Nat. Deor. I. 60.

Favent faucibus russis: cantu plausuque premunt alas] Sic recte distinguit Ms. Balliol. Vulgo *favent faucibus russis cantu:* ut *favere cantu* sit *canere*, quemadmodum volunt Adr. Turnebus Advers. v. 19. et Janus Gulielmius. Sed hoc, quod cum bona doctissimorum virorum venia sit dictum, prorsus experientiæ repugnat; nam gallos intempesta nocte per omnes tantum non anni partes *tacere* norunt omnes, et vult Ennius. Vide Plinium H. N. lib. X. §. 24. *Favere faucibus*, ut *favere linguis* aut *vocibus*, silere denotat. Vide Senecam de Vita Beat. cap. 26. et Servium ad Æn. lib. V. 71. Davis.

Russis cantu, plausuque] Lamb. *russis: cantu, plausuque.*

Cap. 27. *Atratam etiam fluvium fluxisse sanguine*] Nihil agit Phil. Cluverius, qui Ital. Ant. lib. II. cap. 12. p. 752. legit *Aternum etiam fluvium:* nam Noster lib. I. cap. 43. ait, *quid quod fluvius* Atratus *sanguine fluxit?* Ii certe, quos sententiæ suæ fidejussores laudat vir doctissimus, negotium haud conficiunt: nam Livius lib. XXIV. cap. 44. tradit *flumen Amiterni* (non *Aternum*) *cruentum fluxisse.* Non igitur recepta moveatur lectio; sed *Atratus* habeatur ignobilis fluvius, qui vel exaruit, vel cujus hodie situm nescimus. Davis.

Cap. 28. *Errorem*] Lamb. *terrorem.*

Naturæ ratione depellito] Physiologia, quam *naturæ rationem* vocavit lib. I. cap. 41. Davis.

Quorum *omnium causas*] Vulgo *quarum omnium*, quod tam Latinitate, quam Mss. Balliol. flagitante, mutavimus. Idem.

Cap. 29. *Duobus anguibus*] Vide lib. I. cap. 18. Idem.

Mors insecuta Gracchum *est*] Hanc lectionem constanter tenent omnes Mss. Legendum tamen censeo, *mors insecuta* Gracchi *est;* nam inepta videtur mortis προσωποποιΐα, ut ea, tanquam telis armata, fugientem Gracchum a tergo sequeretur. Idem.

Unquam] Vict. *nunquam.*

Ex passerum numero belli Trojani annos auguratum] Iliad. B. 299.

Loquitur Agamemnon] Immo Ulysses. Ciceronis μνημονικὸν ἁμάρτημα. Vide Politianum Miscell. c. 53.

Cap. 30. *Aurigeris....tauris*] Ita loquitur, quod victimarum cornua deaurare soliti sint veteres. Davis.

Quæ jam matura videtis] Quæ videtis instare et propinqua esse, prout recte Turnebus Advers. lib. V. cap. 19. Davis.

Syllæ apparuit immolanti] Vide lib. I. cap. 33. Idem.

Cap. 31. *Midæ.... Platonis.... Roscio*] Supra lib. 1. cap. 36. Idem.

Ubi ad focum angues nundinari *solent*] Ita sane Paris. Med. Reg. Cantab. aliique plures Mss. Sed qui vim potestatemque *nundinandi* probe novit, ille quidem id *verbum* huic loco non convenire statim perspiciet. Ea propter D. Lambinus et amicus Ursini reponunt *nidulari.* Siquidem vero Pall. tert. quart. et Balliol. exhibeant *nudari;* haud, opinor, incommode rescribas, *videri solent.* Certe non absimilis est literarum ductus. Ad receptam autem lectionem, quæ multis codd. nititur; quam proxime legi queat, *ubi ad focum angues* meridiari *solent.* Nec forsan hæc displicebit conjectura. Davis. Sed mihi quoque meam suspicionem proferre liceat. Lambini quidem conjecturam vero propinquiorem, quam reliquas lectiones existimo: non tamen sic placet animo meo, quin mutatione levissima sic potius rescripserim, *ubi ad* forum *angues nundinari solent.* Vult nempe Tullius angues in Solonio *res* esse *quotidianas*, ut loquitur supra cap. 29. quoniam quotidie pub-

nec in foro, ubi venales extarent, viderentur. Wopkens.

Flaminiana ostenta] Vide supra, lib. 1. cap. 35.

Dionysii equus..... Lacedæmoniis in Herculis fano] Lib. 1. cap. 33. 34.

Cap. 32. *At in Lysandri*] Vide lib. I. cap. 34.

Ita aqua Albana deducta ad utilitatem agri, &c.] Lambinus asterisco notavit aliquid ante hæc verba deesse. Credo, quia verba præcedentia *illa prædicta* ipsi viderentur carere verbo, quocum cohærerent. Davisius, cum sententiam se non satis tueri videret, sic illam refinxit, *ita aqua Albana deducta:* Aqua Albana deducta *ad utilitatem*, &c. Mihi vero locum contemplanti, in mentem venit Ciceronem sic scripsisse. *Nam* illo prædicto *Veientium, si lacus Albanus redundasset, isque in mare fluxisset, Romam perituram; si repressus esset, Veios*, aqua Albana deducta. *Ita aqua Albana deducta* non *ad utilitatem agri suburbani*, sed *ad arcem urbemque retinendam.* Ironice hæc dici videntur, cum Cotta censuerit illam aquæ deductionem factam esse potius ad utilitatem agri suburbani, quam urbis Romæ servandæ causa. Pearcius.

Aius.... Moneta] Vide supra, lib. I. cap. 15.

Cap. 33. *Augurandi scientiam. Errabat enim multis in rebus antiquitas, quam vel*, &c.] Ita Davisius, (cujus annotatio proxime sequitur) locum interpunxit, ut credas vocem *quam* referri debere voci *antiquitas.* Aliter tamen interpungenda est sententia ad hunc modum, *augurandi scientiam (errabat enim multis in rebus antiquitas) quam vel usu jam, vel doctrina, vel vetustate immutatam videmus.* Sensus est, *quam augurandi scientiam immutatam videmus.* Idem.

Quam vel usu jam, vel doctrina, vel vetustate immutatam *videmus*] Sic vulgo dant, ac ita codices. Pronomen tamen ad *antiquitatem* referri nequit; sed ad *res* spectet necesse est. Quapropter cum Cl. Clerico reponendum, *quas vel usu jam, vel doctrina, vel vetustate immutatas*, &c. idque recepi. Vide doctissimi viri Biblioth. Ant. et Hodiern. Tom. XV. Davis.

Cap. 34. *Id enim silentium dicimus*] Festus in *silentio surgere: Est proprie* silentium *omnis vitii in auspiciis vacuitas.* Idem in *sinistrum: Sinistrum in auspicando significare ait Ateius Capito lætum et prosperum auspicium; at* silentium, *ubi duntaxat vacat vitio.* De hoc vero, aliisque, quorum Tullius hic meminit, verbis solennibus, vide B. Brissonium de Form. lib. I. p. 124. 125. Idem.

Terram pavire] *Pavire* ferire denotat, ut observavit Festus in *puls.* Id.

Tripudium solistimum nuntiatur] Vulgo *nuntiant*, et sic omnes nostri codices. At auspicanti unus tantum aderat, quapropter legendum *nuntiatur*, prout editio Victoriana repræsentat. *Tripudium* vero *solistimum*, felicissimum videbatur auspicium. Festus in *puls: Puls potissimum dabatur pullis in auspiciis, quia ex ea necesse erat aliquid decidere, quod tripudium faceret, id est, terripavium.... Bonum enim augurium esse putabant, si pulli, per quos auspicabantur, comedissent; præsertim si iis edentibus aliquid ab ore decidisset.* Quin et *tripudium solistimum, auspicium ad rem ordiendam optimum esse* docet Servius ad Virgilii Eclog. VIII. 30. Idem.

Cap. 35. *Tib. Gracchi literis*] Hanc rem tetigit Noster lib. I. de Divin. cap. 17. et fuse narravit lib. II. N. D. cap. 4. Valerius Maximus lib. I. cap. 1. 3. Adi sis et Plutarchum in Marcello p. 300. quem locum tentat B. Brissonius Form. lib. I. p. 120. Davis.

Cap. 36. *Nec amnes transeunt auspicato...ex acuminibus*] Cicero N. D. lib. II. cap. 3. *Nulla peremnia servantur, nulla ex acuminibus.* De auspiciis vero peremnibus, iisque, quæ ex pilorum militarium capta sunt acuminibus, adi Jos. Scaligerum ad Festum in *peremne*, et J. C. Bulengerum de Sortibus lib. II. cap. 6. Id.

Ne impediretur auspiciis, lectica operta facere iter se solere] Nam, pro augurum sententia, *nulla ista signa sunt, nisi consensus observantis accedit.* Vide Augustinum de Doct. Christ. lib. II. cap. 24. *In augurum certe disciplina constat, neque diras, neque ulla auspicia pertinere ad eos, qui quamque rem ingredientes, observare se ea negaverint*, ut tradit Plinius H. N. lib. XXVIII. §. 4. Idem.

Juge auspicium] Hoc fit, *cum junctum jumentum stercus fecit*, quemadmodum testatur Festus. Vide sis et Servium ad Æn. III. 537. Idem.

Cap. 37. *Quod negas Dejotarum*] Vide lib. I. cap. 15.

Trogmorum] Vulgo *Troginorum*. Sed cum talis populus nullus sit, id reposui quod ductus literarum suadebat, quodque sub isto vocabulo latere suspicati sunt viri docti. Vide Chr. Cellarium Geogr. Ant. III. 4. Davis.

Asseclæ suo Pergameno nescio cui] Mithridati Pergameno, quem *regio genere ortum, disciplinis etiam regiis educatum* scribit Hirtius Bell. Alex. cap. 78. Idem.

Cap. 38. *Romuli....Navii*] Vide lib. I. cap. 17.

Exaratum puerum] Tagem, de quo supra, I. 13.

Divinitatis *auctores*] Vir eruditissimus Joan. Clericus Bibl. Ant. et Hodiern. Tom. XV. p. 366. legit *divinæ artis*, vel *divinationis, auctores;* et *divinitatis auctoribus* nullam prorsus mentem subesse statuit. Merito quidem, si *divinitas* hic *deitatem* seu θειότητα denotaret. Sed reapse *divinitas* divinationem significat; ut tentari non debuerit locus. Servius ad Georg. II. 486. *Non quod nulla gloria medicinæ est, sed quod minor quam* divinitatis *et augurandi, quæ ei Apollo obtulerat munera.* Idem ad Æn. XII. 394. Cithara *et* sagittæ *artes sunt;* augurium *vero munus: non enim sola arte, verum etiam indulta* divinitate *colligitur.* Vide Lactantium Div. Inst. lib. I. cap. 11. 10. et cap. 13. et. 1. Idem.

Cap. 39. *At Homerius Ajax*] Immo Ulysses, ut jam animadverterunt aliquot viri docti. Sunt enim Ulyssis verba Iliad. I. 236. Lamb.

Ita nobis sinistra] Res est sat nota. Vide Varronem apud Festum in *sinistræ aves*, Plinium H. N. lib. II. cap. 54. Statium Theb. III. 493. et Servium in Virgilii Æn. II. 693. Rationem reddit Dionysius Halicarnasseus lib. II. cap. 5. Vide sis et Plutarchum in Quæst. Rom. Plura suppeditabit J. C. Bulengerus de Ausp. et Aug. lib. III. cap. 2. Davis.

Graiis et barbaris dextra meliora] Pluribus id exponit Everh. Feithius Antiq. Homer. lib. I. cap. 16. Id.

Quæ bona sint, sinistra nos dicere] Non equidem sperno Lambini conjecturam, qui reposuit *quæ mala sunt, sinistra nos dicere:* nam rem se sic habere docent permulta veterum loca. Ovidius Heroid. II. 115.

Cui mea virginitas avibus libata sinistris.

Puto tamen Ciceronem scripsisse, *quæ bona sunt*, dextra *nos dicere, etiam si* sinistra *sint:* hac enim ratione melius connectuntur sententiæ. Id.

Cap. 40. *Æmilia Paulo....omen comitiorum*] Horum omnium meminit Quintus supra lib. I. cap. 45. 46.

Cauneas] Scribendum *Caunæas*, quod exauditum est, *Cave ne eas*, Caunæ, Æolidis oppidi nomen: Caunius, alius oppiduli in Caria. Fit a Καῦνος, Καύνιος; at Καυναῖος a Καῦναι. Casaub. in Athen. III. 3. Super hanc vocem in Ms. Regio scribitur, *quasi cave ne eas.* Hoc omen memorat etiam Plinius H. N. lib. XV. §. 21. Davis.

Cap. 41. *Quod micare*] *Sortiri*, et *micare*, non aliter differunt, quam ut genus et species. Sortitionis varii erant modi: et *micare* de ea dicitur, quæ fit per digitos subito expansos certo numero, &c. Casaub. ad Suet. Aug. cap. 13.

Fortunæ monitu tolluntur] Capitis nutu vel alio quodam signo miscendas atque tollendas esse sortes monuit Fortunæ simulacrum. De Prænestinis aliisque sortibus adiri poterit

Ant. Daleus de Divin. Idol. sub V. T. cap. 4. DAVIS.

Quod *Carneadem*] Legendum videtur *quo Carneadem*, hoc est, quare, quam ob causam. Vide Donatum ad Terentii Andr. Act. II. Sc. V. 18. Rationem continet ea vocula, cur fortunam Prænestinam Carneades fortunatissimam dixerit. ID. Legebat vir cl. *quo Carneadem*, &c. idque *quo* explicabat ut esset *quare, quamobrem*. Dubito sane, an sic Ciceronis seculo loquerentur Romani; et quidquid illud sit, non potuit hoc ex Donato probari. Simili in loco occurrit relativum *quod*, de Nat. Deor. lib. II. c. 9. *refrigerato... calore... extinguimur. Quod quidem Cleanthes... docet, quanta vis insit caloris in omni corpore.* Ubi Lambinus volebat *Et quidem*, Davisius *Quid quod Cleanthes docet*, &c. Sed passim fit, ut pronomen, quod sit ad antecedentia aliquo modo referendum, sic per pleonasmum quendam explicetur in sequentibus. Supra lib. I. c. 25. *Quod idem in delectu consules observant, ut primus miles fiat bono nomine.* Acad. lib. II. cap. 17. *Quod idem contingit insanis, ut et incipientes furere, sentiant*, &c. de Nat. Deor. lib. II. 9. *Quod etiam quibusdam regionibus atque urbibus contingere videmus, ut sint hominum ingenia*, &c. de Finibus lib. III. cap. 2. *Quod cum accidisset, ut alter alterum nec opinato videremus, surrexit statim.* Ubi Lambinum vide, quem tamen falli vereor, dum scribat *quod* hic poni pro *sed* seu *autem*, itaque statuere videatur *quod* non pronomen esse in his formis, quod tamen revera est, sed conjunctionem. WOPKENS.

Cap. 42. Archelaum *et Cassandrum*] Victorius edidit *Anchialum*, quam quidem lectionem servant etiam Paris. Med. et Reg. DAVIS.

Ea illi triangula et quadrata nominant] Hæc elucidabit Sextus Empiricus adv. Mathem. lib. V. §. 39. Vide Manilium lib. II. et Censorinum de die Nat. cap. 8. IDEM.

Etenim cum tempore anni *tempestatumque cœli conversiones commutationesque tantæ fiant*] Hæc natatore quidem Delio carent: sed, ut opinor, in librarios a Cicerone culpa est transferenda. Mss. Reg. et Cantab. exhibent, *cum* tempore anni *cœli conversiones tempestatumque commutationes tantæ fiant accessu stellarum et recessu.* Unde, nisi fallor, legendum, *cum cœli conversiones, tempestatumque commutationes tantæ fiant accessu stellarum et recessu;* deleto prorsus *tempore anni*, quod sensum turbat, et margini primitus adscriptum videtur; ne *tempestatum* nobis lateret potestas. Auctoris sane mens hoc modo plana fit et aperta. IDEM.

Cap. 43. Qualis *quisque naturæ*] Vulgo *qualis quisque natura;* nec aliter fere nostri. Editi veteres *qualis quisque natura.* Multo quidem commodius: sed cum Med. exhibeat *qualis quisque naturæ*, sic scripsisse Cicero videtur. IDEM.

Procles *et Eurysthenes*] Cum primus horum, Straboni [cui Plutarchus in Lycurgo p. 40. addi potest] Πατροκλῆς nuncupetur; conjicit Ursinus, ex compendiaria scribendi ratione natum esse *Proclem.* Sed inanis est ea suspicio: hunc enim *Proclem* appellant non modo Noster et Herodotus, sed Pausanias etiam in Lacon. cap. I. Apollodorus Bibl. lib. II. §. 2. 4. Porphyrius de Abstin. lib. I. §. 25. aliique: ut ex iis emendandos esse Strabonem et Plutarchum multo sit verisimilius. De Procle et Eurysthene videas licet Joan. Meursium Regn. Lacon. cap. 10. 15. IDEM.

Cap. 45. *Parumne* declarant] Legendum puto *declarat*, licet in tuenda vulgata consentiant libri. DAVIS.

Cap. 46. Aut *quorum linguæ sic inhærerent*, &c.] Ut se jam habet sententia, id quod sequitur de *linguis scalpello resectis* dicitur quasi quiddam *ab arte atque medicina* diversum: at quis credit Ciceronem hoc voluisse? Libenter cum Davisio lego in præcedentibus *aut natura* vice *a natura*, totamque sententiam sic reformandam esse censeo, *illudne dubium est, quin multi restituerentur et corri-*

gerentur aut *natura, cum se ipsa revocasset, aut arte atque medicina,* ut *quorum linguæ sic inhærerent, ut loqui non possent, eæ scalpello resectæ liberarentur?* Verba posteriora mihi videntur afferri velut exemplum ejus quod restitui et corrigi possit arte atque medicina. PEARC.

Cum rho *dicere nequiret*] Eleganter Cicero de Orat. lib. I. cap. 16. *Cum ita balbus esset Demosthenes, ut ejus ipsius artis, cui studeret, primam litteram non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius eo locutus putaretur.* Inter alios, idem memorant Valerius Maximus lib. VIII. cap. 7. 1. Plutarchus in Demost. et ex eo Photius Cod. CCLXV. col. 1471. DAVIS.

Cap. 47. *Necesse est etiam in rebus inanimis: quo*] Vict. *necesse est non in hominibus solum, verum in bestiis etiam: quo—*

Natalem diem repetebat] Is dies erat undecimus ante Kalendas Maias, ut narrat Plutarchus in Romulo, eodemque loco hunc Tarutium commemorat. LAMB.

Parilibus] A Pale pastorum dea, immutata littera L. dicta sunt Parilia, quæ sacra in honorem ipsius deæ celebrabantur XII. Kal. Maii, qui Romæ natalis dies fuit. A. MAN.

In jugo cum esset luna] In signo Libræ, quæ duas fingitur habere lances transverso veluti jugo pendulas. Quod etiam instrumentum Justitiæ symbolum tradunt. IDEM.

Cap. 50. *Et quidem cur sic opinetur, rationem subjicit*] Ea ratio fuit,

> *Nam si curent, bene bonis sit, male malis;*
> *quod nunc abest.*

Vide Hieronymum Columnam ad Ennii fragm. DAVIS.

Cap. 53. Præsumptio *tamen, quam* πρόληψιν] Ni fallor, legendum est, *Assumptio tamen, quam* πρόσληψιν, &c. sequitur enim, Assumit *autem Cratippus hoc modo;* et paulo post, *jam assumptione non concessa, nulla conclusio est.* PEARCIUS.

Cap. 54. *Quorum interpres*] L. Cotta; de quo Suetonius in Julio Cæsare his verbis: *Percrebuit fama L. Cottam* XV. *virum sententiam dicturum, ut, quoniam libris fatalibus contineretur Parthos nisi a rege non posse vinci, Cæsar, rex appellaretur.* Ex quo Ciceronis locus illustratur, et simul intelligitur, libris Sibyllinis interpretandis XV. viros præfuisse. P. MANUT.

Cum deinceps ex primis *versus litteris aliquid connectitur*] Davisius putat legendum esse *ex primis* versuum *litteris;* ego vero, *ex* primi *versus litteris,* &c. Rationem meæ conjecturæ videbit lector in nota sequenti. PEARC.

Atque in Sibyllinis ex primo versu cujusque sententiæ primis litteris, &c.] Davisius secutus conjecturam Aurati et Ms. Puteanum, censet legendum esse *ex* primis versuum *cujusque sententiæ litteris,* &c. At nihil mihi videtur mutandum esse. Constructio enim est; ex primo versu cujusque sententiæ carmen omne illius sententiæ prætextitur primis litteris: et sensus loci hujusmodi videtur esse: litteræ, quæ constituunt primum versum cujusque sententiæ, (quæ sententia ex certis quibusdam versibus idem argumentum spectantibus constat) sunt initiales litteræ omnium eorum versuum, qui in ista sententia continentur. IDEM.

Sibyllam quidem sepositam et conditam habeamus, ut, id quod proditum, &c.] Quemadmodum se nunc habent verba, Tullio fuit in votis, ut oracula Sibyllina conderentur, *quo* valerent ad religiones deponendas: quod ejus menti prorsus est contrarium. Lego, *Sibyllam quidem sepositam et conditam habeamus; ut id quod proditum est a majoribus, injussu senatus ne legantur quidem libri; valeant quippe ad deponendas,* &c. Vide J. A. Fabricium Bibl. Græcæ lib. I. cap. 31. 6. DAVIS.

Cap. 55. *Jamque mari magno*] Vide lib. I. cap. 31.

Eheu videte] I. 50.

Remex ille] I. 32.

Cap. 56. *Qui umbilicum certum terrarum* obsides] *Obtines* est in manuscripto, et ita scriptum est apud Varronem in libris de lingua Latina. URSIN. *Umbilicum terrarum* Delphos vocat, quod ea urbs ὀμφαλὸς γῆς seu in medio terrarum sita videbatur. Euripides, *Orest.* 590. et *Phœniss.* 244. Adi Casaubonum ad Strabonis IX. p. 642. Aut *umbilicus* est *quod vocant Delphis in æde foramen*, ut auctor est Varro de lingua Lat. lib. VI. DAVIS.

Aio te, Æacida] Versus est Ennianus de Pyrrho Epirotarum rege: scribit enim Pyrrhum Ennius in Annalibus Apollinem consuluisse de belli eventu, quod adversus Romanos erat gesturus; hocque responsum tulisse. TURNEB. Quo sane in versu occurrit ambiguitas, nescias enim utrum Pyrrhus oriundus ab Æaco Romanos victurus sit, an Romani Pyrrhum oriundum ab Æaco victuri sint. CAPPERON. in Quintilianum, lib. VII. cap. 9.

Ne Epicurum quidem] Quem *hebetem et rudem dicere solent Stoici.* Vide supra cap. 50. DAVIS.

Cap. 58. *Hac igitur mentis* et ipsius divinitate, *et conjunctione cum externis mentibus*] Corruptus est locus, quem emendare conati sunt ipsi librarii. Nam Reg. et Cantab. exhibent, *hac igitur mentis et ipsius* divinitatis *conjunctione cum externis mentibus.* Licet autem non adeo tardi fuerint scribæ, quin vitium quoddam subesse probe viderent, ei tamen tollendo non erant. Mihi rescribendum videtur; *hac igitur mentis et* divinitate, et ipsius *conjunctione cum externis mentibus, cerni quæ sint futura.* Ita, levi mutatione, clara perspicuaque fiunt omnia. DAVIS.

Pythagoras] I. 29. 30.

Ut Democritus censet] Democritus τοὺς ὀνείρους γίνεσθαι κατὰ τῶν εἰδώλων παραστάσεις voluit, ut auctor est Plutarchus de Plac. Phil. lib. V. c. 2. Idem philosophus *nullam aliam causam cujuslibet cogitationis nostræ* opinabatur, *nisi cum ab his corporibus, quæ cogitamus, veniunt atque intrant imagines in animos nostros.* Verba sunt Augustini Epist. LVI. quæ est novissimæ editionis CXVIII. Vide Nostrum lib. I. de Fin. cap. 6. et infra cap. 67. IDEM.

Cap. 59. *Neptunus* gubernantibus *non potest*] *Gubernationis* pro *gubernantibus* est in antiquo, quod magis placet. URSIN. Nondum tamen, ut opinor, bene se locus habet: nam subintelligas oportet *curationem*, quæ videtur incommoda locutio. Lego, *Neptunus* gubernationem *non potest?* Gubernatio *gubernandi artem* denotat, ut loquitur Noster I. 14. IDEM.

Cap. 60. *Ex somniis*] Licet hasce voces agnoscant libri, tamen eas irreptitias esse puto, glossematisque damnandas, quippe quæ sensum turbant. Idem, nisi fallor, cuivis locum perpendenti videbitur. DAVIS. Male omnino ante ista, *ex somniis*, virgulam ediderunt, qui duas istas voces ad τὸ *intelligunt* referendas existimarunt. Tollenda est illa distinctio, quandoquidem voces illæ, quibus haud justa νοθείας incumbere videtur suspicio, construendæ sunt cum præcedente pronomine *quid;* ut *quid ex somniis*, sit, quæ pars somniorum. WOPKENS.

Cap. 64. *Illi vero. Nimis etiam*] Sic restitui; nam vulgata lectio, *ille vero, nimis etiam*, ferri non potest. Sententia autem hujus, quam reposui, scripturæ, hæc est. Illi vero, scilicet obscuri sæpe sunt. Nimis etiam obscurus est Euphorio. LAMB. De Euphorione quidem egerunt Is. Casaubonus ad Suetonii Tiber. cap. 70. et G. J. Vossius de Poet. Græc. Porro ne quid dissimulem, me male habet *ille*, nec, ut opinor, Lambino placuit; quapropter vir ille doctus rescripsit, *illi vero. Nimis etiam obscurus Euphorio.* Forsan scribendum; *immo vero nimis etiam obscurus Euphorion.* DAVIS.

Cochleam dicere] Verbum ultimum inducebant viri insignes (Lambinus, et Davisius) quod ipsis importunum esse, structuramque turbare videre-

tur. Mallem ego quidem reponere, *diceret*. Sed, cum infinitivi haud raro sedem occupent substantivorum, hic forte talis est, ut illum sollicitari non liceat. WOPKENS.

Non intelligimus nisi aperte dixeris] Versus est Pacuvianus: quare legendum *non intelligimus; nisi si aperte dixeris*. Si modo sit opus, illius locutionis exempla suppeditabit Nic. Heinsius ad Ovidii Heroid. IV. 111. DAVIS.

Cap. 66. *Megaris...de Simonide*] Vide lib. I. cap. 27.

Qui, *cum Ptolemæus*] Paris. et Med. *quod cum Ptolemæus*. Sed et hæc et illa vocula prorsus supervacanea. Lege, *quod a te præteritum esse miror* quidem. *Cum Ptolemæus*, &c. IDEM.

Draco is, quem mater Olympias alebat] Iis in locis vulgo cicurabantur dracones, ut patet ex Luciano in Pseudomanti. Vide sis et Is. Casaubonum ad Suetonii Tiberium cap. 72. IDEM.

Matris Phalaridis...jubente monumentum] Hæc omnia fuse narrantur lib. I. cap. 20. 23. 24. 26. 28. DAVIS.

De merso me] Victorius edidit *demerso me*. Lambinus rescribendum conjecit *de demerso me*. Forsan legendum *de emerso me*: ut *emersus e flumine* dicitur infra cap. 68. IDEM.

Cap. 67. *Et corpore*] *Membris* ante nominatis, *corporis* mentionem facere prorsus est supervacaneum: corpus enim constituunt et componunt membra. Cum igitur hæ voces in Reg. et Cantab. non compareant, eas omnino delendas censeo. IDEM.

Cap. 69. *Pleni enectine simus*] Legendum puto, *pleni enectine* famè *simus*: sic enim locutus est supra hoc eodem libro cap. 35. *Nunc vero inclusa in cavea, et famè enecta*, &c. LAMB.

Visus est in somnis amicæ esse amictus amiculo] Idem somnium memorant Valerius Maximus lib. I. cap. 7. 9. extern. Plutarchus Tom. I. pag. 213. et Suidas in Ἀλκιβιάδης. Historiam refert Hieronymus in Jovin. lib. I. DAVIS.

Retulit] Lamb. *Ad conjectorem retulit*.

Cap. 71. *Cum mendaci homini, ne verum quidem dicenti credere soleamus*] Sensum flagitare putabat Davisius, ut legatur, *credere* non *soleamus*. Mihi quidem negativum, incolumi sensu, desiderari posse videtur: quis enim illud requireret, si scriptum videremus, *cum mendaci homini ne tum quidem credere soleamus, cum verum dicit?* quo tamen eodem, si recte videam, ista lectio, quam jam præ oculis habemus, recidit. WOP.

DE FATO.

PRINCIPIUM DEEST.

ARGUMENTUM.

Perscriptis jam tribus a Cicerone de Natura Deorum libris, absolutaque de Divinatione duobus libris disputatione, nunc quæstionem de Fato adjungit, ut totus ille philosophiæ locus pertractatus sit. Pertinet autem, ut ait, ad partem illam philosophiæ, quæ hominum mores studiaque conformat. Erant autem duæ apud philosophos affines et propinquæ scholæ: de quibus magnis contenti-

omnibus altercabantur; una περὶ εἱμαρμένης, id est de Fato, quæ ad mores pertinebat: altera περὶ δυνατῶν, id est de eo quod fieri potest, aut non potest, quæ ad dialecticam spectabat. Utraque quæstio eum ad scribendum impulit. Est autem hæc continuatio sine principio, ut totus liber lacerus et mutilus et laciniosus passim est. Neque enim mihi persuadere possim, quia *primordium libri apud Ciceronem esse. Suspicionem auget, quod in libris scriptis sic reperi:* Quia pertinet ad mores, quos ἦθος illi vocant: *ut aliquid antecessisse verisimile sit. Nam ad absolutionem sententiæ aliquid deest: verbi gratia:* De fato nobis scribendum est, quia pertinet ad mores. *Pertinet autem hæc quæstio ad mores, quia, si fatum est, cum in nostra potestate nihil relinquatur, nullus vel laudi, vel vituperationi locus erit; neque nobis ulla libera susceptio, aut voluntarium officium supererit, nulla præceptio proderit.* TURNEBUS.

Cap. 1. *Moralem*] Nomen istud, ut novum et insolens, reformidat: tum enim primum novabatur. TURN.

Vis ratioque enuntiationum] Qua de re parum inter Chrysippum et Diodorum conveniebat, quemadmodum Cicero scribit in Epistola quadam ad Varronem lib. IX. Fam. Epist. IV. Περὶ δυνατῶν *me scito* κατὰ Διόδωρον κρίνειν: *quapropter si venturus es, scito necesse esse te venire: sin autem non es,* τῶν ἀδυνάτων *est te venire. Nunc vide, utra te* κρίσις *magis delectet.* Χρυσιππειανe, *an hæc quam noster Diodorus non concoquebat. Sed de his etiam rebus, otiosi cum erimus, loquemur. Hoc etiam* κατὰ Χρύσιππον δυνατὸν *est.* Locus autem intelligendus est de iis enuntiationibus, quæ de futuro aliquid, cujus necessarius eventus esse non videtur, pronunciant, ut *sedebis, non sedebis:* et in proximo exemplo, *de iis rebus loquemur:* ut, si quis locum propius perspiciat, is statim nihil a Cicerone commissum intelligat. De iis autem pronunciatis sic judicabat Diodorus, ut id solum fieri posse diceret, quod aut esset verum, aut futurum esset verum, ut, quicquid futurum esset, id fieri necesse esset: quicquid futurum non esset, id fieri non posset: Chrysippus autem ab eo dissentiens, quæ non essent futura, posse tamen fieri dicebat. IDEM.

Ἀξιώματα] Vocabulum Stoicum. Stoicorum enim dialectica Ciceronis ætate florebat. IDEM.

Totaque est λογικὴ] Id est, tota istius περὶ δυνατῶν quæstionis explicatio dialectica quædam est. Locus etiam iste ab Aristotele in libro de Interpretatione tractatur. Idcirco autem istam περὶ δυνατῶν controversiam adhibet, quia ad fati confirmationem sumptum Stoicorum erat, omnem enuntiationem veram vel falsam esse: quod in futuro non ita enucleate dilucideque cernitur. IDEM.

Quod autem] Disputatio ista Academica est contra propositum, instituto Arcesilæ, ut in Tusculanis disputationibus. Academici autem certamen cum Stoicis potissimum susceperant, quorum illa tempestate philosophia percrebruerat. Hoc libro Cicero contra eos disserit, et firmamenta, quibus fatum esse probant, evertit. Nec vero ejus in eam partem accipienda argumentatio est, quasi fatum non esse affirmet, (quod quidem longe ab Academicorum dubitatione abest) verum ex iis, quæ Stoici afferunt, ad liquidum non probari. Quod si quis isti sermoni interfuisset Stoicæ rationis peritus et æmulus, disputationem instituisset, ut fecit in libris de Natura deorum, et de Divinatione: in quibus perpetua in utramque partem explicatur oratio. Hirtius autem, qui quæstionem ad quam audiret posuerat, institutionis alioqui Stoicæ non admodum fortasse ignarus, aut certe non æmulus, ex fatali calamitate, ut opinor, reipub. Romanæ in eum sermonem devenerat, ut diceret fato geri et evenire propemodum omnia sibi videri, et de fato quid Cicero sentiret, audire se velle. Contra quam sententiam Cicero disputat. IDEM.

In Puteolano] Id est fundo, quem

in agro Puteolano habebam. Hæc igitur disputatio in Puteolano Ciceronis habita est, ut in Varronis Cumano Academicæ disputationes disceptatæ. Alias etiam villas, Formianam, Pompeianam, Tusculanam possidebat. IDEM.

Hirtiusque] Consul designatus cum Pansa. Ejus litteratura *t*, non *c* postulat, cum ab *hirto* deducatur. Proinde a Dione et Xiphilino Ἵρτιος vocatur. IDEM.

Cap. 2. *Aliquid audire*] Aliquam suam scholam et disputationem de philosophia. Auditor Hirtius erit, non disputator. IDEM.

Vel audire] Ut lubet, vel me dicentem audies, vel ipse declamabis: nam apud eum Hirtius et Pansa declamitabant, quos grandes prætextatos appellare solebat. Hirtium et Dolabellam discipulos suos in epistola quadam ad Papirium Pætum vocat, IX. Fam. 16. IDEM.

Genere philosophiæ] Cum Academia nova, quæ contra id, quod se quisque sentire dicat, disputaret. Lib. III. de Orat. cap. 19. tradit, oratori conjunctissimam esse philosophiam Academicam et Aristoteleam, reliquas ei non necessarias. TURNEB.

Rhetorica] In neutro genere, ut *dialectica, mathematica, physica* dicere sæpenumero solet. IDEM.

Contra propositum] Nam cum certi nihil esse dicerent Academici, quod aut sensibus, aut animo percipi posset, aspernarenturque omne animi et sensuum judicium, reliquum erat, ut contra aliorum sententias disputarent. Ita sublata perceptione, contra propositum jam inde ab Arcesila disputare cœperant. IDEM.

Tusculanæ] *Disputationes* potius quam *quæstiones* inscribi debent, ut ex hoc loco perspici potest, vel *Tusculanæ* potius simpliciter, ut a Nonio semper citantur. IDEM.

Romanum hominem] Nam Græcorum philosophorum istæ disputationes erant, non hominum Romanorum, qui non tantopere in philosophia versati erant. IDEM.

Proinde ordire] Plurima hic deesse nemo non videt. Abest enim propositio Hirtii, multaque Stoicorum firmamenta fatum probantia: quæ tamen, quia hodieque apud Plutarchum extant, plurimumque Ciceroni sic trunco ac mutilo lucis afferre possunt, a me subscribentur. *In adversario genere*, inquit, *prima ac præcipua captio videtur esse*, nihil absque causa fieri, sed omnia fieri antecedentibus causis: *altera*, mundum administrari natura, ipsum sibi consentientem et conspirantem: *tertia*, *testimonium quoddam potius videtur esse. Advocatur enim primum divinatio, quæ cum hominum opinione floret, tum in deo opt. max. re vera viget. Deinde in iis quæ eveniunt, sapientium hominum approbatio, omnia recte ordineque fieri prædicantium. Postremo pervagatum illud*, pronunciatum omne verum vel falsum esse. Ista enim capita disputationis Stoicæ erant, quæ, ut captiosa Plutarchus censet, ita a Cicerone hic refutantur. IDEM.

Cap. 3. *Consideramus hic *** quorum*] Sic edidimus, ut indicaretur hiatus: aliquid enim manifesto deest. DAVIS. Hic autem Cicero refutat Stoicorum argumentum, quod ex continuatione conjunctioneque naturæ, quam συμπάθειαν vocant, ad fatum probandum afferebant: sic enim ratiocinabantur. Partes omnes mundi naturali cognatione teneri inter se conspirantes et copulatas: proinde seriem esse causarum perpetuam, vi sese quoquoversum diffundente et propagante quadam contagione, et parte parti respondente. Cicero lib. II. de Divin. cap. 15. *Qua ex conjunctione naturæ, et quasi concentu atque consensu, quam συμπάθειαν Græci appellant, convenire potest fissum jecoris cum lucello meo?* TURNEB.

Antipatro] Plinius lib. VII. c. 51. *Antipater*, inquit, *Sidonius poeta omnibus annis, uno die tantum natali, corripiebatur febre, et eo consumptus est satis longa senecta.* Idem scribitur a Valerio lib. I. cap. 8. 16. extern. IDEM.

In brumali die] Id est bruma. Plinius lib. II. cap. 41. *Floret ipso brumali die suspensa in tectis arentis herba pulegii.* Cicero de Divin. lib. II. cap. 14. *Pulegium aridum florescere ipso brumali die*, quod ad contagionem refert. Exemplum autem quoddam a Posidonio fuerat inductum, in quo valuisse dicebat vim sideris brumalis, eventu in illis hominibus testatam, quod, verbi gratia, frigidis morbis obnoxii fuerint. Idem.

Ægrotantibus fratribus] *Quos idcirco*, ut Augustinus lib. V. de Civitate Dei cap. 2. 5. scribit, *geminos esse conjecerat Hippocrates, cum id ex constitutione et affectione cœli fataliter evenire Posidonius postea interpretatus sit.* In libris, ut reor, de Natura. Idem.

In urina, in unguibus] Medici ex quibusdam rebus et advenientes et ingravescentes morbos provident, et multas valetudinis secundæ et adversæ significationes et indicia habent; ex urinaque multa augurantur: interdum et ex unguibus. Quæ signa Stoici ad consensionem naturæ seriemque causarum consertarum referenda censebant. Idem.

Naturæ contagio] Συμπάθεια, id est, consensio convenientiaque naturæ, quæ tanquam contactu afficit. Negat autem ex contagione naturæ, quam concedit, fatum probari. Idem.

Ut in illo naufrago] Posidonius homini cuidam, cujus nomen ne ipse quidem posuerat, prædictum fuisse scripserat, in aqua esse pereundum: is autem naufragium fecit, et in rivo postea lapsus est: aut, cum ei naufragium letumque ex aqua prædictum esset, in rivo lapsus est. Idem.

Icadio] Icadium *sævissimum piratam* fuisse (piratam enim hic prædonem Cicero vocat) scribit Sext. Pompeius. Εἰκάδιον, nisi fallor, Suidas vocat. In ejus crura ex spelunca saxum incidit, cum tamen vitam maritimam coleret. Idem.

Daphita] Qui, ut Valerius scribit lib. I. cap. 8. 8. extern. *cum professione sophista esset, Delphis ad ludibrium Apollinem consuluit, an equum invenire posset, quem omnino nullum habebat: edita sors est, eum inventurum equum, quo periret. Itaque cum in regem Attalum incidisset, sæpe contumeliis a se lacessitum, ejus jussu de saxo, cui nomen EQUO erat, præcipitatus est.* Strabo, lib. XIV. grammaticum fuisse scribit, et in monte Thorace suffixum in cruce, quod reges Pergami contumeliosis versibus incesseret: unde natum proverbium, *Cave Thoracem.* Idem. Tradit λόγιον ἐκπεσεῖν αὐτῷ Δαφίτᾳ λέγεσθαι, φυλάττεσθαι τὸν Θώρακα, *oraculum Daphitæ datum fuisse, ut Thoracem caveret.* Non igitur de *proverbio nato* locutus est doctissimus geographus, ut male statuit Adr. Turnebus. Pari quoque modo, ne Aldum nepotem memorem, lapsus est vir summus Des. Erasmus Adag. p. 207. ed. Hanov. Davis.

Ex equo] In monte Thorace, qui Magnesiæ impendet, saxum, unde præcipitatus est Daphitas, equus vocabatur. Daphidas a Valerio et Suida vocatur. Turneb. Res plane diversas miscet eruditissimus Turnebus: nam cum Strabo lib. XIV. ἐπ' ὄρει καλουμένῳ Θώρακι σταυρωθῆναι Δαφίταν τὸν γραμματικὸν tradiderit: Noster, Valerius Maximus lib. I. cap. 8. 8. extern. Hesychius Milesius et Suidas, eum *de saxo, cui nomen erat equi præcipitatum* scribunt. Non igitur narrationes, quæ sibi repugnant, in unum fuere confundendæ: nam in monte Thorace saxum quod equus vocabatur, fuisse nullo modo constat. Dav.

Quadrigulas] *Apollinis oraculo*, ut Valerius ait lib. I. cap. 8. 9. *Philippus rex Macedonum monitus fuit, ut a quadrigæ violentia salutem suam custodiret. Itaque toto regno currus disjungi jusserat, eumque locum, qui in Bœotia Quadriga dicitur, semper vitavit: nec tamen denuntiatum periculum evitare potuit. Nam Pausanias in capulo gladii, quo eum occidit, quadrigam habuit cœlatam.* Hic autem quadrigæ non solum quatuor equos sine curru junctos significant, sed etiam currum, ut Valerius interpretatur.

Oraculi verba fuerunt, ἅρμα φυλάττεσθαι. Locus, quem Philippus in Bœotia semper vitabat, Ἅρμα dicebatur. TURNEB.

Sine nomine] Cujus nomen Posidonius non posuit, ut fortasse commentitium sit ad libidinem exemplum. Quanquam ex eo fatum nihil affirmatur. Nam cum esset prædictum eum in aqua periturum, sortem fides non est secuta, cum in rivo tantum sit lapsus; immo vero, quod naufragus enataverit, in aqua perire, non debuit. IDEM.

Cap. 4. *Laqueos*] Captiosas et fallaces conclusiones; nam hæc argumenta libello de Fato Plutarchus etiam σοφίσματα vocat. IDEM.

Neque illud tenue cœlum] Quamvis sit egregia habilitas ingeniorum in tenui cœlo ad percipiendam philosophiam, et ex eo proclivitas et propensio, loci tamen contagio a voluntate disjuncta est hunc vel illum audiendi. IDEM.

Neque crassum] In quo valentiores nasci solent, et ad certationes corporum aptiores. IDEM.

Nemea] Ex Nemeæo potius quam Isthmio certamine. IDEM.

In porticu Pompeii] Ambulationem juxta theatrum suum Pompeius centum columnis suspensam extruxerat, amœnam proceritate assitarum platanorum. *Propertius*, lib. II. El. XXIII. 45. *Ovidius*, de Arte amandi, I. 67. IDEM.

In campo] Martio. IDEM.

Affectio astrorum] Ποιὰ σχέσις καὶ διάθεσις, id est, eorum inter se comparatio ex aspectu triquetro, quadrato, sextili, aliisque id genus, quæ solent mathematici in genituris observare. IDEM.

Cap. 5. *Qua de re agatur*] Non videt quid agatur, et de quo dubitetur Chrysippus. Quæritur enim, an ut multarum rerum naturales causæ sunt, sic nostrarum appetitionum causæ sint antecedentes et naturales. IDEM.

In nostra potestate] Quod ἐφ' ἡμῖν Stoici appellant. Libertatem enim voluntatis Fati assertores nonnulli, ut Chrysippus et plerique Stoici, retinent, qui fatum non ex necessariis et principalibus causis nectunt, sed ex iis quæ præcursionem afferunt, et antecessionem, sine quibus res effici non possit. Cicero Topic. cap. 15. *Alia autem præcursionem quandam adhibent ad efficiendum, et quædam afferunt per se adjumenta, etsi non necessaria: ut amori congressio causam attulerit, amor flagitio.* Ex hoc genere causarum ex æternitate pendentium, fatum a Stoicis nectitur. TURNEB.

Socratem] Idem a Cicerone IV. Tusculana cap. 37. scribitur. IDEM.

Jugula] Duo enim homini utrinque solent ad claves esse jugula fere cava: jugula in alio genere animantium non sunt. Plinius XI. 43. (edit. Hard. n. XCVIII.) *Terrestrium solus homo bipes. Uni juguli, humeri, cæteris armi.* IDEM.

Mulierosum] Cicero semel de Legibus, *virgeta* nominavit: semel, ad Q. Fratrem, silvam *viridicatam:* semel, de Fato, *mulierosum:* semel, in Tusculanis, *multiplicabilem:* semel in Parad. *mutilum:* semel, in Epist. *sportellas*, et *artolaganos:* semel, ad Att. *dieculam:* semel, de Univers. *dividuum:* semel, in Verr. *divaricari:* semel, de Nat. Deor. *viticulas.* EDM. CAMPIANUS, in aureolo (sic videtur) *de Imitatione*, Tractatu, cap. 5.

Ex divinationis ratione] Alterum caput, quo Stoici confirmant fatum: Divinatio est, igitur fatum: istudque reciprocatur, Si fatum est, esse divinatio videtur. Hujus firmamenti Plutarchus in libello de Fato meminit: locus autem tam de oraculis deorum, quam de mathematicorum prædictionibus intelligi debet. Divinatio autem constat ex earum causarum notatione et observatione, quarum serie fatum connectitur. TURNEB.

Cap. 6. *Percepta*] Eo ipso verbo eodem omnino modo utitur Cicero lib. II. Acad. Quæst. non quod *percepta* confundi putem cum *perceptione*, de qua illic omnis habetur oratio, quæque

ad physicos omnino pertinet (agitur enim de sensuum et animi perceptione) sed quod *percepto*, mathematicorum plane verbo, eo forte alludens, utitur. Hæc enim ille post multa alia: *Hoc igitur modo potius erat ab his postulandum, ut hoc unum saltem, percipi nihil posse, perceptum esse dicerent.* Et quia Cicero statim dixit: *Potius erat ab his postulandum* animadvertendum id est, perceptum nihil aliud esse, nisi quod Aristoteles lib. I. Analyt. posteriorum αἴτημα et ὑπόθεσιν appellat: petitio enim et suppositio demonstrari possunt: similiter et percepta. Illa ab his, quos docere volumus, stipulamur in primis; et ea quasi fundamenta jacimus. Ach. Statius.

Cum Diodoro] Diodorus is fuit, qui cognomento Cronus appellatus est, philosophus ex Megarica schola eorum, qui Ἐριστικοὶ et Διαλεκτικοὶ dicebantur: quem sic admiratus est Callimachus, ut in epigrammate scripserit, Αὐτὸς ὁ Μῶμος Ἔγραφεν ἐν τοίχοις, ὁ Κρόνος ἐστὶ σοφός. Hujus Diodori dialecticea imbutus Arcesilas fuerat, quod declarat Sillographi παρῳδία, Πρόσθε Πλάτων, ὄπιθεν Πύῤῥων, μέσσος Διόδωρος, vixitque ante Arcesilam et Chrysippum. Hoc autem loco explicat rationem enuntiationum, quæ de re futura, deque eo quod fieri possit, aut non possit, aliquid dicunt, quod in procemio pollicitus est. Turneb.

Fabius] Nomen *Fabii* in exemplis hominum liberorum usurpare veteres solebant. Cicero lib. II. de Divin. cap. 34. *Q. Fabi, te mihi in auspicio esse volo.* in Topicis cap. 3. *Si ita Fabiæ pecunia legata est a viro.* In servis *Manium* dicere solebant. Cato de Re Rustica cap. 141. *Cum divis volentibus, quodque bene eveniat, Mando tibi, Mani.* Idem.

Omne igitur quod falsum] Quod Diodoro videtur, Chrysippo refragante, sed posita divinatione, confirmatoque fato, ista se necessitate constringente, et in has angustias se redigente. Turneb.

Cap. 7. *Ille enim id solum*] Hac in re quam secum pugnet Chrysippus, nec se explicare queat, Plutarchus exponit in libro de Repugnantiis Stoicis. Ὁ δὲ τῶν δυνατῶν λόγος, &c. Id.

Cypselum] De quo Herodotus, lib. V. cap. 92.

Divina prædicta; et quæ falsa in futuris dicentur, in his habemus, ut ea fieri non possint: ut, si dicatur, Africanum Carthagine potiturum: et, si vere dicatur de futuro, idque ita futurum sit, dicas esse necessarium] Lamb. *divina prædicta: tum et ea, quæ falsa in futuris dicuntur, in iis habere cogeris, quæ fieri non possunt, ut si dicatur Fabium in mari periturum: et contra, quod vere dicatur de futuro, quodque ita futurum sit, ut Africanum Carthagine potiturum, dicere cogeris esse necessarium.*

In his habemus] Jam enim id confecimus. Turneb. Sed vide præcedentem Lambini lectionem.

Ut si dicatur] Si quæ falsa in futuris dicuntur, fieri non possunt, et si prædicta comprobanda sunt, ut Chrysippus comprobat, in Diodori sententiam invitus incidit. Sensus est: Si comprobas divina prædicta, Chrysippe, necessarium dicas eodem modo regnaturum Cypselum Corinthi, (eveniet enim) ut si dicatur, Africanum potiturum Carthagine, quod evenit postea; ea enim potitus est: et si dicatur vere de futuro, idque futurum sit: quæ tota Diodori sententia est, qui verum in futuro censet tantum quod futurum sit, idque necessarium. Ita invitus delaberis in Diodori sententiam. Turneb.

Carthagine] More antiquo libri quidam veteres *Carthaginem* accusandi casu habent. Idem.

Dissentienti a magistro] Nam propter immutabilitatem præterita censere videbatur necessaria Chrysippus, cum in ea ne deus quidem ullum jus habeat, præterquam oblivionis. At Cleanthes ejus magister necessitatem ex natura rerum potius, quam ex immutabili temporis conditione metiebatur. Itaque natus est Fabius oriente canicula, ei necessarium non vi-

debatur: nec id de liberis tantum causis intelligebat: quod Ciceronis exemplum satis declarat. IDEM.

Cap. 8. *Falli sperat*] Joculariter dicit Chrysippum sperare se fucum esse facturum astrologis. *Falli* autem pro falsum iri, vel falli posse, dixit, ut ad Atticum IV. 16. *Cato tamen affirmat se vivo illum non triumphare*, id est, non triumphaturum. TURNEB.

Chaldaeos] Id est, mathematicos; genethliaci enim omnes, qui ex natalitio sidere futura præsagiunt, Chaldæi vocantur: quod enim illa natio siderum observandorum peritissima fuit, factum est, ut mathematici ita vocarentur. IDEM.

Conjunctionibus] Conjunctiones copulationes significant, ut in Topicis cap. 14. *Deinde addunt conjunctionum negantiam: sic:* Non et hoc est, et illud non est. Supra, *Ergo hæc quoque conjunctio est ex repugnantibus*, Est Fabius, et in mari Fabius morietur. Hic pro connexionibus usus est: quod, ut opinor, eadem utriusque sit necessitas, conjunctionis et connexionis. IDEM.

Si quis natus] Proinde quasi plus in iis enuntiatis necessitatis lateat quam in aliis, quæ sunt tamen ἰσοδυναμοῦντα. IDEM.

Ne ipse incidat] Ne in Diodori sententiam labatur. IDEM.

Infinitarum] Communium et universarum, ut quæstiones infinitæ dicuntur, quæ theses sunt: nisi si quis pro indefinitis forte censeat intelligi. IDEM.

Conjunctionum] Nam repugnantia pronuntiata fiunt ex conjunctis, non ex connexis, idcirco dixit *conjunctionum negationem*, in Topicis *conjunctionum negantiam:* hoc modo, Et Fabius sub canicula natus est, et in mari morietur. IDEM.

Cur idem medici] Nam hoc genus orationis insolens est et ignotum medicis, geometris, et reliquis: neque percepta artis quisquam hac formula concepit, quam Chrysippus dictat. IDEM.

Venæ] Ut apud Satyricum, *Tange miser venas.* Veteres et vulgus arterias a venis nihil distinguebat. Venas igitur arterias dicit, quæ micant continenter in corpore. TURNEB.

Geometres] Ut apud *Fabium* libro primo, sic hoc loco, astrologia geometriæ pars est: et in prima Tusculana geometria et arithmetica artes omnes mathematicas complectuntur. IDEM.

Maximi orbes] Ut æquator, zodiacus, meridianus: alii minores, tropici, arctici. IDEM.

Medii] In duas æquales partes. IDEM.

Majus] Difficilius. In Paradoxis: *Quod eo* majus *est illi.* IDEM.

Contortiones] Quæ ex repugnantibus contexuntur. Id genus orationis dilucide declarat Ciceronis locus lib. II. de Divin. cap. 51. *Deinde contorquent, et ita concludunt:* Non igitur sunt dii, nec significant futura. ID.

Cap. 9. *Sed ad illam*] Explicat sententiam Diodori, qua Chrysippo responderi potest. Diodorus autem fatum non inducit, sed in enuntiatis vim verborum interpretatur, non causarum seriem ponit, cum tamen ex vi verborum et ex enuntiationibus fatum confirmaret Chrysippus. Hæc autem Diodori contentio tota ad logicen, ut initio dixit, pertinet. IDEM.

Quid valeat] Quæ vis sit eorum enuntiatorum, in quibus quid fieri posse dicitur. IDEM.

Quod fieri possit] Sitne ejusmodi ut necessario, ut Diodoro videtur, eveniat, an ut non sit necesse evenire, quæ Chrysippi sententia est. IDEM.

Sed in factis] Non item, ut in præteritis, apparere in futuris immutabilitatem et necessitatem, sed latere, cum tamen nihilo minor sit, quæ non esse videbatur in plerisque. IDEM.

Ne inesse] Man. Lamb. *ne necesse.*

Commutatio] Ut si verum sit futurum aliquid, id omnino evenire sit necesse; et si enuntiatum de futuro verum sit, non possit in falsum commutari. Ut enim quærebatur, possetne eloquentia in infantiam com-

mutari, et virtus in vitium converti, in hominum doctorum disputationibus: item quoque possetne verum in falsum converti: quod plane Diodorus negat. TURNEBUS.

Morietur Scipio] Æmilianus, qui cum Flacco, Graccho, et Carboni adversatus esset, fortis valensque, in cubiculo mortuus inventus est postridie. Ei vim Carbo attulisse existimatus est, ut scribit Cic. ad Pætum: quod et hic sequi videtur. Alii venenum ei ab uxore Sempronia Gracchi sorore datum suspicati sunt. ID.

Morietur noctu] Quod tamen in speciem minus necessarium esse videtur, quam, Morietur: propterea quod omnes mortales hac conditione nati sunt, ut moriendum sit eis. Contendit tamen Diodorus non minus esse necesse. IDEM.

Minus] Man. Lamb. *magis*.

Nec minus necesse] Petro quidem Ramo legendum videbatur, *nec magis necesse*, quod in hoc verborum situ plane flagitat auctoris mens et sententia. At, si vocibus leviter transpositis reponas, *nec minus necesse mori Scipionem illo modo, quam mori*, alia mutatione non est opus. Hoc malim. DAVIS.

Scipionem] Vict. Man. Lamb. *Scipioni*.

De via deducat] Nam via ponderum, ut atomorum, e regione est, et ad perpendiculum: nunc Epicurus declinationem inducit incerta regione, et incerto tempore, ut voluntatis libertatem retineat. Lucretius, lib. II. 217. TURNEBUS.

Ut sine causa fiat] Quia declinationis nullam causam Epicurus affert, ut aliorum motuum. Moveri per inane profundum, verbi gratia, individua corpuscula dicit propter pondus, et resilire in concursionibus ex plaga: ut illorum duorum motuum causæ sint, pondus et plaga; declinationis autem quam afferre tandem causam potest? IDEM.

De nihilo] Nam si declinatio ista sine causa est, de nihilo erit: ex quo fiet ut aliquid de nihilo sit, quod nec physici, nec ipse Epicurus voluit. Lucretius, lib. I. 151.

Nullam rem e nihilo gigni divinitus unquam.

IDEM.

Licet enim Epicuro] Quod non concedit tamen, fatum veritus. Putat enim, si omnis enuntiatio sit vera aut falsa, fatum fore, cum esse vera aut falsa sine antegressis causis, et ex naturæ necessitate manantibus non possit: quod falsum est. Nam causæ voluntariæ esse possunt, ut in Academiam descendendi. IDEM.

Nec tamen sine causis] Voluntariis, quæ ab animi inductione, impulsione et ratiocinatione proficiscuntur, quæ fortuito antegrediuntur. Nec hic Diodorum Cicero relinquit, cum ex ratione Diodori Epicureos Stoicis respondere nullo negotio posse ostendit: nec Diodorus necessarias causas ponebat, sed quæ vis earum enuntiationum esset, in quibus aliquid fieri posse aut non posse dicebatur, quærebat. IDEM.

Ita et semper] Sine causis necessariis, ex æterno verum fuit, ut inquit ex sententia Diodori, Morietur Epicurus. IDEM.

Archonte Pitharato] Annui archontes apud Athenienses erant, ex quorum nominibus annos numerabant, ut Romani consulum. IDEM.

Nec ii, qui dicunt] Ut Diodorus, qui tantum quærit, quid valeant enuntiationes de eo quod fieri potest, aut non potest, non causas fatales scrutatur. IDEM.

Cap. 10. *Si est motus*] Ut appetitio et voluntas. IDEM.

Causis fiunt antegressis] Antecedentibus, quas tollunt, qui suopte impulsu aliquando voluntatem moveri dicunt sine antecessione causæ. IDEM.

Epicuro] Qui negat omnem enuntiationem veram aut falsam esse, ne fatum comprobare cogatur. Epicuro tamen hac in re non assentietur, sed, si conditio feratur, Epicurum sequi mallet quam fatum recipere. IDEM.

Eam plagam] Nam hac plaga minus se læsum iri censet, quam si fatum comprobet, quod vulnus intolerabile et propemodum letale esset. IDEM.

Non est tolerabilis] Cum ex ea sequatur eversio vitæ et morum, et voluntatis servitus. IDEM.

Sic Chrysippus] Rem esse sibi factam putat, si doceat omnem enuntiationem veram aut falsam esse; sequi enim ex eo censet factum esse: cum id ex contradictionis vi, non rei natura certum sit. IDEM.

Sed Epicurus] Motum declinationis excogitavit Epicurus, ut voluntatis libertatem retineret, ne, si in pronum semper laberentur atomi necessario et naturali motu, fato fierent omnia: nunc enim cum incerto spatio et regione declinent, ex eo efficitur, ut, quandocunque volumus, nobis omnis susceptio et animi inductio libera sit et voluntaria. IDEM.

Tertius quidam motus Tres atomis motus Epicurus, ut Plutarchus scribit, tribuit: unum κατὰ στάθμην, id est ad lineam: alterum κατὰ παρέγκλισιν, id est, per declinationem: tertium κατὰ πληγὴν, id est ex plaga. Ad lineam moventur deorsum per inane profundum: per declinationem, cum minimum declinant, ut complexiones, copulationes et adhæsiones atomorum fiant: nam si omnes e regione moverentur, nulla alteram attingeret: ex plaga, cum propter soliditatem ex conflictu resultant. Vide Lucretium, lib. II. 83, &c. TURNEBUS.

Minimo] Libro I. de Fin. cap. 6. *Perpaulum, quo nihil posset fieri minus. Tantum quod nomen mutatum dicere possis*, Lucretius dixit. Ita, ut opinor, speravit se vitaturum reprehensionem Epicurus, si pusillam declinationem comminisceretur, et tanquam pro suo jure sumeret. Eaque causa fuit, cur ejus verbum poneret Cicero, et ut intelligeretur quid minimum intervallum diceret. IDEM.

Sine causa] Nam istam declinationem non efficit pondus; e regione enim ferrentur: nec plaga; nondum enim conflixerunt atomi, ut ex pulsu declinent. IDEM.

Corpora individua] Venit in mentem, hæc duo verba intrusa esse ab iis, qui glossis, ut nunc vocant, omnia referserunt. Quis enim non videt subaudiri *atomos*, de quibus perspicue Cicero loquitur? P. MANUT.

Ne contingat] Contactus enim atomis propter earum soliditatem depulsionem affert: nisi autem se contingant, nihil gignetur, nullæque fient complexiones nullaque concilia rerum. Vide Lucretium, lib. II. 221. et 251. TURNEBUS.

Ex quo efficitur, ut si jam sit atomus, eaque declinet, declinare sine causa] Ita editiones principes, a quibus discedere religio fuit. Ascensius, omissa particula *si*, dederat: *Ex quo efficitur, ut jam sit atomus, eaque declinet, declinare sine causa.* Quod videtur omnino verius, et hunc habet sensum, cum tota serie hujus loci bene congruentem. *Ex quo efficitur*, dato quod *sit atomus, eaque declinet*, eam *declinare sine causa*; nullam ei causam esse declinandi. Dicit porro, *ut si atomus*, dato quod sit, *et declinet;* quoniam utrumque, et esse atomos, et declinare, affirmabatur quidem ab Epicureis, ab aliis vero negabatur. De hoc usu particulæ *ut*, quid opus est monere? Dubitationem præcidit omnem quod est in hoc ipso libro, cap. 20. pag. 114. desinente: *Nam, ut essent atomi, quas quidem esse, mihi probari nullo modo potest: tamen declinationes istæ nunquam explicarentur.* OLIVETUS.

Cap. 11. *Acutius*] Multo subtilius Carneades pro Epicuro respondebat Stoicis. Docebat enim motum esse posse quendam voluntarium, a se ortum, cujus antegressæ et externæ causæ nullæ essent. TURNEBUS.

Rursus autem] Ut causa est cur individuum, id est atomus, feratur deorsum, gravitas: ita motus animorum causa fuerit voluntas, non externa causa. Motus autem voluntatis causa est ὁρμὴ, id est appetitus, et ratio. IDEM.

Sine causa] Illud *sine causa*, quod posuerat, mutat, ne in physicorum irrisionem incidat, qui nullo modo ferre poterant quicquam sine causa fieri dici: ac ut in atomi motu negat extrinsecus quærendam causam, ita quoque in appetitionibus negat esse quærendas antegressiones causarum. IDEM.

Quod cum ita sit] Verum et falsum in enuntiatis nihil affert causæ cur fatum sit. Fatum enim non fuerit sine necessariis causis: at ut verum et falsum sit, efficere possunt causæ fortuitæ et voluntariæ. Hic igitur argumentatio Chrysippi repetitur, et diluitur. IDEM.

Inquit] Chrysippus. TURNEBUS.

Quæ causas] At causas habere possunt fortuitas et voluntarias, non ex æternitate satas: sic enim respondetur Chrysippo. IDEM.

Cap. 12. *Sine causa*] Quod tibi non concedetur. Nam ut fiat sine causis ex æternitate naturæ manantibus, non fiet tamen sine causis fortuito antegressis. IDEM.

Causa causam serens] Ex eo causarum series dicitur fatum, id est, εἱρμὸς αἰτίων. IDEM.

Sexcentis] Pro infinitis et innumeris sexcenta Latini dicere solent. Cicero ad Atticum, *Belli periculum, militum improbitas, sexcenta præterea alia*. IDEM.

Ne illa quidem eversa] Sic locum restitui ex libris scriptis. Sententia est: Ne capta quidem urbe, vera fuerit enuntiato, Capiet Scipio Numantiam: non enim id jam futurum, sed præteritum erit. IDEM.

Potest igitur] Si ex vero in falsum futura mutari possunt, posset aliquid factum esse, quod falsum fuerit futurum esse. Hic enim Cicero ex Diodori sententia Chrysippo respondet, et sine fato docet futura immutabilia esse posse. Locum per interrogationem lego. IDEM.

Vera fuerint instantia: sic futura, quorum consequenti tempore vera erunt instantia] Si sit in hisce commoda σύνταξις, nihil equidem mutatum velim. Interea vero mihi fas sit cum Ven. 1471. reponere, *vera fuerit instantia: sic futura, quorum consequenti tempore vera erit instantia, ea vera dicemus*. *Instantia* mihi videtur nomen substantivum, quod propinquitatem vel imminentiam denotat. Sic certe usus est Nigidius apud Agellium lib. IX. c. 12. DAVIS.

Verum non est] Id est, vera non est. Inconsequens prope oratio, ex consuetudine dialecticorum disputantium. TURNEBUS. Nostri vero Mss. dant, *vera non est*. Insuper, quæ, quæso, in hisce verbis inest constructio, *erit confiteri necesse, sequitur?* Itaque Petrus Ramus legendum vidit, *sequi*. Recte quidem, nisi quod paulo propius ad receptam scripturam mallem, *sequi tum, ut falsa sit*. DAVIS.

Quorum isti neutrum] Epicurei, qui hujusmodi enuntiationes nec veras, nec falsas esse dicunt, ut dicet infra Cicero. TURN.

Ignava ratio] Græce ἀργὸς λόγος, ad Stoicos referri solet, fati patronos et assertores, quod ea maxime fatalis necessitas roboretur. Per hanc homines ignavi et inertes fiunt, quod ita ferme disputent, et scribit Cicero de Fato cap. 12. *Si fatum tibi est, ex hoc morbo convalescere, sive medicum adhibueris, sive non, convalesces; item si fatum tibi est, ex hoc morbo non convalescere, sive medicum adhibueris, sive non, non convalesces: at alterutrum fatum est: medicum ergo adhibere nihil attinet*. Alii aliter efferunt: si fieri non potest, quin ex hoc morbo convalescas; si verum est, te ex hoc morbo evasurum; si in divinis decretis est, ut ex hoc morbo evadas; si Deus prænoscit, te ex hoc morbo non esse moriturum; et aliis præterea modis, ex quibus ipsi quoque istius quæstionis tituli variati sunt, *de Fato, de Possibilibus, de Libero arbitrio, de Providentia, de Divinis decretis, de Futuris contingentibus, de Physica prædeterminatione*. Disputatione hac nulla est magis antiqua, nulla magis communis ac diffusa,

nulla acrioribus animis agitata; quæ non modo scholas, sed gentes humanas divisit; moresque earum ita variavit, ut Turcæ fato addicti ne in summa quidem suorum pestilentia sibi caveant: nos, qui liberas causas admittimus, vel levissimam teterrimæ luis suspicionem timidi paventesque refugiamus. Quia porro nulli magis naturalibus causis humanum arbitrium obstrinxerunt, quam Stoici, hinc nostrorum dialecticorum vulgus, criticæ eruditionis incuriosum, *ignavam rationem* ab illis inventam existimat. Id quam longe absit a vero, vel ex eo apparet, quod Zeno Stoicorum auctor et parens, ut refert Laertius lib. VII. in ejus Vitâ, ducentas minas cuidam dialectico dedit, a quo septem *Metentis* species didicerat: qui quidem interrogandi modus ab *Ignava ratione* vel parum admodum, vel nihil differt. Quomodo autem *Metens*, quem Græci λόγον θερίζοντα vocant, extrueretur, quidve efficeret, docet Ammonius ad librum Aristotelis περὶ ἑρμηνείας, sect. 2. cap. 10. *Si messurus es, non fortasse metes, fortasse non metes, sed metes omnino; contra si non es messurus, omnino non metes: alterutrum enim necessario futurum est.* Ex quo colligebant, nihil unquam laborandum esse de messibus; quarum essent fata ab ipso naturæ exordio immutabilia. Jac. Facciolatus, *Acroasi* V.

Et alterutrum fatum est] Id est fato decretum, fixum et ratum. Nam fatum hoc loco ita dictum esse videtur, ut sit tanquam fatale. Tur.

Cap. 13. *Hæc ratio a Chrysippo*] Chrysippus etsi fatum affirmabat, tamen et id quod fieri potest, et consilium, et deliberationem et actiones, et officia retinebat, ut docet *Alexander*. Is igitur rationi ignavæ, quæ ad eversionem fati objiciebatur, respondebat. Idem.

Simplicia] In quibusdam simplex esse fatum ponit Chrysippus: in aliis tanquam duplex et copulatum, ut utrumque confatale sit. Ita ignavam captionem solvit. Idem.

Sive fuerit Laius] Esse cum muliere, honeste et verecunde dicebant Romani, pro cum muliere rem habere. Auctor Varro. Idem.

Sic enim appellat] Συνειμαρμένα Chrysippus dixit, quod *confatale* Cicero vertit. Hoc vocabulum apud Plutarchum extat in libello de Fato. Idem.

Cum uxore] Jocasta, quam tamen Homerus *Epicasten* vocat. Responderat autem Apollo Laio, ipsum interfectum iri ab eo quem procreasset. Oraculum est apud Euripidem Phœniss. vs. 19. Idem.

Milo] Crotoniates. Idem.

Referret] Redderet, responderet. Idem.

Cap. 14. *Carneades*] Carneades instituto novorum Academicorum in Stoicos disputabat: sed in oppugnatione fati non probabat ignavam rationem, et Stoicos alio argumento premebat. Idem.

Adhibebat calumniam] Nam captio et calumnia inest in ratione ignava. Idem.

Conclusio] Argumentatio. Idem.

Hæc arctius] Hæc ratio et conclusio firmissima est. Ductum a fascibus qui vinculis adstringuntur. Id.

Referre] In nos rejicere et retorquere, qui fatum negamus: et tamen immutabilitatem in futuris dicimus ex Diodori sententia. Idem.

Nihil dicat] Non enim partium necessaria fuerit colligatio et series causarum, si omne futurum ex æternitate verum sit, cum sine causis necessariis et antegressis verum esse possit.

Naturalis] Ut vult Chrysippus, Diodoreis repugnantibus. Idem.

Itaque dicebat] Diodori sententia περὶ δυνατῶν adversus Stoicos utebantur Academici, ut vera ex æternitate futura essent, sine naturalium causarum antecessione: ac proinde Carneades divinationem esse negabat posse, etsi immutabilitas in futurorum veritate esset, nisi in iis quæ naturalibus et necessariis causis continerentur.

Marcellum eum] Cicero de Divinatione lib. II. cap. 5. *Ut si quis M. Marcellum illum, qui ter consul fuit, multis annis ante dixisset naufragio esse periturum, divinasset profecto.* Fuit autem, ut Asconius ait, nepos illius Marcelli, qui Syracusas cepit. Is naufragio ad Africam periit paulo ante tertium Punicum bellum. ID.

Cap. 15. *Quocirca*] Colligit omnia esse expeditiora et liberiora Diodoreis quam Stoicis, et eorum sententias valde discrepantes esse: quas tamen quispiam fortasse easdem falso esse putaret, et nonnulli Stoici clamabant. Non enim necesse est Diodoro divinationem et oracula approbare: necesse est Stoicis, si sibi constare velint. TUR.

Iis autem] Diodoreis. IDEM.

Hi enim] Stoici. IDEM.

Illorum] Diodoreorum, qui sine causarum antecessione futura ex æterno tempore vera dicunt. ID.

Quod si concedatur] Antea negavit omnis motus causas esse antecedentes, unde fatum Stoici argumentabantur: nunc hoc concesso, negat tamen sequi fatum esse. IDEM.

Ex æternis causis apta] Ex causis in rerum natura, quæ æterna est, positis profecta. Nam hujusmodi causæ vi sua certe efficiunt quod sub eis subjectum est, ut ignis accendit. IDEM.

Causa autem est] Quæ efficienter rei cuique antecedit. Itaque adjumenta, præcursiones, materiam, ferramenta, sine quibus aliquid effici nequit, in causis hic non numerat. IDEM.

In campum] Martium; ubi se juventus Romana exercebat. Cicero de Orat. II. 62. *Ut in illum Titium, &c.* IDEM.

Quod Alexandrum] Qui, rapta Helena, Trojæ excidii causa fuit. ID.

Clytæmnestram] Quæ Agamemnonem maritum interfecit. IDEM.

Cap. 16. *Interesse*] Etiam Stoici, ut proinde ex eorum sententia aliquid antecedere possit, quod causa non sit. IDEM.

Serpentis] Alii a serpente ulceratum Philoctetem scribunt: alii cecidisse in ejus pedem sagittam hydræ cruore imbutam. IDEM.

Post autem] Posteaquam Lemnum venit in expeditione belli Trojani. IDEM.

Necesse est enim] In contradictione disjunctionum necessitas est: proinde pars altera vera, altera falsa est. Ea ratio erat Diodori. IDEM.

Ex contrariis] *Sauciabitur*, aut, *Non sauciabitur* Philoctetes, verum dicebant; nec tamen *Sauciabitur*, verum; nec *Non sauciabitur*, falsum. IDEM.

Nec verum, nec falsum] In Epicureos argumentatur, qui ista enuntiata nec vera, nec falsa dicebant. Nam quod nec verum nec falsum est, verum non est: quod verum non est, id falsum est. TUR.

Tenebitur] Non negabimus, ut Epicurei, sed defendemus ex Diodori sententia, omnem enuntiationem veram aut falsam esse: nec ex eo tamen sequi fatum esse, quamvis vera sint ex æternitate. Non enim erunt ea ex æternis apta et nexa causis, quæ fati necessitatem habeant. ID. Lego cum nostris Mss. *Tenebitur ergo id.* DAVIS.

Cap. 17. *Ac mihi quidem videtur*] Duæ veterum sententiæ fuerunt: una eorum qui fato fieri omnia censebant: altera eorum qui neque fatum ponebant, et voluntarios animi motus esse dicebant. Chrysippus et fatum probavit, et voluntatis libertatem retinuit. TUR.

Chrysippus tanquam] Eam sententiam ferre Chrysippus videtur, et ita rem disceptare, ut et fato omnia fiant, et aliquid sit in nostra potestate. IDEM.

Honorarius arbiter] Is est quem litigantes honoris causa delegerunt disceptatorem controversiæ suæ. ID.

Medium ferire] Ab ictu ductum et petitione. Mediam quandam secutus est sententiam. IDEM.

Sed applicat se] In eorum tamen est sententiam propensior, qui fa-

DELECTUS
COMMENTARIORUM

EX

EDITIONE

JOSEPHI OLIVETI.

IN VOLUMINIS QUARTI PARTEM SECUNDAM.

OPERA PHILOSOPHICA.

M. TULLII CICERONIS

DE LEGIBUS,

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Editis de Rep. libris, Cicero Platonis exemplo de Legibus scribere instituit, et suæ Reip. quam ex populi potestate et optimatum auctoritate temperarat, (eam enim temperationem probat lib. III. de Legibus) leges dare consentaneas. Cujus disputationis principium repetit ex Stoicorum philosophia, non ex ratione populari: quorum instituto emendationem vitiorum commendationemque virtutum lege contineri tradit, totamque legis vim et potestatem libri primi explicatione complectitur. Nam lex ultima ex Stoicorum commentariis, non Jurisconsultorum libellis, qui ad ejus vim nunquam aspirarant, ab eo describitur mens Dei optimi maximi omnia ratione jubentis et vetantis, a qua hominum vera lex proficiscitur, quæ est ratio sapientis apta ad jubendum et vetandum. Atque hoc primi libri argumentum est, quod articulatim distinguitur, ut capitibus certis scholam quamque comprehendere Stoici solebant. Vim autem illius legis, de qua libro primo disserit, sic idem quoque libro tertio de Rep. describebat: Est quidem vera lex, &c. *Vide Fragmenta,* pag. 532. *Quod si quis existimat libri primi disputationem e Platonis libris esse sumptam, ei Q. Ciceronis auctoritatem opponemus, qui in hac disputatione Platonem nullo modo agnoscit. Quid autem eum locum adscribere vetat, præsertim nostræ sententiæ approbatorem et astipulatorem? Sic igitur scribitur initio libri II.* Habes legis procemium: sic enim hoc appellat Plato. Q. Habeo vero, frater, et in hoc admodum delector, quod in aliis rebus aliisque sententiis versaris atque ille: nihil enim tam dissimile est, quam vel ea quæ ante dixisti, vel hoc ipsum legis exordium. Unum illud mihi videris imitari, orationis genus. *Hic igitur merito culpari non possumus, quin ante Quintus reprehendatur, qui hujus erroris, si quis est, dux nobis et auctor fuit: et Quinti sententia, qui ista in Platone conquirunt, vehementer errant. Secundus liber constitutionem religionis et sacerdotum continet: tertius magistratuum descriptionem: sequentibus libris, qui temporis injuria interciderunt, de jure populi Romani disputabat, ut ex tertio extremo intelligi potest, in quo ita scribit,* Ac de jure naturæ cogitare per nos atque dicere debemus: de jure populi Romani, quæ relicta sunt et tradita. *Scripsit autem Cicero hos libros ante bella civilia, P. Clodio jam occiso, velut ex lib. II. intelligi potest. Atque, ut conjicio, absolutis de Rep. libris hos aggressus est scribere; non tamen, ut reor, eos edidit, quod fortasse summam iis manum non imposuisset, neque eos perpolisset: sed, eo jam interfecto, publicati sunt. Itaque eorum libro posteriore de Divinatione non meminit. In quodam autem exemplari Ms. sic horum librorum inscriptionem reperi,* M. Tullii Ciceronis Liber de Jure Civili et Legibus. *Veriorem tamen titulum* de Legibus *censeo, vel auctore Cicerone, qui se Platonis exemplo de legibus scribere profitetur; quanquam de jure civili hic etiam disserebatur. Scripserat et librum* de jure civili in artem redigendo, *ut auctor est Gellius I. 22. quem librum a Quintiliano XII. 3. etiam significari putem, non hos tantum, cum ait M. Tullium* aliquid de jure civili componere cœpisse. Tur.

Procemium deesse censet Turnebus, aliique nonnulli. Me vero non habet assentientem: nam quatuor prima capita quintique pars susceptæ disputationi præmissa sunt, adeoque Procemii vicem supplent. Davis.

T. POMPONIUS ATTICUS. M. T. CICERO. Q. FRATER.

Cap. 1. *Lucus quidem*] Videtur deesse procemium: procemiis enim se Aristotelis instituto, qui in ἐξωτερικοῖς præfari solebat, uti consuevisse in Epistolis ad Atticum declarat lib. IV. Epist. 16. Atticus autem sermonem exorditur, eum agnoscens lucum, eamque quercum, quem in Mario Cicero descripserat. Tum enim primum in Arpinatem agrum venerat, ut ex secundo libro cap. 10. conjici facile potest. *Equidem qui nunc potissimum huc venerim, satiari non queo.* Lucus longinquior erat, quercus propinquior: hæc in agro Arpinati, ille fortasse extra territorium Arpinatum. Solebant autem prisco ritu rura et municipia, ut credo, præcellentem aliquam arborem diis dicare, potissimumque quercum, eamque spoliis interdum et exuviis hostium ornare: qualis hæc Arpinatum, ut opinor, fuit. Aut ob Marium certe ea ab Arpinatibus colebatur. Agnoscit autem Atticus quæ in poemate Ciceronis ante cognoverat. TURNEBUS.

Sæpe a me lectus] Ita non raro ad longinquius referre solet Cicero, ut ad *lucum* hic potius retulit quam ad annosam et patulis diffusam ramis *quercum*, unde Mario factum auspicium fuerat. IDEM.

In Mario] Marius, Ciceronis poema, quo res a Mario municipe suo gestas adolescens explicarat ad gloriam suæ germanæ patriæ. Marianam porro quercum, quam hic celebrat, in poemate a Mario appellarat; vel ob augurium, quod inde Mario adolescenti factum fuit, cum, ut Plutarchus auctor est, nidum aquilæ, in quo septem pulli erant, reperit: vel ob augurium, quod Marius urbe pulsus in quercu illic fortasse notavit, ut recitat Cicero lib. I. de Divinatione, cap. 47. vel denique ob aliud quoddam auspicium, quando poemate amisso perdifficilis est conjectura. Hoc autem constat, C. Marium augurii peritissimum fuisse, et in poemate ideo auspicia ei facta Ciceronem fortasse finxisse, ut intelligenti. IDEM.

Fratrem laudando] Nempe quod Quintus etiam Cicero poeta esset. Vide lib. I. ad Quint. fratr. ep. 16. et III. 6. IDEM.

Suffragari tibi] Laudi tuæ inservire, qui æternitate donari putes ea de quibus poetæ memorant. IDEM.

Ut ait Scævola] Cicero sumpta virili toga a patre ad Scævolam augurem deductus est, ut scribit in Lælio. Eo mortuo se contulit ad pontificem, eique operam dedit; quo tempore, ut reor, etiam Marium scripsit: et Scævola in poema Ciceronis, ingenium ejus admiratus, ut suspicor, scripserat epigramma. IDEM.

Nisi forte Athenæ] Id est, quasi vero Athenis non hominum commemoratione et opinione potius quam natura stirps illa oleæ inveterarit. Oleam autem illam intelligit, quam in certamine Pallas edidit, ut Athenis nomen imponeret: quæ Plinii quoque ætate superstes censebatur esse. Plinius lib. XVI. §. 89. Eam in arce natam fuisse Varro lib. I. de R. R. cap. 2. docet. TURNEBUS.

Homericus Ulysses] Locus est Odyss. z. 162. de Nausicaa, quem teneræ et proceræ palmæ Ulysses comparat. IDEM.

Nuntia fulva] Id est, aquila. Versus ex Ciceronis Mario. IDEM.

Non longe a tuis ædibus] Habitavit Atticus *in colle Quirinali*, in *Pamphiliana* domo *ab avunculo hæreditate relicta*, ut scribit Nepos, Attic. cap. 13. 2. et prope templum Quirini domus Attici erat, ut scribitur a Victore: et lib. II. epist. ad Att. ep. 45. ID.

Romulus] Vide Livium lib. I. ab urbe condita. IDEM.

Quirinum] Sæpe qui in deorum numerum referebantur, nomen mutabant, ut ait Lactantius. Etiam inde usque ab Homero opinio fuit aliis res

vocabulis apud deos esse, aliis apud homines. Hinc illud Homeri.

> *Ξάνθον μιν καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον*, et
> *Χαλκίδα μιν καλέουσι θεοὶ, ἄνδρες δὲ Κύμινδιν.*

Sic Romulus posteaquam in deos relatus est, Quirinus vocatus est: Ino mater Matuta, Palæmon, Portunus: Hersilia, Ora. Ovidius, Metam. XIV. 851. Itaque Cicero in Offic. III. 10. cum scribit, *Pace vel Quirini vel Romuli dixerim*, significat, pace ejus dixerim sive homo est, sive deus. ID.

In Arpinati homine] In municipe tuo, cujus res scire potuisti. Cæterum in scripto libro *vel severitas a te postulatur* invenio, bono etiam sensu; id est, nonnulli severam quandam historiæ fidem a te postulant. *Veritatem* tamen probo, cum sequatur, *me cupio non mendacem putari*. IDEM.

Sed veritas] Grut. *vel severitas*.

Periculo] Vict. Mau. *opusculo*.

Qui in isto periculo] Sic omnes libri veteres habent: *in isto periculo*, (inquam) non *in isto opusculo:* et ita legendum. *Periculum* autem hoc loco significat id quod fit ab artifice tantum experiendi et periclitandi ingenii gratia, seu quod primo ab artifice excogitatur et efficitur, ut postea expoliatur et accuratius absolvatur, seu indicem. LAMBIN.

Apicem] Pileum Livius scribit: atque hic apex pileus est altus in figuram metæ fastigiatus. TURNEB.

Cap. 2. *Pontificum maximorum*] Annales maximos intelligit, qui a pontificibus perscribebantur. Vide lib. I. de Orat. cap. 43. et II. 12. TURNEB.

Quibus nihil potest esse jucundius] Ferri quidem hæc lectio potest, nec eam improbat Adr. Turnebus, et eam reperi in libris veteribus expressam: sed tamen malim legi, *juncidius*, seu *ejuncidius:* quo vocabulo sæpe utitur Varro in libris de Re Rustica. Est autem *ejuncidum*, exile, gracile, tenue. Nonnulli legunt hic *nudius:* sed nimis ab antiqua scriptura remotum est. LAMB. *Jejunius* mallem, quod a recepta scriptura non nimium abest, et sententiæ nihil, ut mihi videtur, aptius excogitari potest. URSINUS.

Fabium] In Bruto cap. 21.

Catonem] Qui libros Originum scripserat; nec tamen titulum operis, ut ait Festus, implebat. TURNEB.

Fannium] In Bruto, cap. 26.

Vennonium] Hic quoque historiam Latine condidit. Cicero lib. XII. ad Att. ep. 3. TURNEB.

Antipater] In Bruto, cap. 26.

Gellius] Gulielmus reponebat, *Gellii*. Sextus enim et Cn. Gellius historiarum scriptores fuere. Vide G. J. Vossium de Hist. Lat. I. 8. DAVIS.

Clodius] Clodius Quadrigarius, et Sempronius Asellio annalium scriptores, quorum non raro A. Gellius meminit. TURNEB.

Quid Macrum numerem] Vulgo *Atium*. Permulti vero codices exhibent *Acrum*. Unde *Macrum* legendum verissime conjecit *Car. Sigonius;* eamque conjecturam suis calculis dudum probarunt eruditi. Historiarum sane conditor, cui nomen *Acro*, nullus fuit. Nec *Attio* vel *Accio* datur locus, licet is annales ediderit: versibus enim scripsit, at noster eorum solorum meminit, qui soluta oratione sunt usi. Vide G. J. Vossium de Hist. Lat. I. 10. DAVIS.

Ex librariolis Latinis] Ex vilibus et inornatis Latinorum libellis. Librarioli venditores et viles scribæ libellorum. Id ad contemptum scriptorum Latinorum ait. TURNEB.

Ineptus, ad summam impudentiam] Ego cum Mss. libris inveniam; *In orationibus multus, et ineptus, dacio summa impudentia;* facile adducor ad suspicandum, legendum esse, *In orationibus multus, et ineptus, in mendacio summa impudentia*. Nam si recte attenderimus, et impudentiam cum mendacio convenire, et Macrum mendacii nomine a Livio accusatum inveniemus, libro VII. SIGONIUS, in *Fragmenta Ciceronis*.

Sisenna] Lucius Sisenna bellum Marsicum scripserat. Prætorius fuit, ut e Corneliana et *Asconio* intelligi-

tur. Sæpe ejus historia citatur a *Nonio*. *Varro* librum quendam ejus nomine *Sisennam*, vel de historia inscripserat, ut est a Gellio relatum. Decessit in Creta, cum illic præesset exercitui. TURNEB.

Clitarchum] Clitarchus rerum Alexandri scriptor, et expeditionum comes fuit. Hujus fidem infamari, ingenium probari scribit Quintilianus. IDEM.

Cap. 3. *Ab ultimis censeo*] A primis originibus urbis conditæ. IDEM.

Pompeii] Atqui Cicero librum quendam, quem tamen non edidit, et in Pompeium et alios optimates scripserat. Ejus meminit lib. II. ad Att. ep. 6. IDEM.

Incurret etiam] De suo consulatu Cicero commentarium Græce jam scripserat. Vide ad Att. lib. II. ep. 1. Sed aliud est historiam, aliud commentarium scribere, et tanquam breviarium conficere. IDEM.

Subcisiva] Victorius ita, et alii non pauci, a *cædo:* sed melius *subsiciva*, vel *subseciva*, a *seco*. Quæ dicta sint etiam ad paginæ 157. lin. 5.

Legationem] Legationes nonnunquam senatores impetrabant, sine ullo munere et procuratione reipubl. ut persequerentur suas syngraphas in provinciis, illicque negotiarentur: et ut libere abesse possent ab urbe. Earum legationum ante consulatum Ciceronis tempus erat infinitum. Cicero ad annum redegit: postea Cæsar quinquennium lege Julia indulsit. Itaque errant qui ante consulatum Ciceronis quinquennales fuisse scribunt. *Libera* autem *legatio* dicebatur, quod libere in quam vellent provinciam, in quam vellent urbem proficiscerentur; ubi etiam, ante Ciceronis legem, quantum volebant, libere manebant. Impetrabantur et *legationes votivæ*, cum vota quæ voverant, ut verbi gratia, si stetisset respublica, solvebant: tum autem fana et sacra loca circuibant. TURNEB.

Cessionem] Cessio est cum urbe et publico cedimus, et rus secedimus. Ductum videri potest a cessione quæ fit in jure. Hujus meminit in Topicis Cicero. Atque hæc veterum librorum scriptura est: alii *cessationem* legunt. IDEM.

Vacationi] Qui senibus militiæ vacatio datur et aliorum munerum, ut in aliis rebus eodem modo usurpari debeat, ut in causis agendis. Sexagenariis autem a muneribus civilibus ætatis vacatio dabatur: quinquagenariis a militaribus. Cicero autem cum hos libros scripsit, non longe a sexagenario aberat. IDEM.

Cap. 4. *Ceciderat*] Ita Manutius, et Gruterus. Sed Victorius, et Turnebus, *cecinerat;* Lambinus, *numeros et cantus remiserat* vel *reciderat*, ex conjectura: Davisius, *remiserat*, item ex ingenio. Quid autem Cicero sibi velit hoc in loco, ipse aperit in lib. I. de Orat. quem videas, cap. 60.

Ad Scævolam] De quo in Bruto, cap. 89.

Hac adire] Vetus scriptura est, *hæc adire*, id est ad spatia ire per ripam opacam. Alii *hac adire*, id est hac via ad spatia ire, quod etiam placet. Ripam autem fluminis Liris intelligit. TURNEBUS.

Incognitum est] Quasi vero ignoretur usitatum istud jus civile, et non plurima de eo scripta extent? Alii legunt, *Id autem cognitum est, in usu necessarium*. Ut jus illud jurisconsultorum utilitate commendatum esse dicat: cognitum enim est necessarium esse. Usus autem non docet esse necessarium jus illud de quo philosophi disputant. TURNEB.

Cap. 5. *In cupressetis Cnosiorum*] Ad hæc *Cnosiorum* celebranda *cupresseta*, quod eo arboris genere locus abundaret, in numismatibus Cnosiorum argenteis, quæ apud me sunt, cupressus arbor incisa est. URSIN.

Caveamus] Cavet jurisconsultus in jure, cum præsto est clienti suo apud prætorem, eumque ne capiatur et fallatur ab adversario instruit. TURNEBUS.

Consultatione] Quæstio est de qua consulitur jurisconsultus. Thesin hoc nomine explicat in Partitionibus, ut

hypothesin causam vocat, in consuetudinem Romanorum ista traducens, cum jurisconsulti jus expendant universum, oratores singulorum causas agant. IDEM.

Nunc ab uno] Intelligo Servium Sulpitium, peritissimum jurisconsultum, quem in Bruto mirum in modum laudat. IDEM.

Cap. 6. *Haud scio an recte*] Id est, recte ut opinor. Ut de Finibus; *Quem haud scio an recte dixerim principem philosophorum.* IDEM.

Lex est ratio summa] Tota ista de lege disputatio ex libris Chrysippi de legibus sumpta est. Stoici autem legem summam esse censent mentem rationemque divinam, recta pravaque sancientem, ex qua lex humana rite laudata sit, quæ nihil aliud est quam mens et ratio sapientis ad recte facta vocans, et a peccatis avocans. Istam autem fuisse eorum sententiam de lege, ex Laertio VII. 80. intelligi potest. Vide de Nat. Deor. I. 14. ID.

Insita in natura] In illa rerum parente natura universi gubernatrice, atque adeo in summo et præpotente Deo. Stoicis enim Deus et natura idem sunt. Itaque lib. II. in ejusdem legis definitione in naturæ locum Deum substituet, sic scribens, cap. 4. *Ita principem illam legem et ultimam, mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei.* IDEM.

Confirmata et confecta] Ratio enim in homine inchoata est et infirma, rectique et iniqui in hominibus intelligentia non satis est enodata, nec satis firma et perfecta: sed confirmata est et confecta in mente sapientis ratio, eaque lex est. Nam inter deos et homines interest, quod in diis sponte naturæ absoluta ratio est, in hominibus infirmior est: convalescit autem doctrina, præceptione, institutione, usu etiam sine præceptione. ID.

Eamque rem illi] Legem Græci νόμον παρὰ τὸ νέμειν, a tribuendo vocant: legis enim et æquitatis est suum cuique tribuere. TURNEB.

A legendo] A deligendo, ut in lege insit delectus rerum agendarum. Alii putant quod legenda cognoscendaque populo proponeretur. IDEM.

Ut mihi quidem] Ita loquitur ut Academicus, nihil magnopere affirmans. Itaque paulo ante dixerat, *haud scio an recte*, infirmo quodam assensu. IDEM.

Populari ratione] Nos aliquando nomen legis de lege populari intelligemus et usurpabimus, a qua lege, qui non esset in philosophia versatus, juris primordium esse repetendum putasset. IDEM.

Scipio] Cujus ore Ciceronis de optimo reip. statu sententia in libris de repub. explicabatur. IDEM.

Serendi etiam] Non omnia legis imperio cavenda sunt, sed de virtute et vitio in disputatione multa ponenda, et de disciplina, et de origine naturaque juris, quæ res bonos mores seret. IDEM.

Cap. 7. *Dasne hoc igitur*] Pomponius Atticus sectam Epicuri sequebatur. Epicurus autem non solum providentiam, sed ut colligit Cicero, deos etiam prope negabat. IDEM.

Fluminum] Liris et Fibreni, qui in asperis illis Arpinatium locis strepebant. IDEM.

Virorum bonorum] Quod non reprehendo; nam bonorum animi sunt irritabiles. Itaque non damno quos irasci dico: sed et boni aliam in partem, dicuntur Epicurei, scilicet simplices et minime mali. Vide Cic. III. Tuscul. cap. 21. Tuscul. cap. 3. Itaque jocus est ex ambiguo, eosque ostendit, cum ratione non possint, iracundia pro secta propugnare solere. IDEM.

Primum caput] Epicurus librum quendam κυρίας δόξας inscripsit, cujus prima hæc est sententia. Vide lib. I. de Nat. Deor. cap. 30. IDEM.

Caput libri *optimi prodidisse, in quo scripsit*] Omnes Mss. dant *capituli*, non *caput libri*, manifesto errore. Aldus vero, cum viderit nihil in vulgata lectione antecedere, ad quod referatur verbum *scripsit*, reposuit *caput viri*. Bene; nam Noster ita loquitur in Lucullo IV. 32. *Ita, nobis tacen-*

tibus, ex uno Epicuri capite, *altero vestro, perceptio et comprehensio tollitur*. Per vocem *caput* intellige κυρίαν δόξαν, *sententiam maxime ratam*: Nosterque ideo Epicurum vocat *virum optimum*, quia sic Attico Epicuri discipulo, et cui Cicero hæc loquitur, visus est. PEARCIUS.

Multiplex] Callidus, varius, qui tam multa callet: ut simplex contra, incallidus nec astutus. TURNEB.

A summo Deo] Ab Jove præpotente, ut censent Stoici: nam apud Platonem summus Deus homines non generat, sed genii. IDEM.

Rationis] Fons et origo juris, ut Stoici censent, in ratione est: et qui rationis participes sunt, etiam jure et lege sociati sunt, ut dii et homines. Cum bestiis autem nulla nobis intercedit juris communio, ut existimant, quia ratione carent. Jurisconsulti tamen jus quoddam naturale esse dicunt, cujus perita non homines tantum, verum etiam bruta censentur. Platonici etiam et Pythagorici contendunt nos cum bestiis jure sociatos esse, quod in bestias animi humani immigrent, nec bestiæ ratione careant. TURNEB.

Cælo atque terra] Nam in cœlo atque terra etiam Stoici censent esse rationem, atque adeo in toto mundo. Cicero lib. II. de Natura Deorum, cap. 14. *Nihil autem est mente et ratione melius: ergo hæc mundo deesse non possunt*. IDEM.

Civitatis ejusdem habendi] Hæc Stoica sunt, ut ex quarto lib. de Finibus, cap. 3. intelligitur, et lib. II. de Nat. Deor. cap. 31. IDEM.

Si vero iisdem imperiis et potestatibus parent: multo etiam magis parent huic cœlesti descriptioni] Ita dederunt Victorius et Lambinus, licet hæc lectio commodum sensum non pariat. Nos vero ductu Paris. Reg. et Ven. 1471. hunc locum sic restituimus: *Si vero iisdem imperiis et potestatibus parent* ii, *multo etiam magis. Parent* autem *huic cœlesti*, &c. DAVIS.

Cap. 8. *Nam cum de natura omni*] Ita legendum ex veteribus libris. TURNEB. Victorius edidit, *de natura hominis*, et ita legendum: nam de sola hominis natura nunc agit Cicero. DAVIS.

Disputari solet (et nimirum ita sunt ut disputantur) perpetuis, &c.] Ita fere Mss. nostri, editique a Turn. et Victorio, et Lambino. Forsan omnia planiora essent, si transposita syllaba legeretur: *et mirum, ni ita sunt ut disputantur*. Vulgata lectio solum habet: *disputari solent, nimirum ista: perpetuis, &c.* GRUT.

Maturitatem] Man. Lamb. *materiam*.

Ingenio] Natura ulla, ulla alia animante. TURNEB. Legendum monuimus ad Epit. Lactantianæ cap. 48. *neque ullo alio* in genere *præterea*. DAVIS.

Est autem virtus] Hæc virtutis definitio Stoicorum est: aiunt enim igniculos nobis quosdam virtutum natura insitos esse, qui cum adulti sunt, perfectam virtutem efficiunt: haud ergo temere virtutem *perfectam in se naturam* appellat, cum et ipsa et summum quoque bonum ab illis primigeniis seminibus proficiscantur. In diis statim perfecta natura est, in hominibus non item, sed tandem confirmatur et perficitur. Proinde lib. II. de Natura Deor. dicitur a Stoico Balbo, *Nec vero hominis natura perfecta est, et efficitur tamen in ea virtus*. Perfectio autem naturæ hic est rationis absolutio. TURN.

Cap. 9. *Obscuras et necessarias intelligentias enudavit,*] Lamb. *obscuras, nec satis apertas intelligentias inchoavit*.

Et rerum plurimarum obscuras et necessarias *intelligentias* enodavit] Non placet doctis hæc lectio vulgata, quia non vere dicitur natura *enodasse intelligentias rerum*, quas Cicero alibi dicit eam solum *inchoasse* et *adumbrasse*. Sic infra in cap. 22. *rerum omnium quasi* adumbratas *intelligentias animo ac mente concepit*. Et in cap. 10. *quæ in animis imprimuntur, de quibus ante dixi*, inchoatæ *intelligentiæ, similiter in omnibus im-*

primuntur. Equidem cum video Victorium sic edidisse *nec satis intelligentias enudavit*, totam sententiam ad hunc modum reformandum esse judico, *et rerum plurimarum obscuras nec satis* enodatas *intelligentias*, sc. attribuit homini; nam vox *attribuit* ex præcedentibus repetenda videtur. *Enodatas* idem valet quod *explicatas*; et eo sensu Cicero hanc vocem usurpat in Top. c. 7. ubi ait ἔννοιαν sive *intelligentiam esse insitam et ante perceptam cujusque formæ cognitionem*, enodationis *indigentem*. Pearc.

Intelligentias] Intelligentias hic vocat notiones mente perceptas ex Stoicorum sententia, id est, conformationes insignitas in animo et impressas. Cicero in Top. cap. 7. *notionem* quoque Stoicos sequens appellat, *quam Græci*, ut ait, ἔννοιαν et πρόληψιν *dicunt: eamque* ait esse *insitam et ante perceptam cujusque formæ cognitionem, enodationis indigentem*. Id enim est quod hic ait, *non satis enodatas esse primas intelligentias*; enodationis enim indigent. Magis enim enucleandæ sunt definitionibus, præceptis, usu vitæ, ac cognitione philosophiæ. Itaque huc illud ex III. Officiorum cap. 20. pertinet. *Explica atque excute intelligentiam tuam, ut videas quæ sit in ea species, forma, et notio viri boni*. Rursum cap. 19. *Si quis voluerit animi sui complicatam rationem evolvere*. Ergo illud in Top. cap. 2. hinc explicandum est, non satis intellectum, *Definitio adhibetur, quæ quasi involutum evolvit id de quo quæritur*. Nam ad complicatas et involutas notiones referendum est. Stoici autem communes intelligentias, et insitas præceptiones, principia philosophiæ esse putaverunt: eas vocarunt κοινὰς ἐννοίας, καὶ ἐμφύτους προλήψεις. Extat Plutarchi liber περὶ κοινῶν ἐννοιῶν, in quo contra Stoicos disserit, quod cum communes intelligentias principia philosophiæ profiteantur esse, eorum tamen philosophia communibus notionibus maxime repugnare refragarique videatur. Falso autem quidam affirmant πρόληψιν apud Platonem inveniri, cujus vocabuli primus auctor Epicurus fuit. Recordatio autem illa Platonis in Phædone et Menone nihil ad hunc locum pertinet, præsertim cum nihil de animorum migratione in corpora hic disputatum sit. Scribitur etiam hic *enudavit*. Turn.

Oculi arguti] Nimis mobiles et agiles, ut digiti arguti. Idem.

Cujus vim Græci norunt] Nonnulli hunc locum exagitant, neque Græcis vernaculam deesse dictionem quæ vultum declaret, aiunt, ac πρόσωπον idem declarare affirmant. Idem. Vultus est *voluntas, quæ pro motu animi in facie ostenditur*: facies, *ipsa oris species*; ut ait Nonius, cap. 5. Dav.

Moderationem vocis] Quam nostro arbitratu regimus et moderamur et flectimus. Eam enim varie vel intendimus, vel remittimus, eaque vocis est moderatio. Turn.

Quod principium] Inepti sunt qui *principium* ad *hominem* referunt, et principium finem interpretantur, et *reliquas res* accipiunt eas quæ sunt hominis causa creata, cum *principium* ad *generavit* et *ornavit* referendum sit hoc modo: *Nunc quoniam hominem generavit et ornavit Deus, quod principium reliquarum rerum esse voluit*: id est, reliquarum rerum quas in sequenti oratione complectar. Id.

Perspicuum sit illud] Pro perspicuo notoque ponatur, quod alio loco disseretur. Idem.

Genera cognovit] Species et formas rerum cognovit ex præcepta notione, quam imbecillam confirmat et inchoatam absolvit: quæ quidem est confirmatio et perfectio rationis atque naturæ in homine. Deus enim hominibus rationem donavit, quæ inchoata est, postea confirmatur et perficitur. Idem.

Cap. 10. *Neque opinione*] A philosophis disputabatur a naturane an ab opinione jus esset profectum. Hinc in Topicis, cap. 21. Cicero scribit, *Ut si quæratur a naturane jus profectum sit, an ab aliqua quasi conditione hominum et pactione*. Atque

adeo idem de toto genere virtutis quærebatur, ut in Topicis, cap. 21. *Ecquidnam honestum sit, ecquid æquum revera, an hæc tantum opinione sint.* Ista ab utilitate, ac proinde ab opinione, profecta Epicurei censebant, in quos disputabit. IDEM.

Doctrina differens] Hominibus ad percipiendum et discendum vis ac facultas ingenii par eademque concessa est; doctrina tamen excolitur et augetur ratio. Hinc facultas ingenii eruditorum et idiotarum differre videtur. TURN.

Discendi quidem facultate *par*] Hæc lectio prorsus est absona. Harleian. sec. ab emendatrice manu, et editio pervetus habent, *discendi quidem facultas par.* Melius quidem; nam vel eo modo rescribendum, vel, *facultates pares,* quod mallem. DAV.

Ducem nactus] Man. Lamb. Grut. *qui ducem naturam nactus.*

Ducem nactus] Nactus præceptorem, nactus doctorem. Ratione enim et doctrina virtus indiget, ut scribitur tertia Tusculana. TURN.

Cap. 11. *In pravitatibus*] Stoicis omnes perturbationes vitiosæ sunt, et pravæ, non item Peripateticis et Platonicis. Vide Tuscul. IV. IDEM.

Molestiæ] Hæ quatuor generales sunt perturbationes, quibus multæ subjiciuntur formæ. Atque hic nihil est confusum, ut quidam censent, si quid agatur quis attendat. IDEM.

Extremum est] Ut bene dicendi ratio est rhetorica, ita recte vivendi ratio est philosophia. Sensum non vident qui hic *rationem* legem interpretantur. IDEM. Ex hoc loco me non expedio, quo enim spectat illud *meliores?* num ad *homines?* at pro iis supra usurpaverat *genus hominum.* Deinde, quomodo intelligendi *meliores?* an simpliciter? at de eo non est sermo. Non quæritur, quomodo fiant boni, sed quomodo a natura ipsa censeantur sociati. Hoc enim egerat toto loco Cicero, ut a similitudine hominum a natura ipsa in animis, sensibus, voluntatibus circa quasvis res, sive bonas sive malas producta, sociatos eos demonstraret. Quare suspicor illud *meliores* de societate oportere accipi, velut diceret, tanto fore quemque magis idoneum ad societatem, alterique magis conjunctum, quo magis utatur recta ratione vivendi, hoc est, magis sit homo. SCHEFFER.

Cap. 12. *Quod dicam naturam esse*] Id quod dico, natura est, non corruptela nec consuetudo, id est, de natura loquor, non consuetudine, nec de vitiis quæ succreverunt. Itaque hic *natura* est quod natura insitum est nobis, et quod naturale est. TURN. Locus est corruptus, cui Manutius, Lambinus, et Davisius frustra conati sunt mederi. Lego *sic intelligi volo,* jus *quod dicam,* natura *esse.* De *jure* enim hic Cicero loqui velle videtur, et vere dicitur *jus* esse *natura* oriundum, ut Noster dicit in c. 13. *Videtur, mihi quidem certe, ex natura ortum esse jus;* et *nisi separatim hoc ipsum,* natura *esse* jus *disputarint:* sic enim ibi legit Davisius, ut et Lambini Ms. non (ut vulgo) *naturæ:* sic etiam in c. 15. *ita fit, ut nulla sit omnino justitia, si neque* natura *est;* et c. 12. *quo facilius jus in natura esse positum intelligi possit.* Fin. III. 21. Jus *autem, quod ita dici appellarique possit, id esse* natura: ubi pro vulgato *naturam* Davisius recte edidit *natura;* quoniam (ut ait) φύσει τὸ δίκαιον εἶναι, μὴ θέσει contendebant Stoici. PEARC.

Quod si] Locus est ex Heautontimorumeno Terentii. Id est, si homines non sua tantum curarent, sed aliorum negotia ad se pertinere putarent, et pro suis haberent, humana societas non violaretur. Vide de Off. I. 9. TURN.

Qui primus utilitatem a natura *sejunxisset*] Non recte hic videntur *utilitas* et *natura* sibi ipsis opponi; nam poterit quis a *natura utilitatem* aliquando sejungere, et tamen Socraticam istam execrationem non mereri. Davisius igitur legit *utilitatem a* jure *sejunxisset;* pro quo ego malim *qui primus utilitatem a* naturæ jure *se-*

junxisset: ut Noster in c. 14. dicit, *quin....defensionem facinoris a* naturæ jure *aliquo quæreret.* PEARC. Socrates exsecrabatur illos, qui *utilitatem a natura,* id est ab honestate, quæ illi natura cohæret, *sejunxissent;* ut in l. 3. Offic. c. 3. FACCIOLATI.

Pythagorea vox, τὰ τῶν φίλων κοινὰ, καὶ φιλίαν ἰσότητα] Græcas has voces nulli Mss. codices retinent: duo autem qui sunt in D. Marci bibliotheca satis antiqui, unus Latinis, alter Longobardicis litteris exaratus, illarum loco habent hæc verba, *de amicitia locus.* Quam adnotatiunculam quandam fuisse in margine ab aliquo collocatam credimus; postea autem ab imperitis librariis in ordinem verborum Ciceronis importune translatam. Græca tamen verba ubi invenimus, reliquimus; quamvis certi non simus, an illa sint quæ Cicero intelligit. Acutioribus igitur ingenijs hoc judicandum relinquemus. Utramque tamen Pythagoræ fuisse sententiam, et ab illo primum pronuntiatam, a Laertio in ejus vita didicimus; qui Timæum hoc tradere his verbis affirmat, Εἶπέ τε πρῶτος, ὥς φησι Τίμαιος, κοινὰ τὰ φίλων εἶναι, καὶ φιλίαν ἰσότητα. VICT. Hujusmodi nihil hoc in loco videtur posuisse Tullius; quod, iis receptis, haud bene connectitur oratio. Non tamen ullus dubito, quin Græca quædam Pythagoræ sint a Cicerone prolata; nec enim est, ut alio modo possimus lacunæ rationem reddere. DAVIS. Omnino retinendum est hoc loco Græcum proverbium τὰ τῶν φίλων κοινὰ, de quo itidem l. I. Offic. c. 16. vide ejus explicationem, quæ huc maxime pertinet, in Dialogo de Amicitia c. 14. FACC.

Cap. 13. *Veterum*] Ineptum sit Thaletem, Democritum, Heraclitum, Anaxagoram intelligere, qui et physici appellabantur, et de philosophia morali, cujus auctor et inventor Socrates fuit, non disputabant. Veteres igitur philosophos intelligo Academicos veteres et Peripateticos. TURNEB.

Naturæ esse jus] Malim *natura esse jus,* φύσει εἶναι τὸ δίκαιον; ac ita Lambino teste, dant quidam Mss. DAVIS.

Aristonis] Aristo Chius, cujus in Zenonis vita Diogenes Laertius meminit, rejecta præceptoris Zenonis opinione, nihil bonum præter virtutem, nihil malum præter vitium, dixit, ac in rebus mediis, ea momenta quæ Zeno posuit, nulla esse judicavit. Quin et summum bonum esse dixit, in rebus mediis neutram in partem moveri, quam ἀδιαφορίαν vocabat. TURN.

Num et in iis] Hoc capite argumentatur jus natura esse: facta tamen hic nonnulla labes est; nam principium deest. Quod ad hunc locum attinet, perdifficile est augurari, qua de re loquatur. Suspicor tamen fere eum de conscientia agere, cujus tacito judicio jus natura esse confirmatur. Cum autem *illius suffimenta* dicit, Epicurum, ut opinor, intelligit, qui se prædicabat homines mortis et deorum metu tanquam expiasse, id est, liberasse: qua in re se nihil egere dicit ejus suffimentis, id est, monitis, cum meliora habeat. Eaque fortasse causa hujus loci mutilandi fuit, quod nescio quid de inferis et religione audacius hic Cicero loquebatur. TURN.

Ut eos agitant insectanturque furiæ] Ita Davisius legit, præeunte Turnebo, sed tandem suam sententiam bene mutante. Fatetur tamen Davisius codices Mss. habere *agitent insectenturque.* Quæ lectio vera est, et se veram esse ostendet, si in præcedentibus pro *Itaque* legamus *Itaque,* id est, *Et ita.* Vide jam totum locum, *Itaque pœnas luunt (non tam judiciis, quæ...persæpe falsa sunt) ut eos agitent insectenturque furiæ, &c.* Costructio est, *ita pœnas luunt, ut furiæ eos agitent.* PEARC.

A natura jura aliqua quæreret] Ita Victorius, et ita codices omnes: pro quo reponit Davisius *a natura* aut *jure aliquo quæreret.* Cum enim sequitur, quæ *si appellare audent impii,* censuit ille (opinor) duas saltem res memoratas præcessisse. At eam lectionem, quam Lambinus excogitavit,

Gruterusque recepit libens amplector, a *naturæ jure aliquo quæreret*: neque enim verisimile est, ut Cicero diceret aliquem quærere defensionem facinoris a *natura*: sed potius eum, qui vellet suum dolorem justum videri, defensionem quærere ab aliquo *naturæ jure*. Nec quem moveat, quod *jure* vox est singularis numeri, *quæ* vero est pluralis: videntur enim voces conjunctæ *jure aliquo* vim habere pluralis numeri, cum non de uno et certo jure, sed de uno quovis ex pluribus intelligendæ sint. Recte igitur sequitur, *quæ si appellare audent impii*: scilicet jura, ex quorum numero fuit istud jus aliquod, a quo quærerent defensionem suam. Id.

Cap. 15. *Jam vero illud*] Consentaneum est iis qui jus opinione nitî, non natura constare putant, quæ Epicureorum sententia est, ut omnia quæ sita sunt in populorum legibus, justa esse credant. In eos igitur hic disputat, qui jus nihil aliud esse censent, quam quod lege cautum est: ut hominum institutis, non natura constare videatur. Hic locus uberius a Platone in Minoe tractatur. Turnebus.

Triginta illi Athenis] Athenienses a Lacedæmoniis bello diuturno profligati, et ad extremum gravi obsidione ad deditionem compulsi, triginta rectores accipere coacti sunt: qui sese tandem tyrannos fecerunt, ac Atheniensium libertatem oppresserunt. Idem.

Ut dictator] Eam opinor legem intelligit, qua summum in cives imperium citra provocationem dictatori permittebatur, ut indicta etiam causa in eos animadverteret: nam quibus Coss. creatus sit dictator, historici fere non produnt, ut tum interregnum fuisse videatur. Vel eam potius intelligit (atque hoc verius puto) quam L. Flaccus interrex de Sylla tulit, ut omnia quæcunque ille fecisset, essent rata. Cic. in Rullum Oratione III. cap. 2. *Omnium legum iniquissimam dissimillimamque legis esse arbitror eam, quam L. Flaccus interrex de Sylla tulit, ut omnia quæcunque ille fecisset essent rata.* Turnebus.

Ut iidem dicunt] Epicureos notat, quorum duo capita comparat et collidit, jus ab institutis ortum esse, et ab utilitate profectum: nam utilitate perrumpentur leges et instituta. Qui de Thrasymacho hic loquuntur, omisso Epicuro, a sensu aberrant. Idem.

Si natura confirmatura] Si a natura stirps juris removeatur, et utilitati adscribatur, secuturam ait non tantum juris eversionem, verum etiam virtutum omnium, præsertim earum quæ hominum societatem tuentur. Earum enim, ut juris, si origo in utilitate ponatur, subversio manifesta consequitur. Idem.

Cap. 16. *Populorum jussis*] Proprie. Nam populus jubere dicebatur, senatus decernere, quem nomine principum intelligit (ut in lib. de Oratore I. 7. *Cum igitur vehementius inveheretur in causam* principum *consul Philippus)* judices sententiam ferre. Idem.

Communis intelligentia] Ea est prima quædam animi notio et præceptio, quæ in animis nostris inchoavit sensum honesti. Κοινὰς ἐννοίας vocant Stoici, de quibus extat commentarius Plutarchi in Stoicos. Communis autem notio Stoicis principium est scientiæ et κριτήριον. Dicitur etiam πρόληψις, quæ est ἔννοια φυσικὴ τοῦ καθόλου, id est, *notio naturalis universarum rerum*. Idem.

Nobis notas res efficit, easque *in animis nostris inchoavit*] Cum præcesserat *efficit* præsentis temporis vox, Davisius ex tribus Mss. protulit *inchoat*, ut particula *que* copulet similia tempora: quod eodem modo necessarium duxit propter sequens verbum *ponantur*. At quamvis grammaticæ sic satis consuluit, non item sensui loci: cur enim eæ res *notæ* esse dicantur, quæ postea solum dicuntur esse *inchoatæ*? Hoc qui videt, mecum (opinor) censebit legendum esse *nobis notas res efficit* eas, quas *in animis nostris inchoavit*. Sic tandem et latinitati et sententiæ satis provisum erit. Pearc.

Partes] Id est species: nam formam generis, quo facilius intelligatur, Cicero in Topicis cap. 3. ait, se interdum *partem* solere appellare. Virtus autem universa, ipsum genus est, id est generalis virtus. Turn.

Catum] Catum Varro lib VI. L. L. acutum, non sapientem interpretatur; ut *cata signa* apud Ennium, et *egregie cordatus homo catus Ælius' Sextus:* et apud Lucilium *cata dicta*. Hic tamen est prudens, sapiens, peritus, contra quam Varroni videatur. Est autem Sabinum vocabulum. Utitur eo Plautus initio Poenuli, *Quas tu sapienter, docte, cordate, et cate.* Idem.

Cap. 17. *Inconstantia*]. Inconstantiam, ut in Tusculanis, hic vocat defectionem a recta mente, aversam a rationis præscriptione; quæ vitiorum et perturbationum origo est, ut constantia virtutum. Turneb.

Nos ingenia juvenum, non item ad ingenia, &c.] Corruptus plane est locus, quem ut sanarent, multum laborabant editores, studio tamen (opinor) hactenus inani. Ex vestigiis Mss. sic censeo eum refingendum esse, *Nos ingenia juvenum natura judicamus: non item virtutes et vitia, quæ existunt ab ingeniis, judicabuntur? An ea non aliter? Honesta et turpia non ad naturam referri necesse erit?* Scilicet locum verborum *natura* et *non item* mutavi; inserui verbum *judicamus* ex tribus Mss. et omisi voces *ad ingenia*, quæ glossam sapiunt. Porro, *item* hic idem valet ac si vox *natura* repetatur; et post verba *an ea non aliter* subintelligo verba *quam ad naturam referenda sunt.* Pearc.

Quod laudabile] Ut bonum natura judicatur, ita laudabile bonum, quod honestum est, eadem natura judicabitur: alioqui cum beatitudo a virtute proficiscatur, opinione, non natura beati homines essent. Stoicis autem omne bonum laudabile est. Cicero lib. III. de Finibus, cap. 8. *Quod est bonum, omne laudabile est: quod autem laudabile est, omne est honestum; bonum igitur quod est, honestum est.* Peripateticis et Academicis non omne bonum laudabile est. Tur.

Sint principia naturæ] Duo rerum principia statuebat Pythagoras, bonum et malum; sed non in eam sententiam hic accipio, verum omnis laudis, virtutis, officii, honestatis, contrariorumque hæc principia esse, eaque naturæ, non opinionis nec judicii. Idem.

Scabie] Titillatione et pruritu, cujusmodi scabiosis sese fricantibus gignitur, unde a scabendo scabies nomen habet. Idem.

Cap. 18. *Sic in ea reliquæ quoque virtutes*] Hæc vetus et bonorum librorum scriptura est, estque hæc sententia plane Stoica: nam Stoici in una virtute etiam reliquas inesse cernique censent. Sunt enim virtutes ipsæ inter se colligatæ et implicatæ, et qui unam habet, reliquas habet. Idem.

Gratuita] Gratuita est liberalitas, quæ tantum officii gratia benigne facit. Sic Sallustius Fragm. Hist. lib. I. cap. 14. *Ubi malos præmia sequuntur, haud facile quisquam gratuito bonus est.* Idem.

Si sine præmio] Citatur hic locus a Lactantio lib. VI. cap. 11. ubi Ciceronem quoque carpit, qui hujus præcepti oblitus, in Officiis liberalitatem prope mercenariam faciat. Hunc etiam locum uberrime tractat Seneca lib. IV. de Beneficiis, ubi beneficium dare, et invicem gratiam referre, per se expetenda contra Epicureos confirmat. Idem.

Nihil expetit] Lego, *exprimit*, id est, extorquet, præmii scilicet causa. Non intellexerunt vulgo hoc vocabulum, itaque ex eo fecerunt, *expetit*. Noster in Orat. pro Quint. cap. 14. *Extorquendum est invito, atque ingratiis, quod non debet; eripiendum, atque exprimendum est.* Scheffer.

Cap. 19. *Infamiæ metu non esse petulantes*] Deesse videtur aliquid ad supplendam sententiam, cui rei non satisfacit (opinor) subintellecta vox *dicemus*. Fortasse Cicero scripsit, *infamiæ metu satis est non esse petu-*

lantes, an legum et judiciorum. Sensus est: qui vel infamiæ, vel legum et judiciorum metu ab impudicitia abstinent, non possunt non petulantes dici. Pearc.

Nullum judicium] Id est neminem vitia vitare, nisi quæ infamia aut pœna notata sunt. Judicium dicit: quia proxime de pudicitia verba fecerat, quam qui parum honeste habebat, lege Scatinia in judicium vocari poterat. Turneb.

Cap. 20. *Aliquando tamen judicandam*] Id est dijudicandam, quod in libris de Finibus fecit. Ex hoc loco colligimus hos libros ante libros de Finibus esse scriptos, et, ut opinor, ante bellum civile, absolutis jam libris de Repub. Idem.

Gellio] L. Gellii Cicero in Bruto, cap. 47. meminit: quem *non vendibilem oratorem,* multarum tamen rerum peritum fuisse dicit: eumque illic familiarem suum vocat. Meminit et hujus Plutarchus in Cicerone, quem ait Ciceroni, ob patefactam conjurationem, civicam coronam decrevisse. Sed et pro Sestio a Cicerone *vir clarissimus et fortissimus consul* dicitur. Consul autem fuerat anno ab urbe condita DCLXXXI. cum Lentulo, cum quo etiam censor fuit, ut ab Asconio scribitur. Idem.

Pro consule] Missus enim in provinciam fuerat loco consulis: tametsi non ex consulatu. *Proconsul* autem et *pro consule* differunt, quod quidam ignorarunt, qui idem esse putaverunt, ut *propraetor* et *pro prætore.* Nam proconsul tum erat qui consulatum gesserat, et ex consulatu provinciam obtinebat: et proprætor qui ex prætura. Pro consule qui loco consulis, etiam si nec consulatum gessisset, et privatus esset. Sic privatus Pompeius pro consule mittitur, non proconsul: et L. Gellius ex prætura mittitur pro consule in consularem provinciam; nondum enim consulatum gesserat: et Piso apud Sallustium quæstor mittitur pro prætore in Hispaniam. Verba Sallustii sunt, Catil. cap. 19. *Postea Piso in citeriorem Hispaniam quæstor pro prætore missus est adjutante Crasso.* L. autem Gellius cum hæc scriberentur mortuus erat. Idem.

Convenire] Si inter eos de arbitro conveniret si compromissum in arbitrum aliquem facerent, aut arbitrium a magistratu peterent. Ridiculum hoc erat, quod putaret ut lites, sic controversiam de Finibus honoraria arbitri opera disceptari et componi posse. Turneb.

Cum antiqui omnes] Antiqui Academici bonum, quod secundum naturam esset, posuerunt; et bene vivere, naturæ convenienter vivere. Zeno autem nihil bonum nisi honestum statuit. Cicero autem libro quarto de Finibus a Peripateticis, qui omnino in eadem in qua Academici hæresi sunt, Stoicos verbis, non re dissentire ostendit. Idem.

Non verbis] Ut cum commoda dicere malunt Stoici quam bona, incommoda quam mala: cum legenda et sumenda dicunt commoda fortunæ et corporis, non expetenda: cum incommoda non sumenda, non autem fugienda. Idem.

Cap. 21. *Antiocho*] Hic Philonis discipulus relicta nova Academia in veterem remigravit, ac librum de Peripateticorum et Stoicorum concordia edidit. Cicero lib. I. de Natura Deorum, cap. 7. Hujus auditor Pomponius, alioqui Epicureus, aliquando fuit: ac propemodum se ab eo ex Epicuri hortulis in Academiæ spatia pertractum ait. Idem.

Magistro enim] Propter condiscipulos Epicureos, qui istud acerbe ferrent, si eum magistrum agnosceret, et Epicuri sectam relinqueret, id dicit. Idem.

Perpauculis passibus] Nam in spatiis Academiæ Academici inambulantes disputabant. Hinc illud Horatii lib. II. epist. II. 45.

Atque inter sylvas Academi quærere verum.

Idem.

Usucapionem] Hunc locum *Alciatus* ita ex *Aggeno Urbico* et *Julio*

Nypse declarat. *Lege duodecim tabul. cautum erat, ut inter vicinorum prædia constitutis finibus, quinque pedum spatium relinqueretur, qua ire, agere, uterque dominus posset, itemque ut circumverti aratrum posset.* Id spatium usucapi eadem lege prohibebatur: deinde post decemviros lata est lex Manilia, vel Mamilia, ut in libris scriptis reperio: quæ, quoties de his quinque pedibus controversia esset, eligi arbitrum agrimensorem aut finitorem jussit; qui fines eos regeret et constitueret. Ultra vero quinque pedes, quoniam lis non finalis, sed proprietatis est, prætor adeundus erat, Jocus autem est ex ambiguo, de finibus agrorum et bonorum. IDEM.

Inter quinque pedes esse voluerunt] Alciatus *noluerunt* probat, legis auctoritate adductus, cujus hæc verba sunt de controversiis agrorum: *De rigore controversia est finitimæ conditionis, quoties inter duos pluresve terminos ordinatos, sive quæ alia signa secundum legem Maniliam*, vel *Mamiliam*, ut reperio, *intra quinque pedes agitur.* Sed *intra quinque pedes* est controversia, cum de illis quinque finalibus pedibus lis est; *Inter quinque pedes*, cum de possessione, prædio, agro, inter quinque pedes, id est, inter limites clauso, lis est. Nam nunc agitur de possessione et fundo Academiæ, quem Zeno usucapere conatur. Biennio enim lege duodecim Tab. fundus usucapiebatur: nullo tempore usucapiebantur limites quinum pedum: etiam si quis, verbi gratia, limitem viginti annis arasset et sevisset. Quod afferunt de Solonis lege, hunc locum non illustrat. *Intra* et *voluerunt* si legas, id eodem sensu accipi poterit. IDEM.

Depasci veterem] Academiæ agro velut usucapto frui Zenonem non sinemus. Nam plane sentit idem quod Academici veteres, eorumque sententiam usurpat, mutatis tantum vocabulis loquitur alio modo Possessiones sunt agri late patentes vel publici, vel privati. Hic qui *depasci* absumi depascendo interpretantur, sensum non vident: qui enim agrum possidet, in agrum pecus suum immittere potest, in alienum agrum non potest: inde translatio ducta. ID.

Ex iis tres arbitri fines regemus] Celeberrimus autem JCtus Aimarus Ranconetus (ut auctor est Turnebus Advers. IV. 24.) legit *e* XII. *tres arbitri fines regemus.* Sic etiam magnus ille Cujacius Observ. V. 21. et sic edidit Lambinus. Mutatio sane est exigua, mentique Ciceronis congrua. Receptam tamen lectionem nullus equidem moveo: cum pronomen ad XII. tabulas, quarum supra meminit Noster, commode queat referri. DAVIS. Hic autem arbitri sunt, quos dicimus *commissarios.* TURNEB.

Quos Socrates] Termini quos Socrates pegit, possessionem Academicorum terminabunt, qui ab eo statim exorti sunt; ostendentque a Zenone aliorum verborum obtentu usurpatam Academicorum possessionem. TURNEBUS.

Ut ex natura] Secundum naturam, quod a Socrate acceptum tenuerunt Academici, et probarunt Stoici, ut utrorumque eadem sit sententia. Dicitur eodem modo, *e natura vivere, e virtute vivere*, pro *secundum naturam, secundum virtutem.* IDEM.

Vita modica] Cicero lib. II. de Finibus, cap. 11. *Secundum naturam vivere*, interpretatur esse *virtute adhibita frui primis a natura datis.* Lib. autem III. Offic. cap. 3. sic scribit, *Etenim quod summum bonum a Stoicis dicitur, convenienter naturæ vivere, id habet hanc ut opinor sententiam, cum virtute congruere semper, cætera autem quæ secundum naturam essent, ita legere, si ea virtuti non repugnarent.* Lib. II. de Finibus, cap. 11. *convenienter* naturæ vivere dicit esse *e virtute, id est, honeste vivere. Quod* Stoici *ita interpretabantur: vivere cum intelligentia earum rerum, quæ naturæ convenirent, eligentem ea quæ secundum naturam essent, rejicientemque contraria.* Interpretatio Stoica, cum virtuti adjungat fructum earum re-

rum quæ naturæ conveniunt, ab Academicorum sententia nihil discrepat. Stoici tamen hæc externa et corporis commoda sumenda, legenda, eligenda dicunt, non expetenda: contrariaque rejicienda, non fugienda, quo antea modo etiam ipse loquebatur de morte et vita, cum hanc errore homines expetere diceret, illam fugere. Academici autem ea in rebus expetendis et fugiendis numerant. *Vitam* hic appellat emolumenta et commoda, quæ secundum naturam sunt, et quibus ad vitam degendam est opus. Nam sic vita et hic, et in prima Academica, cap. 5. accipitur his verbis: *Constituebantque extremum esse rerum expetendarum et finem bonorum, adeptum esse omnia e natura et animo et corpore et vita:* id enim est adeptum esse omnia quæ secundum naturam sunt animi, corporis, fortunæ bona. *Modicam* addit quod earum rerum modus naturalis sit, et quod beati etiam esse possimus sine divitiis, opibus, honoribus, gratia. Hæc enim a natura recedunt. *Vitam aptam virtute* vult, ex virtute scilicet pendentem, ut V. Tuscul. cap. 14. *Non sane optabilis quidem ista, inquit, rudentibus apta fortuna.* Aut potius bonis modice suppeditatam. Ut apud Horatium lib. I. Od. XII. 43.

> .... *Et avitus* apto
> *Cum lare fundus.*

Et apud Catullum Carm. XXVIII. 2.

> Aptis *sarcinulis et expeditis.*

Significat enim, ut opinor, *Horatius* parvum et concinnum larem: et Catullus, curtas et adstrictas sarcinas. In codice scripto hic reperi *et aperta virtute.* Quidam *aptam virtuti* legunt: quod non probo. Idem.

Quapropter hoc *dijudicari, &c.*] Bene a Davisio notatur vocem *quapropter* hic nullum proprium locum habere; non enim ex eo, quod dixit Quintus, sequitur istam causam *dijudicari* non potuisse. Monet idem in suis Mss. occurrere vel *et per hæc,* vel *ac per hoc;* unde ille legendum voluit, *at vera hoc.* Ego potius sic sententiam restituo, Inter hæc *dijudicari nescio an unquam,* &c. Scilicet voces *inter hæc* ex præcedente sententia, ubi sensum turbant, ad hunc locum reducendas esse opinor. Pearcius.

Cap. 22. *Nam quæ a me adhuc dicta sunt*] Locum totum ita restituebat Lambinus: *Nam quæ a me adhuc dicta sunt, a media philosophia ducta sunt. Tu autem alicujus civitatis leges fortasse desideras.* Quintus. *Equidem nec Lycurgi, &c.*

Charondæ] Charondas Thaletis Milesii discipulus (ut quidam censent, reprehendit *Aristoteles*) Catanensis, Catanensibus civibus suis et Chalcidicis Siciliæ et Italiæ civitatibus leges tulit. Eum *Thurium* a Thuriis civitate Italiæ Valerius appellat, lib. VI. cap. 5. 4. extern. Errant qui in Valerio *pro Thurio Tyrium* emendant. Hujus legibus etiam Mazaceni usi sunt, ut ait Strabo, lib. XII. Zaleucus Locris Epizephyriis Italiæ populis leges scripsit. Turneb.

Ita fit, ut mater omnium bonarum artium sapientia] Vict. *Ita fit mater omnium bonarum rerum sapientia.*

Cap. 23. *Nam cum animus*] Qui sapientiæ compotes sunt, ii beati sunt. Sapientia autem rerum divinarum et humanarum cognitionem complectitur: cujus pars una est de vita et moribus, quæ ethice: altera de natura et rebus occultis, quæ physice: tertia de disserendo, et quid verum, quid falsum, quid consentaneum, quid repugnans judicando, quæ dialectica vocatur: quas omnes partes hic attingit. Turneb.

Unde generata] Ad deflagrationem respexit. Nam hæc omnia censent Stoici tandem aliquando exustum iri. Itaque non est huc advocandus Aristoteles, qui cœlum, terram, mare, neque exordium habuisse, neque finem habitura credit. Idem.

Generata] Ignis Stoicis principium est et semen omnium rerum, unde omnia generantur, et quo revertuntur. Id. Vide de Nat. Deor. lib. II

Quando] Rata quædam et de censent exustionis tempora: non tamen sunt ea hominibus cognita. ID.

Quo modo] Per exustionem scilicet in ignem abitura. IDEM.

Æternum] Stoicis æterna est materia, et deus, quem per materiam pervadere, et eam informare censent: atque adeo ignis ipse rerum semen. Animos etiam humanos æternos et immortales Cicero existimat: qua de re inter Stoicos est variatum. IDEM. Vide Tuscul. I.

Cap. 24. *Sepimento*] Stoicorum more, qui philosophiam agro feraci comparabant, cujus sepem dialecticam esse dicebant: fructum, ethicen: terram aut arbores, physicen: auctore Laertio, VII. 40. IDEM.

Disputatione] Disputationem perpetuæ orationi hic opponit. Propria enim est disputatio dialecticorum, ut perpetua oratio oratorum: et dialecticus disputator dici potest: διάλεξις, disputatio; Διαλεκτική, prudentia disputandi. Sed et dialogi eadem est origo, qui dialecticorum et philosophorum, ut Lucianus ait, proprius erat; veterumque illorum philosophorum, qui dialectici habiti sunt et appellati, oratio in interrogatione et responsione erat posita. IDEM.

DE LEGIBUS,

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

Civitatis jus, aut ad res et rationes hominum, aut ad religiones et ceremonias Deorum, comparatum est. Hoc divinum, illud humanum dicimus. Sed cum divini potior sit et antiquior cura, (Deum enim ut colamus in lucem editi sumus, religionemque ac pietatem natura nobis inseuit) Cicero merito a religionis constitutione incepit, et eam in hunc librum contulit. Cujus disputationem ab ultima lege, quæ mens Dei est ratione cogentis et vetantis; et ab humana, quæ ratio est sapientis, legi divinæ consentiens, ut a capite, arcessit. Nam ab his, ut fontibus, jura nostra fluunt, eoque referri debent. Addit deinde, Platonis more, legis prooemium: ei legem de religione subjungit, quam a Numæ Pontificumque Rom. decretis educit. Postremo hujus suasionem et explicationem reddit. TURNEB.

Cap. 1. *In Fibreno*] Arpinatem Ciceronis villam duo fluvii alluebant, Fibrenus et Liris, eamque amœnissimam reddebant et saluberrimam. TURNEBUS.

Nilos et Euripos] Nihil autem et Euripi erant aquæductus et alvei operis sumptuosi, qui aquam fluviorum in morem deductam conciperent: quodve fluviorum et freti angusti, quale Euboicum erat, similitudinem haberent, ideo delicati illi splendidis nominibus Nilos et Euripos vocarant. IDEM.

Ithacam ut videret] Cicero lib. I. de Orat. cap. 44. *Cujus rei tanta vis ac natura est, ut Ithacam illam in asperrimis saxulis tanquam nidulum affixam sapientissimus vir immortalitati anteponeret.* Homerus Odyss. A. 56. IDEM.

Cap. 2. *An est illa una patria communis*] Cum quatuor Mss. a Davisio citatis et cum edit. Ven. 1471. lego: *An est una illa patria communis?* mutato ordine verborum *illa* et *una*: sensus enim postulat, ut vox *una*, non *communis*, sit prædicatum (ut dici-

tur) sententiæ. Quasi diceret Cicero: Illa patria communis, illa, quæ omnes nos Romanos continet, annon est *una?* Interrogativa particula *an* in hoc loco idem valet ac *annon.* Sic in Offic. I. 15. an *imitari agros fertiles debemus, qui multo plus efferunt, quam acceperunt?* De Fin. V. 14. an *ea, quæ per vinitorem antea consequebatur, et per se ipsum curabit?* Non igitur opus fuit, ut Davisius vocem *non* hic inserendam esse contenderet. PEARCIUS.

Unam naturæ] Municipium in quo sunt nati. TURNEB.

Alteram juris] Romam, in quam sunt suscepti communicata municipiis civitate. IDEM.

Priusquam Theseus] Lege, *postquam,* nisi plane ab historia et veritate discedas. PASS. Annotavit hoc ipsum *Pet. Faber,* ad Luculli cap. 36.

In ἄστυ] Id est, Athenas. Terentius in palliata comœdia Eun. act. V. sc. VI. 17. *An in astu venit.* TURNEBUS.

Et Sunii *erant iidem et Attici*] Sic a multis annis editur. Attamen ne minime quidem dubito quin vitiosa sit hæc lectio: nam, quod *Ursinus* etiam notavit, non *Sunii,* sed Σουνιεῖς, erant dicendi. Ascensius repræsentavit *Symphrantides ex Atticis,* unde συμφρεάτιδας finxit. Joach. vero Camerarius συμφρατίδας vel συμφατρίδας. Paulus denique Manutius conjecit, συμφράτορας *esse ex Atticis.* At harum vocum nulla satis est Græca, et *civis Atticus* Atheniensem denotat. Harleian. pr. exhibet *symphaantidem et acticis:* reliqui *et symphrantidem,* vel *et sui phrantidem, ex Atticis.* Cogitabam *et sui vici,* vel *pagi, erant iidem, et Attici:* nec a sensu forsan aberrabam; licet quæ fuerit Tulli manus, ῥητῶς dici non queat. Certe tradunt scriptores Atticam *vicatim* et κατὰ κώμας ante Thesei tempora fuisse habitatam. Adi Valerium Maximum lib. V. cap. 3. et Isocratem in Helenæ Encom. DAVIS.

Cap. 3. *Duo sui conservatores*] Marius et Cicero. TURNEB.

In familiam patriciam] Qui in adoptionem arrogabatur, familiæ prioris nomen relinquebat, et a patris naturalis potestate in adoptivi manum et nomen transibat; idque multo magis si ex obscura familia in nobilem transiret. Sic T. Pomponius Atticus a Cæcilio avunculo adoptatus, T. Cæcilius Pomponianus Atticus est vocatus. Sic qui donabantur libertate, patronorum nomen sumebant. IDEM.

Thyamis] Vide Turnebi Advers. XI. 16.

Cap. 4. *A parvis enim, Quinte, didicimus,* SI IN JUS VOCAT, *atque ejusmodi alias, leges nominare.*] Erat, qui mendosam putaret esse hanc vocem, *alias,* rescriberetque, *alia.* Levis hæc mutatio sensum efficit fortasse planiorem, in hunc modum: Olim cum essemus pueri, *didicimus* hoc ex XII. tabulis, SI IN JUS VOCAT, *et ejusmodi alia, leges nominare.* Sed tamen sine hac mutatione, et retenta voce *alias,* stat eadem sententia; si modo cogitationem referas ad *populares leges,* quarum mentio et nomen antecessit. Cæterum, de hoc versiculo, SI IN JUS VOCAT, vide Gravinam, Orig. Juris, lib. II. qui est de Jure naturali, Gentium, et XII. Tabularum, cap. 67. ANON.

Coclitem illum] Historia narratur a Livio lib. II. cap. 10.

Sex. Tarquinius] Livius ab urbe condita lib. I. cap. 58.

Cap. 5. *Verum quoque*] Veræ legis nomen et potestatem obtineat, non autem jussa et vetita populorum. *Rectum* autem dicit id quod perfectum est, quod absolute justum et sincerum. Hoc enim nomen in perfectione officii ponit, ut scribit lib. I. Offic. cap. 3. Sententia est: quod omnes numeros justitiæ et æquitatis et virtutis habet, id demum veræ legis nomen obtinet, non istæ leges populares. TURNEBUS.

Item cum in homine] Itidem in mente sapientis vera et summa lex est, cum in homine est perfectum, id est, cum ad absolutionem et perfec-

tionem homines pervenerunt, in quibus inchoata sunt ista, ut in sapiente perfecta quemadmodum in Jove. Existimant autem eandem in homine et Deo rationem et virtutem esse Stoici. Scribitur etiam hunc in modum locus iste, *Item cum in homine est perfecta*, quod erit, cum divina mens et ratio est perfecta in homine: quam scripturam etiam valde probo. Alii legunt: *Quod in homine est perfectum:* quod etiam laudo. IDEM.

Latrones] Vulgati, *latores*, a quibus discedere audemus, cum sana et minime dubia videatur alia lectio, quam indicat Justus Lipsius, Antiq. Lect. lib. II. cap. 2.

Cuicuimodi] Id est cujuscunque modi, quod pro *cujus cujusmodi*, id est cujuscunque modi, a Cicerone usurpatum in oratione pro Roscio cap. 34. annotat Priscianus lib. XIII. *Vereor enim, cuicuimodi es, Rosci, ne ita hunc videar voluisse servare, ut tibi non pepercerim.* TURNEB.

Cap. 6. *Titias*] Minime dubito quin eæ significentur leges, quas Sextus Titius et L. Apuleius Saturninus, invita nobilitate, plebis commodo et voluntati servientes, pertulerunt; quas postea senatus, quod non modo parum utiles reip. verum etiam exitiosæ viderentur, sustulit. P. MANUT.

Ne Livias quidem] M. Livius Drusus trib. pl. fautor primum senatus, socios et populos Italicos ad senatus causam defendendam spe civitatis Romanæ sollicitavit. Agrarias deinde leges per vim et contra auspicia, et frumentarias offenso senatu, ac postremo judicialem legem tulit. Itaque Philippus Cos. obtinuit a senatu, ut omnes ejus leges uno senatusconsulto tollerentur. Decretum est enim contra auspicia esse latas. TURN.

Zaleucum] Qui Locris leges scripsit, ut Charondas Thuriis, quorum meminit Valerius lib. VI. cap.5. et Diodorus Bibliothecæ lib. XII. ID.

Timæus] Timæus historicus acerbissimus in omnes convitiator fuit. Aristotelem omni genere contumeliæ vexavit, eoque progressus vesaniæ est maledicendo, ut pro Timæo, a reprehendendo, Epitimæus diceretur. Is acriter Theophrastum reprehenderat, quod Locrorum legislatorem Zaleucum fuisse scripsisset: quem nullum omnino fuisse contendebat. Sed Theophrasti sententiam et auctoritatem Cicero pluris quam Timæi facit. IDEM.

Theophrastus auctor haud deterior, mea quidem sententia: meliorem multi nominant:] Et Lipsio et Davisio hæc videntur esse corrupta: credo, quia nihil hic de Theophrasto, Zaleucum extitisse testante, dicitur: unde Lipsius legit, *mea quidem sententia melior, cum multis nominat:* Davisius vero *mea quidem sententia melior; eum et multi nominant.* Equidem legendum censeo, *At Theophrastus, auctor haud deterior mea quidem sententia, (meliorem multi) nominat:* ut post vocem *multi* voces *censent esse* subintelligantur. Cicero in Epist. ad Att. VI. 1. dicit: *Quis Zaleucum leges Locris conscripsisse non dixit? Num igitur jacet Theophrastus, si id a Timæo tuo familiari reprehensum est?* Unde patet Atticum amantissimum fuisse operum Timæi: credibile est igitur Ciceronem hic, cum Atticus præsens fuerit, voluisse Theophrastum Timæo præferre, non suo, sed aliorum judicio. PEARC. Offero lectori sequentem lectionem, quæ verior videtur, *Theophrastus auctor haud deterior, mea quidem sententia* melior multo, nominat: *commemorant vero*, &c. MISCEL. OBS. *Vol.* IV.

Clientes] Tota illa ora a Vibone Brundusium usque in fide et clientela Ciceronis erat. Cicero pro Plancio: *Iter a Vibone Brundusium terra petere contendi, cum omnia illa municipia quæ sunt a Vibone Brundusium, in fide mea, Judices, essent.* TURN.

Cap. 7. *Sacratisque*] Quidam sacratas leges eas dicunt, quas plebs jurata in sacro monte scivit. Livius lib. II. ab urb. cond. cap. 33. *Sunt qui duos tantum in sacro monte creatos tribunos esse dicant; ibique sacratam*

legem latam per secessionem plebis. Quidam eas, quibus sancitum est, ut si quis adversus eas fecerit, sacer alicui Deorum sit, ut verbi gratia Cereri, erantque de plebis libertate. Proinde sacrosancta quædam in ea lege potestas erat, ut eam violari nefas omnino esset, idque capite expiaretur. Volsci ut majori animo bellum capesserent, omnisque vacatio tolleretur, lege sacrata delectum habuerunt. Livius lib. IV. cap. 26. *Nec ultra terror belli est dilatus, lege sacrata, quæ maxima apud eos vis cogendæ militiæ erat delectu habito.* Sacrabantur leges aut consecratione et obtestatione, aut pœnarum sanctione. Cicero pro Corn. Balbo: *Deinde sanctiones sacrandæ sunt aut genere ipso, ut obtestatione et consecratione legis, aut pœna, cum caput ejus qui contra facit, consecratur.* Idem.

Cap. 8. *Adeunto caste*] Castimoniam corporis et animi lex requirit, sed in corpore potius observabatur. Ita ad sacrificium pura sacerdotum vestimenta esse oportebat, id est non obstita, non fulgurita, non funesta, non habentia maculam. Sic aqua corpus abluebant, et denarias interdum ceremonias observabant, et tricenarias, decemque continuis diebus vel triginta certis quibusdam rebus abstinebant. Sic puri menstruo dicebantur, qui sacrorum causa toto mense in ceremoniis erant; id est, puri erant certis rebus carendo. Sic secubabant: et castimoniam in poculis et vasis quadam superstitione observabant. Columella XII. 4. *His autem omnibus placuit eum, qui rerum harum officium susceperit, castum esse continentemque oportere: quoniam totum in eo sit, ne contractentur vascula vel cibi, nisi aut ab impube: aut certe abstinentissimo rebus venereis.* Itaque impuri a rebus sacris removebantur et arcebantur, lexque Numæ erat ne pellex aram Junonis tangeret. Idem.

Habessit] Id est, habuerit.

Ascitos] Ut ascitus est Æsculapius Epidauro, et Pessinunte accersita est mater deum. Idem.

Lucos] Silvæ erant fere in conspectu villæ fundique incæduæ, diis consecratæ, quas ferro temerare nefas erat. Plinius de Arboribus lib. XII. §. 2. *Hæc fuere numinum templa, priscoque ritu simplicia rura etiam nunc deo præcellentem arborem dicant: nec magis auro fulgentia atque ebore simulacra, quam lucos et in iis silentia ipsa adoramus.* Erant etiam in urbe luci, non tantum in agris. Turn.

Larum sedes] Lares significat familiares et penates. Plautus: *Dii penates meum parentum, familiæ Lar pater.* Nam penates etiam erant civitatis et Lares. Lararium autem eorum sedes dicebatur; cum sedes hic sit ubi sedet signum statutumque est, ut hoc rursus libro cap. 17. *Vexati nostri Lares familiares, in eorum sedibus exædificatum templum licentiæ.* Lares, *deos domesticos* interpretatur Tertullianus in Apologetico cap. XIII. Colebantur et in compitis Lares, sed et in conspectu villarum et fundorum: qua de religione hæc lex intelligitur. Idem.

Endo cælo] *Endo* pro *in* veteres usurpabant: sic *endoitium* pro *initio*, et *endoploranto* pro *imploranto*, et *endo procinctu* pro *in procinctu* dicebant. Idem.

Ast olla] *Ast* adversantis non est, verum copulantis. Earum autem laudum omnium, id est, rerum laudandarum et virtutum, Romæ delubra erant. Idem.

Pietatem] Pietati ædes ab Acilio consecrata est, eo loco, ubi quondam mulier habitavit, quæ patrem inclusum carcere mammis suis clam aluit. Idem.

Feriis jurgia amovento] Plato lib. XI. Legum, cum dixisset, *Ne quis cui convitium dicito*, subdit, *Quas ob res prorsus in templo nullus quicquam hujuscemodi unquam obloquatur, nec in publicis item sacris, nec rursus in ludis, aut foro rerum venalium, aut jure, aut denique in publico conventu.* Sed et Cicero ita se lib. I. de Divin. cap. 45. explicat, *Rebusque divinis, quæ publice fierent*, &c. Idem.

In famulis] Familiam servorum feriari sinant absolutis operibus rusticis: ut Compitalibus, cum rem divinam in compito aut foco faciebant: ut Saturnalibus, &c. Simile est dicendi genus *lessum funeris ergo habere.* IDEM.

Itaque, ut ita cadat, &c.] Quod hic dicitur, non est consequens præcedentium; non igitur locum habet conjunctio *Itaque.* Cur etiam dicitur *ita cadat?* nihil enim vel in prioribus vel in sequentibus isti voci respondet. Ut sana sit lectio, mihi videtur sic scribendum esse, *Itaque, ut cadant in annuis amfractibus, descriptum esto:* id est, *ita descriptum esto: ut* [feriæ] *cadant,* &c. PEARC.

Annuis amfractibus] In anni curriculis et fastis. Sic in VI. de Rep. *Nam cum ætas tua septenos octies solis amfractus reditusque convertit,* id est, annos. TURN.

Certasque fruges] Antiqui certis frugibus in sacrificiis utebantur, ut fere adoreo farre, ex quo libum persæpe, struem, aut molam conficiebant: quæ etiam tanquam προθύματα in quibusdam sacris erant. Adde quod Plinius scribit, lib. XVIII. cap. 2. IDEM.

Alios ad dies] Ad alias ferias, in quibus lacte vel lactentibus hostiis opus est. IDEM.

Ubertatem] Nam lacte Cereri libabatur. Virgilius Geor. I. 344.

Cui tu lacte favos, et molli dilue Baccho.

Nec fœtus illico sacris idoneus erat, verum ovis die septimo, suis decimo. IDEM.

Id quod ne] In quo ne peccari possit, utque istarum rerum suppetat ubertas. Id *committi* dicitur, in quo delinquitur. Sic *sacrum commissum,* cum in religionem et sacra peccatum est. IDEM.

Quæque quoique divo] Singulis diis suæ quondam erant hostiæ, Cereri porca, Baccho caper, Neptuno taurus: nec aliena hostia deus placabatur. Idcirco Jovi tauro, verre, ariete facere non licebat. Jam aliis diis hostiæ lactentes, aliis majores: aliis fœminæ, aliis mares immolabantur. IDEM.

Divisque aliis sacerdotes] Nam pontifex omnibus religionibus ac ceremoniis publicis privatisque, nec non sacris ac rebus omnino divinis præest. Flamen autem unius dei est sacerdos, ut Dialis, Vulcanalis, Quirinalis. Erant præterea alii sacerdotes nec flamines, nec pontifices, ut Salii, et alii. Sed et sacerdotes erant illis diis, quibus suus flamen. Ordo autem is erat sacerdotum, ut omnium maximus rex esset, deinde Dialis, post hunc Martialis, mox Quirinalis, quinto loco pontifex max. qui judex et arbiter habebatur rerum divinarum et humanarum. Hic ex interpretatione Ciceronis legendum videtur *divisque ollis.* Sed et supra nonnulli legunt *Itemque* ollos *ad dies.* IDEM.

Ignem foci] Focus domiciliorum sacer est Vestæ, et in eo res divina Laribus plerumque fiebat. Eodem modo civitatem suum habere focum voluerunt, in quo perpetuus ignis a virginibus servaretur. Infra, *Cumque Vesta quasi focum urbis,* &c. Sex autem erant vestales, quarum una dicebatur maxima, quæ et ætate et dignitate præstabat. Valerius, lib. I. cap. 1. 7. IDEM.

Quoque hæc privatim] Ne quis sine sacerdotibus religioni publicæ privatæque satisfacere se posse putet: itaque sacrificandi ritum ignarus discat, et sacerdotem consulat. IDEM.

Eorum autem duo] Alii sacerdotes placandis diis præsunt, ut pontifices: alii prædictionibus interpretandis, *effata* vocat, ut decemviri, qui quoties senatus decreverat libros sibyllinos adibant, et sibyllæ effata interpretabantur. Sunt etiam *effata,* novissimæ preces augurum, quas post fines auspiciorum effabantur. IDEM.

Adsciverit] Id est, sciverit, decreverit. Compositum pro simplici antiquo more. IDEM.

Interpretes autem] Ut decemviri effata sibyllæ, ita Jovis sententiam interpretantur augures, quos lib. III.

Jovi consiliarios et administros esse datos ait. IDEM.

Postea] Deinde etiam augures ex signis disciplinæ suæ videant et augurentur. Nam præter placationem deorum et interpretationem effatorum, auspicia et auguria etiam debent accedere. TUR.

Sacerdotes] Sententia est, sacerdotes augurio capto divos exorent, ut novelleta et virgulta, vitesque fauste succrescant, a deisque salutem augurio precibusque populo impetrent. Sic Cato in lib. de Re Rustica cap. 141. *Mars pater, precor te, uti morbos visos invisosque, viduertatem vastitudinemque, calamitates intemperiasque prohibessis, defendas, averruncesque: uti tu fruges, frumenta, vineta, virgultaque grandire, beneque evenire sinas.* Virgetorum nomine arbores et frutices significantur, ut apud Maronem Georg. II. 2. nomine *virgultorum.* Salutis autem augurium erat hujusmodi, ut si deus annueret, populo salutem peterent. Perinde ac si nefas esset, vel salutem petere, nisi explorata per auguria numinis voluntate. Cicero, de Divin. I. 47. *Tibi P. Claudius augur consuli nunciavit, addubitato salutis augurio,* &c. IDEM.

Divorumque iras] Providento num irati dii sint: ut neque domi, neque militiæ, quicquam agendum sit, averso et irato numine. IDEM.

Apparento] Id est parento, ut nihil geratur deo irato. Sic supra *asciverit* pro *sciverit,* more prisco. IDEM.

Cœlique fulgura] Tuscorum litteræ in sedecim partes cœlum divisere, ex quibus octo ab exortu sinistras dixere; totidem e regione, dextras: ab illis prospera, ab his infausta fulgura mittuntur. Ad augures autem, de quibus hic agitur, id etiam pertinet. Cicero lib. III. de Leg. cap. 19. de augure: *Cœlique partes sibi definitas esse traditas.* In templis etiam augurum partes sunt quatuor, sinistra ab oriente, dextra ab occasu, antica ad meridiem, postica ad septentrionem. In fulguribus autem ea aruspices et augures considerabant, quæ Lucretius attigit lib. VI. 86. &c. IDEM.

Templa liberata et effata] Templa regiones sunt, aut agri, certo carmine ab augure lituo finiti et notati, unde in omnes cœli partes ad augurium captandum liber erat aspectus. *Liberata,* inquit Festus, *antiqui pro effata, id est locuta, dixere.* Hic tantum pro liberis et patentibus accipi potest. Festus Pompeius item *minora templa esse,* ait, *cum ab auguribus loca aliqua tabulis aut lineis, ne uno amplius ostio pateant, certis verbis definita sunt.* In templis autem liber quoquoversum aspectus erat, ut interdum augures ea quorum altitudo auspiciis obesset, demoliri juberent. Ideoque summissiorem aliis ædem honoris, C. Marius fecit, ne si forte officeret publicis auspiciis, augures eam demoliri cogerent. De effatis sic Varro, lib. V. *Hinc effata dicuntur, quod augures finem auspiciorum cœlestium extra urbem agris sunt effati.* IDEM.

Defixerit] Verbum male ominosum dirumque, quod, ut opinor, a sagis quibusdam ductum est, carmine et veneficio, vel nomina hominum vel speciem, defigentibus ad noxam. Ovidius Amor. lib. III. Eleg. VII. 29.

Sagaque Phœnicea defixit nomina cera,
Et medium tenues in jecur urget acus.

Seneca de beneficiis, lib. VI. cap. 35. *Execraris enim illum, et caput sanctum dira imprecatione defigis.* Plinius H. N. XXVIII. 2. *Defigi quidem diris deprecationibus nemo non metuit.* IDEM.

Cap. 9. *Feciales, judices*] Collegium fecialium his rebus quas lex memorat, præerat, ut Livius et Dionysius explicant. Dionysius autem eos dici posse græce putat ἱερονόμας; et a Numa institutos dicit, sumpto ab Æquicolis exemplo, apud quos, ut Valerius in Fragm. de nominum ratione §. 10. scribit, *primus Sertor Resius jus feciale instituit.* Libri scripti *Judices si sunto.* Ut suspicer scribendum esse *duo sunto,* adducor

auctoritate Livii, qui ita lib. IX. cap. 5. scribit, *Ubi si ex fœdere acta res esset, præterquam duorum fecialium nomina non extarent.* ID. Non video quare illud *duo* debeat placere. Varro memorat quatuor ad hoc negotium, alii plures. In antiquis libris legitur, *judices ne sunto;* ex quo facio, *feciales judicesque sunto.* SCHEF.

Bella disceptanto] Jus fecialium esse ait Dionysius, etiam disceptare, justene et pio bello res repeti possint. TURNEBUS.

Etruscos et haruspices] Deleta particula, quæ conjungendi vim habet, legendum censeo, *Etruscos haruspices.* MURETUS, in Catil. III. 8.

Etruriaque principes] Vide Cic. de Divin. I. 41. et Val. Max. I. 1. Sensus est, ut quibus de rebus consulti fuerint Etrusci, ex disciplina sua doceant principes, id est, senatum: ut libro primo *principum decreta* dixit. TURNEBUS.

Creverint] Id est, decreverint, constituerint. Varro de lingua Latina lib. VI. IDEM.

Procuranto] Sacrificium quod fit ad depulsionem et expiationem monstrorum et portentorum, procuratio dicitur: et ea gratia rem divinam facere est monstra procurare. IDEM.

Obstita] *Obstitum* Cloatius et Ælius stylo esse aiunt violatum, tactumque de cœlo, quæ significatio hic convenit. Cincius eum qui deo deæque obstiterit, id est, qui viderit quod videri nefas est. Est et *obstitum*, obliquum et mendosum. Lucretius IV. 519. IDEM.

Præter olla] Præter sacrificium Bonæ Deæ, quod noctu pro populo fiebat. Cicero: *Credo enim te audivisse cum apud Cæsarem pro populo fieret, venisse eo muliebri vestitu virum.* Hoc autem sacrum *Damium* dicebatur, ex contrario, quod minime esset δημόσιον id est publicum, et Bona Dea Δαμία, et ejus sacerdos Δαμίας. Publica porro sacra pro populo, pagis, curiis fiunt: privata pro singulis hominibus, familiis, gentibus. Quidam scribunt etiam a Romulo pervigilationes nocturnas sublatas lege lata fuisse. IDEM.

Initianto, nisi] Vel, ut receptum est, vel non, ut in Græcia, noctu, sed interdiu. Tolluntur autem initia Samothracum, Bacchanalium, et alia hac lege. Initia vocantur ab initiis vitæ, inventis a Cerere legibus et frugibus, in quarum rerum memoriam fiebant, cum ante ferino ritu homines vitam sibi propagarent. IDEM.

Græco sacro] *Græca sacra,* inquit Festus, *Cereris festa sunt ex Græcia translata, quæ ob inventionem Proserpinæ matronæ colebant.* IDEM.

Sacrum commissum] Peccatur in sacra diesque festos, prudenter vel imprudenter. Prudentia impia est nec expiari potest: contemptum enim habet religionis et scelus. Imprudentia expiatur. TUR.

Ludis publicis] Id est in ludis publicis theatralibus. Ludos autem publicos more Romano, circo et cavea dividit; qua in re, extra curricula circensia et pugilationem luctationemque, quæ circi sunt, approbat: in theatralibus et scenicis ludicris, quæ sunt caveæ, moderationem adhibendam musicæ censet, ne illius corruptela animi effœminentur et depraventur. Sic Græci dividunt ludos in gymnicos et musicos. In gymnicis est luctatio et pugilatio et curricula: in musicis comœdiæ et tragœdiæ, et alia. Legem autem hanc a Platone sumpsit. IDEM.

Idææ matris] Sic appellabatur mater magna, ab Ida monte. Lucretius, II. 611.

Idæam vocitant matrem, &c.

Stipem lex summovet, quoniam superstitione animos implet, et exhaurit domos. Olim namque Isidis sacerdotes, aliique divinatione quadam et ceremonia non exiguum æs colligebant, et pravam religionem inducebant, quod genus homines æruscatores fere vocabant. In hujusmodi homines Plato X. de Legibus animadvertit. Idæam autem matrem ex

Pessinunte advectam Nasica hospitio excepit. Megalensibus ejus famuli Galli stipem cogebant. Hujus stipis Varro meminit lib. IV. Lucretius eadem de re, II. 626. Ovidius, Fast. IV. 350. Idem.

Justis diebus] Diebus illis, quibus est eis jus cogendæ stipis. Idem.

Sacrum sacrove commendatum] Id autem *sacro commendatur*, quod in sacro deponitur: nam *commendare nihil aliud est quam deponere.* Verba sunt Ulpiani Digg. lib. L. Tit. XVI. leg. 186. Davis.

Parricida esto] Faustus in *Parici Quæstores:* Parricida *non utique is, qui parentem occidisset, dicebatur, sed qualemcunque hominem. Id autem fuisse indicat lex Numæ Pompilii regis his composita verbis:* Si quis hominem liberum dolo sciens morti ducit, parricida esto. Vult igitur noster, ut is *qui sacrum sacrove commendatum clepsit rapsitque*, pari pœnæ subjiciatur ac si parricidii reus fuisset. Parricida vero, seu, quod eodem redit, homicida, impune potuit occidi. Vide Barn. Brissonium Form. lib. II. Idem.

Placare donis] Ne rem divinam facere ausit. Hæc lex ex Platone est. Turnebus.

Caute] Diligenter vota reddunto quibus se obligarint. Idem.

Agrum] Agri consecrati sunt aut sacri, ut quæ hodie vocamus prædia ecclesiastica et sacra. Clodius domum Ciceronis consecravit. L. Ninnius omnia bona P. Clodii consecravit. Imperatores sæpe agros captos consecrarunt, etiam urbes, ut Carthaginem Africanus. Interdum Cereri caput cum bonis sacrabatur. Lex Papiria vetuit ne cujus ædes injussu populi consecrarentur. Nunc ne agri consecrentur cavet Cicero, a Platone sumpta lege. Idem.

Sacra privata] Nam jurisconsulti rationes quasdam interimendorum sacrorum invenerant. Ideo id sancit. Cicero pro Muræna, cap. XII. *Sacra interire illi noluerunt: horum ingenio senes ad coemptiones faciendas interimendorum sacrorum causa reperti sunt.* Idem.

Deorum manium] Augustinus lib. IX. de civitate Dei cap. XI. Platonicos ait, *animos hominum dæmonas esse arbitrari, et ex hominibus fieri Lares, si meriti sunt boni, Lemures seu Larvas, si mali: Manes autem deos dici, cum incertum est bonorum eos seu malorum esse meritorum.* Hic tamen deos manes, animos humanos corpore liberatos appellat, ut sepulcris inscribebatur D. M. Nam veterum opinio mortuorum animos consecravit, eisque parentavit denicalibus feriis, quas nunc lex et sepulturæ jura sancit. Id.

Hos leto datos] Non concoquo illud *hos*, nec enim habet quo referatur. Nam ad deos manes qui retulerit, monstrare debet eos leto dari. Quare suspicor illud *hos* compendium scripturæ esse, ac significare *homines.* Schef. Lego *suos leto datos, divos habento.* Servius in Æn. V. 47. *Apud Romanos defunctorum* parentes *dei a filiis vocabantur.* Rescribendum puto, *Apud Romanos defunctorum* parentum manes, *dei a filiis vocabantur.* Quod certe factum. Adeundi sunt præstantissimi viri Is. Casaubonus ad Suetonii Julium cap. 88. et Des. Heraldus ad Arnobii lib. II. Davis.

Cap. 10. *Numæ*] Qui religionem et ceremonias Romanæ reip. constituerat. Populi tamen Romani religio, ut Cicero scribit, cum in sacra et auspicia divisa esset, adjunctumque esset tertium, si quid prædictionis causa ex portentis et monstris sibyllæ interpretes aruspicesque monuissent, Romulus auspicia, Numa sacra constituerat. Tur.

Suade] Ut leges quæ ferebantur, suadebantur. Sic legem Maniliam Cicero suasit. Lex enim quæ promulgata fuerat, cum dies ferundæ venerat, in concione a præcone recitabatur: deinde privati eam suadebant: mox a latore sitella deferebatur, ac sortes æquabantur, tribuumque sortitio fiebat: postremo in suas tribus populus ad suffragium ferendum discedebat. Idem.

Uti rogas] In suffragio ferendo rem probanti tabella dabatur, cui inscriptum erat, *Uti rogas*. Cicero ad Att. I. 14. *Operæ Clodianæ pontes occuparant, tabellæ ministrabantur ita, ut nulla daretur Uti rogas*. Tur. Vide B. Brissonium, Form. lib. 2.

Ne longum] Videte ne, dum omnia suaderi vultis, vobis odiosus et molestus sim prolixitate. Idem.

Magos Persarum] Hac de re consulendus Herodotus est. Magi autem apud Persas, philosophi sunt ac sacerdotes, quorum auctor Zoroaster fuit. Persæ porro nec aras, nec simulacra, nec delubra ædificabant: sed celsissimis quibusque in jugis victimas immolabant. Idem.

Cap. 11. *Nam illud vitiosum*] Ante hæc verba quiddam deesse perspicuum est, quod ex Lactantio patet. Is enim libro primo cap. 20. sic ait, *Magnum Cicero audaxque consilium suscepisse Græciam dicit, quod Cupidinum et Amorum simulacra in gymnasiis consecrasset. Adulatus est videlicet Attico, et hominem irrisit familiarem.* Deinde subdit, *Virtutes enim oportere, non vitia consecrari.* Quæ manifestum est hoc Ciceronis loco citari. Idem.

Cylonio scelere] Historiam ita scribit Thucydides lib. I. *Cylon quidam Atheniensis fuit Olympionices, vetusta nobilitate, magnaque potentia. Ipsi Delphis oraculum consulenti respondit deus, uti maximis Jovis feriis Athenarum arcem occuparet. Is postquam Olympia quæ in Peloponneso celebrantur, advenere, arcem invasit. Quod ubi cognitum est, Athenienses ex agris populariter in eum ad opem urbi ferendam concurrerunt, ac sedentes juxta obsederunt. Cæterum qui cum Cylone obsessi erant, et ab annona et ab aqua misere conflictabantur. Cylon igitur ejusque frater clam fugam faciunt: reliqui ad aram, quæ in arce erat, supplices consident: quos sedibus extractos Atheniensium custodes, ut in æde jamjamque animam acturos viderunt, ne quid sceleris admitterent, extra abductos obtruncarunt; sed et quosdam, qui ad Eumenidum aras consederant, in transitu jugularunt. Inde piaculares deæque sacri ipsi posterique eorum vocati sunt.* Igitur et Athenienses illos exegerunt, et Lacedæmonius postea Cleomenes cum Atheniensibus per seditionem; vivosque non solum pepulere, sed et sublata mortuorum ossa abjecere. Cæterum Epimenides Athenas scelere Cylonio expiavit XLIV. Olympiade. Hujus rei meminit primo Leg. Plato. Idem.

Quæ omnia ejusmodi detestanda atque repudianda] Libri vulgati sic habent, *malæ Fortunæ, detestatæque, omnia ejusmodi repudianda sunt.* Veteres sic: *malæ Fortunæ, detestataque omnia ejusmodi*, &c. Unde Adr. Turnebus in commentar. ad hunc locum, legendum putat, *malæ Fortunæ, detestataque omnia ejusmodi repudianda sunt.* Muretus sic, *quæ detestata omnia ejusmodi repudianda sunt.* Alii delendum censent, ut alienum, hoc *detestataque* seu *detestatæque:* ut post vocem *Fortunæ* sequatur deinceps, *quæ omnia ejusmodi*, &c. Idem Turnebus libro Adversar. XIV. sententia mutata, sic legi mavult, *quæ omnia ejusmodi detestanda atque repudianda sunt.* Lambinus.

Vicæ Potæ] Haud aliter Victorius, Manutius, Lambinus, sed Gruterus, *Vicepotæ.* Legendum, *Vicæ Potæ.* Quod primus, ni fallor, docuit Nicolaus Faber, quem bonarum artium præceptorem habuit Galliæ rex Ludovicus XIII. Hæc igitur ille in Notis ad Senecæ Ἀποκολοκύντωσιν. *Vicæ Potæ,* "sive dei, sive deæ, ut numen "obsoletum, ita apud auctores obli-"teratum pæne nomen est. Primum "id corruptum latere apud Cicero-"nem lib. II. de Legibus, itemque "apud Livium et Plutarchum, me "docuit vir clarissimus atque orna-"tissimus Henricus Memmius pro-"latisque, quibus instructissimam ha-"bet bibliothecam, manuscriptis ex-"emplaribus probavit. Ciceronis lo-"cus ita vulgo habetur: *Quod si fingenda sunt nomina vice potæ, et potius vincendi potiundique:* et quæ

" sequuntur. Manuscripta vero sic " exhibent: *Quod si fingenda sunt* " *nomina, Vicæ Potæ potius vincendi,* " *potiundique, statassandi, quæ cogno-* " *mina Statoris, et invicti Jovis, re-* " *rumque expetendarum nomina,* &c. " quo modo etiam legit codex anti- " quus, qui aliquando fuit F. Petrar- " chæ, nunc autem amicissimi F. " Pithoei P. fratris vere in litteris " Castorum. Rectius tamen levi mu- " tatione legamus: *Quod si fingenda* " *sunt nomina, Vicæ Potæ potius vin-* " *cendi, potiundique, stassandique cog-* " *nomina Statoris, et invicti Jovis, re-* " *rumque expetendarum nomina, Salu-* " *tis, Honoris, Opis, Victoriæ.* Ἀπὸ " κοινοῦ enim repetendum est, *fingenda* " *sunt;* idque verum esse ex præce- " dentibus cuique patebit. Livius " etiam, lib. II. cap. 7. de domo Pop- " licolæ loquens scribit: *Delata con-* " *festim materia infra Veliam est, ubi* " *nunc Vicæ Potæ est.* Plutarchus in " Poplicola, de eadem re: κατασκεύασιν " οἰκίαν ἐκείνης μετριωτέραν, ὅπου νῦν ἱερὸν ἐσ- " τιν οὐικᾶς ποκᾶς ὀνομαζόμενον. Nec mo- " vere nos debet, quod Plutarchus " *Pocam* nominavit; quemadmodum " etiam ex quibusdam exemplaribus " Livii legitur, et in suo exaratum " fuisse adnotavit doctissimus Rhe- " nanus. Corrupto enim vocabulo, " ita vulgo vocari potuit. Non enim " de mendo Plutarchi lectio argui " potest: cum sex Mss. codices Re- " giæ bibliothecæ, et tres amplissimi " illius viri, quorum etiam unus Flo- " rentiæ editus ab Juntis anno 1517. " summo consensu ita legant. *Vica* " *Pota* igitur, seu *Vica Poca,* vis est " et numen vincendi potiundique dic- " ta, quemadmodum Anna Peranna " vis et numen annandi et perannan- " di. Ut enim satis non est annare, " nisi perannes: ita parum est vin- " cere, nisi victoria potiaris et fruaris. " Hactenus Nicolaus Faber." OLIV.

Vel respiciens] Respicientis Fortunæ ædes Romæ fuit juxta templum Jovis victoris. Respiciens dicitur, quæ nos respicit, ut opem ferat. Ad respicientem Fortunam venuste sic in Captivis allusit Plautus, act. IV. sc. II. 54. HE. *Respice.* ER. *Fortuna quod tibi nec facit, nec faciet, Hoc me jubes.* TURNEB.

*Tum ****] Desunt alia *fortunæ* cognomina: variis enim insignita fuit hæcce dea, quod Inscriptionum Gruterianarum docebit Index. Vide sis et B. Brissonium Form. lib. I. DAV.

Cap. 12. *Feriarum*] Festi dies latius quam feriæ patent: cum ludi festi dies sint, non tamen feriæ. Itaque speciei genus adjunxit, cum de feriis tamen tantum intelligat, de quibus lex cavet. TURNEB.

Operum rusticorum. Quod tempus] Lamb. *rusticorum et ad remissionem animorum: per quod tempus.*

Quod tempus] Diligenter habenda ratio intercalandi anni. Intercalatio etenim in sacris ad duo confert: tum ut feriæ anniversario et suo tempore redeant, tum ut libamenta, quæ feriis quibusque offerenda sunt, suo tempore habeantur. Nam per imperitiam intercalandi, et libidinem pontificum æstivæ interdum feriæ, hiemales fiebant: et hibernæ, æstivæ: nec tum propria reperiri libamenta poterant. Qua de re consulito Macrobium lib. I. cap. 13. 14. Anno autem nondum correcto a Julio Cæsare (hæc enim ante bellum civile scripta sunt post lib. de Rep.) alternis annis mensis intercalaris interponebatur, ut lunæ cursus qui menses metiebatur, cum sole congrueret. Hic quidam *ad quod tempus* legunt, quod non perinde probo. IDEM.

A Numa] Nam Valerius Antias Numam primum auctorem intercalationis fuisse sacrorum causa ait. Junius Servium regem: Tuditanus decemviros. Astipulatur Cicero Antiati, ut Livius, qui quidem ita scribit: *Atque omnium primum ad cursum lunæ in duodecim menses describit annum: quem, quia tricenos dies singulis mensibus luna non explet, desuntque dies solido anno, qui solstitiali circum agitur orbe, intercalares mensibus interponendo ita dispensavit, ut vigesimo quarto quoque anno ad metam*

eandem solis, unde orsi essent, plenis annorum omnium spatiis dies congruerent. Numa etiam Janum geminum dedicarat, cujus effigies digitis ita compositis erat, ut CCCLXV. dierum notas haberet. IDEM.

Cui majoribus] Ut Neptuno taurus major hostia immolatur: Robigo, lactens catellus: Matri Deum, fœmina, ut porca: Libero patri mas, ut hircus. *Quæ est enim causa,* inquit Arnobius lib. 7. *ut ille tauris deus, hædis alius honoretur aut ovibus, hic lactentibus porculis, alter intonsis agnis; hic virginibus buculis, capris ille cornutis, hic sterilibus vacculis, at ille ingentibus scrophis, hic albentibus, ille atris, alter fœminei generis, alter vero animantibus masculinis?* Major hostia lactenti opponitur, quæ adolevit, ut homines majores et minores ab ætate dici solent. IDEM.

Respondendi juris] Juris pontificii respondendi munus ad pontifices solos pertinebat: iidem etiam de jure civili respondebant, nec soli tantum. Sed et pontifices de religione et ceremoniis, et alii sacerdotes de jure suarum ceremoniarum et sacrorum singuli respondebant. IDEM.

Confitendarum] Illa descriptio sacerdotum ad confessionem religionum impellet. IDEM.

Cumque Vesta] Legunt, *Cumque Vesta, quasi focum urbis...complexa sit,* LAMB. et GRUT. Vesta a Græcis Ἑστία dicitur: quæ dictio ἐσχάραν quoque, id est, focum significat. Idem fere Cicero lib. II. de Nat. Deor. cap. 27. *Nam Vestæ nomen a Græcis: ea est enim quæ ab illis* Ἑστία *dicitur. Vis autem ejus ad aras et focos pertinet. Itaque in ea dea, quæ est rerum custos intimarum, omnis et precatio et sacrificatio extrema est.* TURNEB.

Virgines] Quatuor initio erant Vestales, postea sex. Inextinctum custodiebant ignem Romæ, ut æternus in Græciæ prytaneis servabatur. Is tamen quotannis mense Martio Romæ accendi solebat. Macrobius Saturn. lib. I. cap. 12. *Hujus etiam die prima, ignem novum Vestæ aris accendebant, ut incipiente anno, cura denuo servandi novati ignis inciperet.* ID.

In natura fœminarum omnem castitatem pati] Cum vix dici possit, quo sensu intelligendum sit illud *pati castitatem,* correctione opus esse cum doctis multis existimo. Davisius legit *probari,* vice *pati;* at hoc non videtur satis esse; leve enim est dicere, virgines Vestales ideo constitutas esse, ut ostenderent castitatem in fœminis esse *probatam:* immo potius dici debuit, eam esse necessariam, esse requisitam et expetitam. Lambinus potiorem conjecturam memoravit, *a natura fœminarum* omnium *castitatem* peti: Rectius, si unica mutatione legisset, *in natura fœminarum omnem castitatem* peti. Id est, in sexu fœmineo expeti, requiri, vel postulari omnis generis castitatem, eam quæ est animi, et quæ corporis: nam hæc sic distinguuntur in c. 10. *Observetur, ut casto corpore adeatur, multo esse in animis id servandum magis.* PEARC. Probo illud *pati.* Pro *omnem* tamen malo ex vulgatis *omnium,* post quod comma scribo. Sensus: Hæc ideo sic institui ut mulieres sentiant, esse in natura fœminarum omnium, habereque hoc omnes ab ipsa natura, ut possint pati castitatem, id est, castitatem ferre, servare, tueri. SCHEF.

Continet enim rempublicam] Statum civitatis id maxime continet. Pontifices autem et sacerdotes ex optimatibus sunt et principibus civitatis, cum ex senatoribus creentur: et lege Romuli sacra et auspicia tantum erant penes patricios, quanquam postea plebeiis promiscua facta, senatoribus tamen et optimatibus. TURN.

Neque multorum ne esset infinitum, neque ut ea ipsa] Lambinus sic edidit, *neque multorum ne esset infinitum, neque* paucorum librorum, ne *ea ipsa.* Non equidem inficias eo, quin locus mihi depravatus videatur: haud enim de *vatibus* loquitur, ut Turnebus voluit, sed de *sacerdotibus,* qui *fatidicorum et vatum effata incognita* declararent. Forsan *neque* multi tamen, *ne*

esset infinitum; neve ea ipsa...quisquam extra collegium nosset. DAVIS.

Jus] Potestas et munus augurum, qui initio tres fuere, ut tres antiquæ tribus, Rhamnenses, Titienses, Luceres, suum quæque augurem habebant. Postea numero multiplicati sunt, ita tamen ut semper impares essent. TURNEB.

Cap. 13. *Inter Marcellum et Appium*] Appius Pulcher de augurali disciplina ad Ciceronem scripserat. Cicero, lib. III. Fam. Ep. 4. Idem manes elicere et consulere solebat. Vide Tusc. I. 16. Hic autem cum Marcello in auguratu collega Ciceronis fuit. Cic. II. de Divin. 35. ID.

Neque enim Polyidi] Quidam *Polletis* hic legunt, qui sequi Suidam videntur, qui *Polleta* quendam scripsisse ἐνόδιον οἰώνισμα; quod quasi tu *viatorium augurium* dicas, prodit. Et rursum quendam ejusdem nominis, qui οἰωνοσκοπικὰ, id est, *auguralia* conscripserit. Ciceronem tamen *Polyidi* scripsisse contenderim, etiam suffragante veteri libro. Hujus siquidem Homerus, ut optimi vatis, Iliad. N. 666. meminit. TURNEB.

Melampodis] Melampus vaticinationis prudentissimus fuit. Hinc parœmia, *Symbolum Melampode vel Pollete eget.* Nam hi in conjectandis futuris sagacissimi fuerunt. Melampus autem ex eo vocatus fuit quod, cum expositus fuisset a matre et in densis arboribus depositus, ejus pedes extra opacum extantes atri redditi sint solis calore. Is cum catuli draconis, quem interfectum sepelierat, circum linxissent ejus aures, ad divinationem instinctus fuit, et vates optimus habitus est. IDEM.

Mopsi] Mopsus vates egregius, Ampyci ex Chloride filius, ut ait interpres Apollonii: a quo proverbium, *Mopso certior.* Hunc et Amphilochum Argivorum reges fuisse scribit Cic. I. de Divin. 40. Amphiaraus, Calchas, et Helenus omnibus noti sunt. IDEM.

Ad reip. tempus] Nam ad tempus reipub. semper comparatum augurum collegium existimabat Marcellus, non ad agendi consilium, quod servando de cœlo auspicandoque dies vitiare, et concilia et comitia dirimere solerent ex reipub. usu, et religionem animis objicere. Nam sic *tempus* a Cicerone sæpe usurpatur. IDEM.

Agendi consilium] Ad explorandam signis et auspiciis voluntatem deorum in rebus agendis, consilioque ex scientia augurali, et divinatione imperiis et potestatibus dando. Itaque si ad agendi consilium pertinebat, erat in ea divinandi quædam disciplina. IDEM.

Cap. 14. *Sequitur de jure*] Jus fecialium significat ab Anco constitutum, ut vult Livius, cum jam tamen a Numa ante collegium fecialium institutum esset, si Dionysio credimus. IDEM.

Procurationibus] Vide supra, ad pag. 197.

In religione] Cui parendum potius quam contradicendum est: quod alioqui ab Epicureo non admodum religioso dicitur. IDEM.

Excepto sacrificio] Bonæ Deæ, quod pro populo fiebat a vestalibus noctu. IDEM.

Iacchus Eumolpidæque] Eumolpus Eleusinius Musæi poetæ filius, Orphei discipulus, versificator fuit. Hic initiandi ritum invenit, et de sacris Cereris et mysteriis conscripsit. Ab eo Eumolpidæ, mysteriorum illorum sacerdotes, vocantur. Per Iacchum vero initia intelligit, in quibus etiam Iacchus, id est, Liber, colebatur. Vide lib. II. de Nat. Deor. cap. 24. Atque erat initiatorum vox ἴακχ᾽ ὦ ἴακχε, ut est apud Aristophanem in Ranis. Alii interpretantur ἴακχον hymnum in Liberum patrem et canticum. Ac sane illud canticum illamque vocem initiatorum Cicero intelligere videtur. Interpres Aristophanis ad Ranas vers. 326. Ἐγκὰς, inquit, dies unus mysteriorum erat, in quo ἴακχον canebant. IDEM.

Vestri] Alii, *nostri*: quod si probatur, etiam Cicero initiatus fuit: quod

suspicari quis ex prima Tusculana posset, cap. 13. ubi ait, *Reminiscere, quoniam es initiatus, quæ tradantur mysteriis, tum denique quam hoc late pateat intelliges*. Nam quæ tradantur mysteriis nisi initiatus scire non potuisset. Sed et de se Atticus et Cicerone mox dicere videtur, *Excipis, credo, illa quibus ipsi initiati sumus*. Quin etiam Romæ initiari Cereri solebant, non tamen noctu. Nam Romani mysteria Cereris susceperant. Cic. in Verrem, V. 72. IDEM.

Mysteriis θεσμοφόρια sunt Cereris legiferæ sacra, quæ Latini *Cereris initia* dicunt, in memoriam legum et frugum a Cerere inventarum. TURN.

Cum spe meliore] Credebant enim Athenienses melius esse initiatis apud inferos: eosque larga et perenni luce frui, et choros ducere. Reliquos autem in cœno volutari, ut ex Aristophanis Ranis intelligi potest, et ex Diogene Laertio, lib. VI. § 39. TURNEBUS.

Poetæ indicant] Quorum sæpe comœdiæ argumenta habent stupratarum Cereris pervigilationibus puellarum. Plautus Aulular. Prol. vers. 36.

Qui illam stupravit nocte Cereris vigiliis. IDEM.

Qua licentia] Nocturnarum pervigilationum. Clodium notat, qui in opertum Bonæ Deæ ingressus est, quod homini non licebat. IDEM.

Adjici fas] Opinio erat oculos amitti ab iis qui ea sacra vidissent. Cicero de Aruspicum responsis, *Aut quod oculos, ut opinio illius religionis est, non perdidisti*. IDEM.

Nobis] Atheniensibus. IDEM.

Cap. 15. *Initienturque*] Interdiu, non ut Athenis, noctu. Proinde initia Atheniensium laudat, quæ etiam Romani acceperant: ne noctu fiant præcipit, mulierum pudicitiæ metuens. IDEM.

Bacchanalibus] Sp. Posthumio et Martio Philippo coss. Bacchanalia sacrum Græcum et nocturnum, scelerumque omnium seminarium, investigata, ac multorum pœna sublata sunt. Auctor Livius lib. XXXIX. cap. 9. IDEM.

Diagondas Thebanus] Nec facti nec hominis ulla, quod sciam, restat memoria Pagondæ quidem Bœotarchæ meminere Thucydides et alii. Dubito tamen an hic legendum sit Pagondas Thebanus, ut statuit Joan. Meursius Lect. Attic. III. 23. DAV.

Perpetua] Citra exceptionem. Nos autem excepimus sacrum Bonæ Deæ. Lex enim perpetua, est lex generalis, et ut loquimur, universalis. TURN.

Sabazius] Comœdia in qua Aristophanes Sabazium ejecit, nunc non extat. Cæterum Sabazius a Barbaris Liber pater dicitur, a σαβάζειν, quod est bacchari. Ad hæc σάβοι, loca ei dicata, Fanaticique ejus sacerdotes nuncupabantur. De Sabazio Cicero, lib. III. de Nat. Deor. cap. 23. ID.

Publicus] Id est, sacrum commissum, quod expiari possit, expiet, ut si quid in sacra admissum sit imprudentia. IDEM.

Circo constitutis] Hic locus manifesto corruptus est, cum in eo neque sensus neque canones grammatici inveniantur: et criticorum conjecturæ huc usque videntur longe a scopo aberrasse. Turnebus et Lambinus legunt *constitutæ*, ut cum verbo *certationes* conveniat, et Davisius legit *ad certam victoriam* in *circo*: constituti sint caveæ cantus *voce, ac fidibus, et tibiis*, &c. Sed facile est visu, utramque conjecturam nullam esse. Locus, nisi fallor, legi debet, *Jam ludi publici, quoniam sunt cavea circoque divisi, sint corporum* certatione (*cursu, et pugilatione, et luctatione*) *curriculisque equorum usque ad certam victoriam circo constitutis*: caveæ *cantu ac fidibus et tibiis, dummodo ea moderata sint, ut lege præscribitur*. Hanc esse veram lectionem primæ partis, conjicio ex capite 9. ubi hæc lex ita exprimitur, *Ludis publicis, quod sine curriculo, et sine certatione* (aut potius *sive curriculo, sive certatione*, ut Manutius edidit) *corporum fiat, popularem lætitiam in cantu, et fidibus, et tibiis moderanto*. Hic duo genera-

lia exercitiorum genera, circo convenientium, simul nominantur; et cum *certatio corporum* includat *cursum*, *pugilationem*, et *luctationem*, tria hæc verba parenthesi inclusi. In mea lectione *circo* est dativus casus, et *certatione corporum, curriculisque equorum constitutis circo* significat, eas esse destinatas circo: tunc *caveæ* respondebit *circo*, et sensus ultimæ partis periodi hic erit *cantum, et fides, et tibias* esse destinatas *caveæ*, &c. Nota, me rejicere verbum *voce*, ob rationes a Manutio adductas. Dicit enim, in uno veteri suo codice non reperiri; et esse manifestam glossam in vocem præcedentem *cantu*; et mentionem ejus non fieri capite 9. loco mox laudato. MISCELL. OBS. *Vol. IV.*

Cavea] In theatro scenici et musici. Actio autem comoediarum et tragoediarum ad musicam pertinet. Itaque ludi scenici et musici iidem sunt: et musicorum nomine hic Cicero actionem etiam fabularum, quæ docetur, complectitur. TURN.

Livianis et Nævianis] Ut Plato Ægyptios laudat, apud quos neque pictura, neque choreæ, nec musica immutabatur, sed Isidis poemata semper canebantur; sic Cicero quoque modos antiquos probat, quales a Livio Andronico et Nævio, antiquis poetis, compositi erant. Ii enim cantica scripserant, quæ in ludis publicis et supplicationibus quandoque cani solebant. TURN.

Ut eadem exsultent] Lamb. *videtis, ut exultent.*

Quod plures] Rescribendum videtur: *quos plures*. DAVIS.

Timothei] Timotheus Milesius fidicen, decimam et undecimam chordam lyræ adjecit, et priscam musicam mollitie effœminavit. Vixit Euripidis et Philippi Macedonis ætate. Athenæus lib. Dipnosoph. XIV. paulo diversus hanc historiam refert: nimirum, *Timotheum Milesium plerisque organum magadem nervorum constructione, quam deceret, numerosius habere visum: eumque idcirco apud Lacedæmonios in judicium vocatum, quod priscam musicam labefactaret; cumque quidam supervacaneas ejus chordas abscindere pararet, ostendisse quendam illis Apolloniscum, cui eadem constructione, parique nervorum numero lyra esset: eumque ita dimissum.* Produnt etiam Ephores Terpandrum multasse, quod in cithara, præter necessitatem, unam chordam intendisset: sed et ejus citharam ad rei memoriam, in paxillo suspensam fuisse. Idem etiam Phryni factum ab Ephoris esse Plutarchus auctor est in libello περὶ μουσικῆς. TURN.

Cap. 16. *Apud solos*] Ita Ciliciæ urbs juxta Issum vocatur. Solebant autem veteres suas templis divitias committere: quasi et religione, et deum fide servarentur. Herodianus lib. I. cap. 44. cum Romæ templum Pacis, Commodo regnante, arsisset, multos ex opulentis egenos esse factos refert. In eos autem qui rem sacro commendatam abstulissent, cum sacrilegii poena olim constituta esset, Antoninus postea voluit, ut dumtaxat furti poena animadverteretur. Hic alii *apud solem* legunt, id est, in delubro solis. IDEM.

Atheniensis Clisthenes] Hujus Clisthenis meminit Herodotus lib. V. quem Athenis ejectum cum piacularibus fuisse a Cleomene prodit. Meminit et Aristoteles III. Politicon. Ab eo remp. Atheniensem, expulsis tyrannis, optime constitutam fuisse scribit Isocrates in Areopagitico. IDEM.

Supra hominis] Vereor tamen ne insolentius me efferre videar in hac re, et supra hominem me extollere, qui in mea causa violatam religionem impiis noxæ fuisse commemoraturus sum, et meam pietatem diis cordi fuisse ex nobili et glorioso reditu ostensurus. IDEM.

Apud vos] Vict. Man. *apud deos* Grut. *apud eos.*

Apud vos] Libri veteres habent *apud eos:* quod est, apud deos, de quorum violata religione agit, et quos paulo ante appellavit, cum dixit, *Ne*

placare impii audeant deos. Hic alii emendant *apud deos.* Qui apud deos loquitur, verum dissimulare non debet, arrogantiæ metu. Mihi etiam placet Æmari Ranconeti viri clarissimi emendatio, ut *apud vos* legatur, quemadmodum supra dixit. *Quoniam et sermo et locus familiaris est.* IDEM.

Cap. 17. *Templum licentiæ*] De Clodio loquitur: is enim domum Ciceronis incendit, et in area templum libertatis construxit: quam contumelioso nomine licentiam vocat noster. Vide sis Orat. post reditum in Sen. cap. VII. de Harusp. Respons. cap. VIII. pro Domo cap. 41. 42. 51. DAVIS.

In ipsius patris domum detulimus] Ex sua domo Minervam Tullius in Capitolium transtulerat. Dion. lib. 38. et 45. Vide et lib. XII. Fam. epist. 25. IDEM.

Conservatæ patriæ] Hæc lectio nihil habet in se vitii. Sed cum Paris. repræsentet *de servata patria;* sic ob præstantiam codicis illius omnino legerim. De re ipsa vide Ciceronis Orat. post reditum in Senatu, cap. 9. 10. et pro Domo cap. 28. IDEM.

Vita cruciati] Quos sua vita suique mores cruciarint et ulti sint. TURN. Vereor ut recte dicatur *vita cruciati:* quapropter suspicor legendum esse potius *non solum* vitæ *cruciati dedecore:* sic enim loquitur noster in Orat. pro A. Cluentio c. 4. *non sine summo* dedecore vitæ *ac turpitudine.* PEARC.

Justis exequiarum] Id ob Clodii cadaver ait, quod sine imaginibus, exequiis, pompa, laudatione, semiustulatum, dilaniandum prope canibus relictum est: ut in oratione pro Milone scribit. TURN.

Offensione] Condemnatione. Sic *offensio prælii* pro lege Manilia, est amissio victoriæ. IDEM.

Tantum ponam erui, *duplicem esse pænam divinam*] Jure displicet doctis illud *erui,* pro quo Lambinus legit *brevi,* et Davisius *rebus.* Codices vero fere habent *erui,* vel *merui.* Ego delendam esse censeo vocem *erui,* quæ ex voce *merui* videtur nata: suspicorque istud *merui* alteram fuisse lectionem pro *petivi* in fine præcedentis sententiæ; ut esset, *plus pænarum habeo, quam* merui. PEARC.

Cap. 18. *Invidiosa res*] Quæ ad invidendum finitimos impellit populos, et ad bellum spe prædæ nonnunquam inferendum: sed et cives et exteros ad spolianda fana et diripienda. TURN.

Ex inani] Ex inanimo corpore elephantis: id enim hic est *inane.* Ovidius Amor. Lib. III. Eleg. IX. 6.

Ardet in extructo corpus inane rogo. ID.

Castum] Quicquid enim ex cadavere est, funestum et inquinatum censebant. Sic ne lana *quidem* Pythagoras vestiebatur. IDEM.

Quodque] Ex Platone *quod qui* legendum est. *Qui* enim pro *quis* sæpe dicitur, *v.* et *s.* sequente. IDEM.

Sed ego cætera] Assentior Platoni, terram non esse consecrandam: cætera de quibus cavet, non tam restricte præfinio. IDEM.

Cap. 19. *Aut ullo omnino*] Puto legendum *aut luminum.* Jura enim parietum, aquarum, stillicidiorum, luminum conjuncta sunt. Illud vero *omnino* non satis assequor, præsertim cum sequatur, *Ergo quod cum religione conjunctum est.* TURN. Quia hæc cum iis, quæ infra dicuntur, repugnant, Turnebus et Lambinus rescribunt, *aut luminum:* Davisius vero, quod in Mss. et vet. edit. invenit *si ergo,* reponit *aut ullo omnino* simili? *Ergo quod,* &c. At istud *ergo* non videtur hic locum habere; neque enim sequitur, pontificem debere ideo cognoscere id jus civile quod religionem spectat, quod non opus est ut cognoscat eam juris partem, quæ parietes et aquas spectat. Rectius (opinor) ad mentem Ciceronis scribendum esset, *aut ullo omnino,* nisi *quod cum religione conjunctum est?* PEARCIUS.

De sacris] De sacris privatis hoc loco disserit, quæ pecuniam seque-

bantur, nec hominum morte interibant, sed heredibus iisve ad quos pecunia pervenisset, adjuncta erant. Ad ea sacra pertinere illud Plauti arbitror in Captivis act. I. sc. IV. 8.

Sine sacris hereditatem sum adeptus effertissimam.

Et in Trinumo act. II. sc. IV. 83.

Cœna hæc annona est, sine sacris hereditas. TURN.

Pecunia venerit] Pecunia hic bona tam moventia, quam soli significat, ut apud jurisconsultos. IDEM.

Quæruntur enim] Lego, *quærunt*, vel *quæritur*. DAVIS.

Perinde habeatur] Id est, sacris obnoxius sit, quibus obstrictus erat ejus creditor. TURN.

Cap. 20. *Pontificem sequamur*] Q. Scævolam, qui se propter juris civilis scientiam melius ista explicare censet, quam pontifices veteres, quibus ignorantiam juris civilis objicit. ID.

Pontifices] Nam supra dixit, Hoc posito hæc jura pontificum auctoritate consecuta sunt, ut, ne morte patrisfamilias sacrorum memoria occideret, iis essent ea adjuncta ad quos ejusdem morte pecunia venerit. In lege enim tantum erat cautum, ut sacra privata perpetua manerent. IDEM.

Etiam dant] De suo afferunt, ab antiquis non traditum pontificibus. IDEM.

Quod est partitio: ut, si in testamento, &c.] Æmarus Ranconetus hic legendum censet, *partitionis caput*, ut mox infra. TURN. Totum locum sic refingit libro IV. de Pecun. Vet. cap. 7. *Atque etiam dat hoc Scævola caput partitionis, ut si in testamento deducta sacra non sint, ipsique minus ceperint, quam omnibus heredibus relinquatur, sacris ne alligentur*, GRONOV. Existimo legendum esse *quod est partitionis* caput: *si in testamento, ut centum nummi deducerentur, scriptum sit.* Utramque partem meæ conjecturæ firmant illa, quæ in cap. 21. occurrunt, *Partitionis caput scriptum caute, ut centum nummi deducerentur.* PEARCIUS.

Si ad caput referat] Caput vocat sententiam perpetuam, ex qua jus pendet, ut, sacrum semper pecuniam sequi. Quod caput qui teneat, in quæstiunculis non hæreat. TURN.

Cavent] Jurisconsultus enim cavere dicitur, cum alicui consulit. IDEM.

Per æs et libram] Hac ratione fit *mancipatio*, quæ non in homines solum, sed etiam in res mobiles immobilesque legitimum parit dominium. Vide sis Interpretes ad Caii Instit. lib. I. Tit. VI. 3. et Barn. Brissonium Select. Antiq. I. 7. necnon Form. lib. VI. pag. 513. Locum fusius explicat J. Fr. Gronovius de Pec. Vet. IV. 7. pag. 306. Adde Jos. Scaligerum ad Festum in *puri*. DAVIS.

Cap. 21. *Civile appetatis*] Cujus quadam subtilitate jus pontificium evertitis: nam cum pontifices velint eum sacris alligatum esse qui tantundem capiat, quantum omnes heredes; vos calumniam quandam juris civilis adhibuistis, et legatarium onere sacrorum liberastis. TURN.

Pontificum auctoritate] Nam lex tantum ne sacra intereant cavet, pontifices ea cum pecunia conjunxerunt: sed cum Scævolæ pecuniam onere sacrorum liberent solertia et calliditate juris civilis, nimirum jus pontificium evertunt. IDEM.

Sitque ea non * * *] Huic explendæ lacunæ D. Lambinus ex ora codicis antiqui partim, partim ex Plutarcho *Quæst. Rom.* sequentem ῥῆσιν intruserat, eumque secuti sunt recentiores: *alligata sacris. Venio nunc ad manium jura, quæ majores nostri et sapientissime instituerunt, et religiosissime coluerunt: Februario autem mense, qui tunc extremus anni mensis erat, mortuis parentari voluerunt: quod tamen D. Brutus, ut scriptum a Sisenna est, Decembri facere solebat. Cujus ego rei causam cum mecum quærerem, Brutum reperiebam idcirco a more majorum discessisse, (nam Sisennam video causam, cur is vetus institutum non servarit, ignorare; Brutum autem*

majorum institutum temere neglexisse non fit mihi veri simile) doctum, &c. Et hæc pro Ciceronianis laudat Joan. Kirchmannus de Funer. Rom. IV. 1. Cum tamen ipse Lambinus ea esse Tullii non affirmet, illaque nesciant omnes Mss. non est cur alienis assumentis nostrum maculemus. DAVIS.

Doctum hominem] Decimum Brutum intelligit, qui Accii poetæ perfamiliaris fuit. Cicero pro Archia, cap. 11. *Decimus quidem Brutus, summus vir et imperator, Accii*, &c. Veteres autem extremo anni mense diis manibus parentare solebant, qui Februarius erat: verum posteaquam Februarius secundus anni mensis factus est, obtinuit ut eodem tamen mense res divina eis fieret. Verumtamen Brutus instituti veteris memor, non Februarium, sed Decembrem ultimum mensem sequebatur, in deorum manium parentationibus. Hunc Ciceronis locum, sic in Problem. attingit Plutarchus: Διὰ τί τῶν ἄλλων, &c. Id est, *Cur cum cæteri Romani Februario mortuis parentarent, Decimus Brutus, ut Cicero scribit, id Decembri faciebat*. TURN.

Cap. 22. *Ut* extra *sacra et gentem inferri fas negent esse*] Non video quid hæc verba velint, rectene dicitur *inferri extra?* possuntne etiam *sepulcra inferri*, vel efferri? Suspicor quidem Ciceronem scripsisse, *ut* extera *sacra et gentem inferri fas negent esse:* ut, sensus sit, Negant fas esse in sepulcra inferri vel mortuos, qui alterius gentis sunt vel *sacra*, quibus ea gens, cujus est sepulcrum, uti non consuevit. PEARC.

Denicales] Sic hunc locum primus omnium quod sciam, restituit Æmarus Ranconetus vir clarissimus et eruditissimus. *Denicales*, inquit Festus, *feriæ colebantur, cum hominis mortui causa familia purgabatur*. Gellius XVI. 4. *Nisi harumce quæ causa erit, funus familiare, feriæ denicales, calendæque, quæ non ejus rei causa in eum diem collatæ sint*. Sunt autem hæ feriæ privatæ; ut feralia, et parentalia, publicæ. *Festus:* Privatæ feriæ *vocantur sacrorum propriorum, vel ut dies natales, et operationes denicales*. TURN.

Quia residentur] Id est, quia feriamur mortuis. Residere enim feriari est, a quiete feriarum ducto vocabulo. Plautus, Capt. act. III. sc. I. 8.

Ita venter gutturque resident esuriales ferias.

Sed et *sedere* idem quoque declarat. Varro, lib. V. *Liberalia dicta, quod per totum oppidum eo die sedent sacerdotes Liberi.* Quin etiam possidere ferias, ab eadem est origine. Plautus in Epid. act. III. sc. IV. 33.

Tuas possidebit mulier faxo ferias. IDEM.

Eas in eos dies] Sunt enim privatæ denicales feriæ, nec statæ, quæ in eos conferendæ sunt dies, quibus nec privatæ ejusdem familiæ feriæ sint, nec ullæ publicæ. IDEM.

Funestæ familiæ] *Funesta* familia, funere polluta. Virg. Æn. VI. 149.

Præterea jacet exanimum tibi corpus amici,
Heu nescis, totamque incestat funere classem.

Ea certo sacrificio expiabatur et purgabatur. Humato igitur mortuo et piaculis factis, funesta esse desinit familia. IDEM.

Quod genus sacrificii Lare vervecibus fiat] Laribus vervece sacrum fiebat, ut ex inscriptione fratrum Arvalium intelligere possumus. URSINUS. Saltem scribendum fuit *Lari*, quo Latinæ linguæ consuleretur. Et Laribus quidem immolatos fuisse verveces docet Joan. Saubertus de Sacrif. cap. 23. Illi tamen scripturæ locus esse non videtur, quia disertis verbis *sacrificii genus* indicat Mss. Turnebi et S. Victoris, *quod genus* sacrificare verberibus *fiat*. Pal. et Paris. *quod genus sacrificii* e verberibus *fiat*. Cogitaram *quod genus sacrificii* in exverris *fiat*. Festus in *everriator:* Exverræ *sunt purgatio quædam domus ex qua mortuus ad sepulturam ferendus est, quæ fit per everriatorem certo genere scoparum adhibito, ab* extra verrendo *dictæ*. Sed in medio posita est palma. DAVIS.

Os rejectum terra obtegatur] Omnes libri vulgati, quibuscum consentiunt Mss. habent, *os rejectum terræ obtegatur:* emendatum est tamen in codice Memm. *rejectu terræ.* Quidam doctus legendum putat, *os rejectum terra obtegatur.* Nonnulli, *os exceptum terra obtegatur.* Turnebus lectionem vulgatam retinet, et *rejectum terræ* interpretatur rejectum in terram, et redditum terræ. Ego ex Festo, *resectum terra obtegatur*, legendum conjeci, quod item quibusdam doctis in mentem venisse video. Sic autem Festus: *Membrum abscindi mortuo dicebatur, cum digitus ejus decidebatur; ad quod servatum justa fierent reliquo corpore combusto.* Lamb.

Quæque in porca contracta jura sint;] Id est, quibus suspicienda porca sit, quibus non. Porca autem præsa, purgandæ familiæ causa Cereri immolabatur: sed et præcidanea interdum, cum præsertim dicat Festus, *ita porcam vocari quæ Cereri mactabatur ab eo qui mortuo justa non fecisset, id est, glebam non injecisset, quia mos erat eis id facere, priusquam novas fruges gustarent.* Vide Nonium in *præcidaneum.* Turn.

Incipiat sepulcrum] Non ante incipit sepulcrum esse, quam est injecta gleba, ut mox dicet, nec ante religione tenetur, aut quam corpus ustum est, reliquiæque conditæ. Idem.

Quod procul ad Fontis eras] Lamb. *quod non procul a Fontis ara.*

Ad Fontis aras] In Janiculo Numa, Livio, Plutarcho et Plinio testibus, cum suis libris in arcis lapideis sepultus est. Illic ad Fontem aræ quædam, ut opinor, erant. Fortasse legi posset, quod *ad Fontes erat.* Non enim jam erat ætate Ciceronis, sed multo ante refossum sepulcrum fuerat a scriba agrum suum in Janiculo repastinante: sed hæc conjectura est. Vetus etiam scriptura contemnenda non est, *Quod procul a Fontis ara.* Idem.

Acerbiore odio incitatus, quam si tam] Lamb. *acerbo odio incitatus, cui paruisset nunquam, si tam.*

Et corpus incensum est] Suspectum habeo, quando nec incenso corpore adhuc sepulcrum est; et de iis qui non cremabantur, disserit. Vetus scriptura est, *Et corpus cesus est*, altera, *Orsus est.* Fortasse legendum est *corpus cessum est*, id est, cessione quadam sepulcri factum, et sepulcro relictum: tum enim sepulcrum esse incipit, locusque religiosus efficitur: aut ætate Ciceronis etiam *siti* dicebantur quomodocunque sepulti. Tur.

Sepultis penitus, humati] Lamb. *sepultis ponitur, ut humati.*

Eos] Idem, *os.*

Porcam heredi esse contractam, et *habendas triduum ferias*] Pall. quart. quint. succinentibus fere melioribus codicibus, exhibent, *porcam heredi esse* contractet *habendas triduum ferias.* Hinc a Grutero jure recepta est acutissimi Josiæ Merceri conjectura; quem vide ad *Nonium* in *præcidaneum.* Illi certe dabatur οἴῳ πεπνῦσθαι, cum Victorius Va. Lect. XXIII. 8. Manutius, Turnebus, et Lambinus, nihil hic viderint. Davis.

Cap. 23. *Publicola*] Hi ante tempora decemvirorum fuere, qui duodecim tabulas scripserunt. Turn.

Tuberto] P. Posthumius Tubertus, qui primo consulatu collega Valerii Publicolæ fuit: secundo collegam habuit Agrippam Menenium Lanatum, ut scribit Dionysius. Idem.

Domina honoris] Sic Pal. tert. Harleian. pr. sec. Balliol. et Med. At ipse Gruterus Inscript. p. C. 3. ex *Marliano Faunoque* dedit *Dominæ Honoris.* Verum nec hæc nec illa lectio sensum fundit idoneum. In Paris. et aliis quibusdam Mss. est *mina honoris;* unde Turnebo Lambinoque placuit *lamina honoris.* Pal. quart. *numa honoris.* Repono *numini honoris.* Sic lapides exhibent *numini Fortis Fortunæ, numini Serapidis*, et quæ sunt alia ejusdem generis innumera. Davis.

Rogum ascia ne polito] Ascia dolabræ genus poliendis lignis aptum. Ne autem ex politis fiat lignis pyra lex cavet. Sic ἀσκέπαρνον θᾶκον dixit

Sophocles, impolitum sedile, non exasciatum, ascia non politum. Alii de sepulcris intelligunt, nec, ut opinor, recte. Nam quibusdam in locis hodieque sepulcra sub ascia dedicata visuntur. TURN. Diatribam *de Ascia* Gallice scriptam nuper edidit vir eruditus, cui summa et veteri necessitudine adjuncti sumus, F. Odinus: de quo sæpe alias: nec tam sæpe, quam oportuit. OLIV.

Tribus riciniis] Ricinium, inquit *Festus*, omne vestimentum quadratum. Hi qui duodecim interpretati sunt, dixere togam qua mulieres utebantur, prætextam clavo purpureo. Ricinium autem dictum putat, quod eo uterentur duplici, ab eo quod dimidiam partem retrorsum jaciebant, a rejiciendo. Solon quoque mulieres cum tribus duntaxat vestibus ad pompam funebrem exire voluit: nimirum ut lementatio et sumptus tolleretur. Plutarchi verba sunt, Οὐδὲ συντίθεναι πλέον ἱματίων τριῶν. Poinde locum hunc de vestimentis muliebribus intelligo: cui interpretationi suffragatur Varro apud Nonium his verbis: *Ut dum supra terram essent, riciniis lugerent, funere ipso, pullis* palliis *amictæ*. Rursus Varro: *Et cum mulieres in adversis rebus ac luctibus omnem vestitum delicatiorem et luxuriosum postea institutum ponunt, ricinia sumant*. Sunt igitur *ricinia* vestimenta mulierum lugubria. *Recinium* multi scribunt, quibus astipulatur etymologia Festi. TURNEB.

Et vinculis purpuræ] Vetus liber *et vincla purpuræ*. Putavi aliquando legendum, *Et tunicula purpurea*, qua cadavera, ut opinor, cum efferebantur, vestiebantur. Livius XXXIV. 7. *Purpura viri utemur, magistratibus in coloniis municipiisque togæ prætextæ habendæ jus est: nec id ut vivi solum habeant tantum insigne, sed etiam ut cum eo crementur mortui*. Alioqui *vincla* fascias intelligemus. Quid si *et clavis purpuræ?* præsertim cum clavo purpureo prætextum ricinium fuisse scribat *Festus*. Hoc omnino verius puto. IDEM.

Decem tibicinibus] In nobilium olim funeribus tuba, in pauperum et plebeiorum tibia canebant. M. tamen Æmilius Lepidus princeps senatus, ut sine linteis, sine purpura et tibicine funus sibi fieret, filiis præcepit. Decem autem in funere, plures non erant. Ovidius lib. VI. Fastorum vers. 663. hanc legem ædilibus attribuere videtur, quæ tamen decemviralis erat. TURN.

Genas ne radunto] Id est, ne lanianto, ne laceranto. Olim autem ante rogum humanus sanguis effundebatur, vel captivorum, ut apud Homerum in rogo Patrocli: vel gladiatorum, unde Bustuarii gladiatores a Romanis vocati, quorum si copia deesset, foeminæ genas laniantes, cruorem effundebant, quod lex vetat. *Mulier faciem ne carpito*. IDEM.

Neve lessum] Lessus ejulationem significat, voxque est fictitia, per onomatopoeiam. Trucul. act. IV. sc. II. 18.

Thetis quoque etiam lamentando lessum fecit filio.

Lessum autem *habere*, ea dicitur forma, qua *ferias habere, habere comitia*, ut cum hera familiæ lamentationem toti imperat, aut præficam adhibet, quæ et ipsa lamentetur, et cæteris det modum plangendi. IDEM.

Sex Ælius] XII. Tabul. interpres, qui Actiones composuit, et librum populo dedit, qui appellatur *Jus Ælianum:* scripsit et librum *Tripertita* inscriptum, in quo juris incunabula docet. Eum Ennius *Catum* vocat. ID.

Acilius] Citatur a Festo ut juris interpres. Cicero de Senectute Acilium scribit *sapientem* appellatum fuisse, quia prudens in jure civili habebatur. IDEM.

L. Ælius] Cognomento Stilo et Præconinus, grammaticus optimus, Varronis magister, cujus meminit Festus, Tranquillus, Varro. IDEM.

E natura] Id est, secundum naturam. IDEM.

Cap. 24. *Homini mortuo*] Cavet lex ne mortuorum cadaveribus exi-

mantur ossa quædam, quo post sepeliantur; ut recte vidit Jac. Rævardus ad LL. XII. Tabb. cap. 15. quem secutus est Paulus Merula de Leg. Rom. cap. 9. §. 9. DAVIS.

Hæc præterea sunt in legibus de unctura, quibus servilis unctura tollitur omnisque circumpotatio] De hoc loco in duas partes discedunt viri docti. Jac. Rævardus ad LL. XII. Tabb. cap. 15. et Paulus Merula de Leg. Rom. cap. 9. 2. statuunt eam tantum uncturam prohiberi, quæ servorum corporibus fuit adhibita. Lex enim, ut putant, decemviralis noluit, ut idem honos iis ac liberis mortuis daretur. At hoc modo non *tollitur fortunæ discrimen in morte*, quod tamen fieri debere censuit Tullius cap. 23. Turnebus autem et Ursinus volunt uncturam tolli, quæ fit a pollinctorum familia. Tamen ut hæc immunda munia, si omnino præstanda fuerant, servi præstare vetarentur, veri non est simile. Librariorum, credo, negligentia fecit, ut laborarint interpretes. Nam Paris. simpliciter exhibet, *hæc præterea sunt in legibus de unctura tollitur omnisque circumpotatio.* Lego *hæc præterea sunt in legibus*, unctura tollitur omnisque circumpotatio. IDEM.

Unctura] Tollit uncturam qua cadavera a pollinctorum familia, ex quo servilem eam appellat, ungebantur. Nam et a jurisconsulto scribitur, *Si libitinarius servum pollinctorum habuerit.* Lex tamen XII. Tab. non observabatur, præsertim cum jam sæpe *pollinctorum* Plautus meminerit. TURNEBUS.

Circumpotatio] Convivium funebre interpretantur, quod Græci περίδειπνον et τάφον vocant, et Latini, ut quidam censent, silicernium. In eo, ut opinor, invitatio quædam in orbem fiebat obba. Tertullianus Apol. cap. 13. *Quo differt ab epulo Jovis silicernium! a simpulo obba? ab haruspice pollinctor?* Cœnam funeris vocat Persius, Satira VI. versu 33. Quem tamen locum etiam exponunt de epulis quæ rogo inferebantur: de quibus Plinius ita scribit, lib. X. §. 12. *Notatam in iis rapacissimam et semper famelicam alitem nihil esculenti unquam rapere e funerum ferculis.* Sed et nono die sacrificium fiebat novendiale, conviviumque dabatur, eoque die parentalia concludebantur. Sed circumpotatio dicebatur fortasse, quod antequam cadaver efferretur, ut ordo verborum Ciceronis indicat, in orbem biberetur, quod Græci περιστρέφειν τὴν κύλικα dicebant. Sed et feralibus ad sepulcra epulæ ferebantur, quæ erant publicæ feriæ, ut diximus. TURN.

Ne sumptuosa respersio, ne longæ coronæ, nec *acerræ* prætereantur] P. Manutius reponit *præferantur.* Ea tamen vox, ut videtur, loco non bene convenit: nam rogus vino vel murrhata potione respergi solebat; longas vero coronas simul ac acerras sepulcris imponere, vel ante mortuum collocare mos erat. Vide Rævardum ad XII. Tabb. cap. 15. Merulam de Leg. Rom. cap. 9. 2. aut Gravinam de Jure Nat. pag. 255. 256. Legendum suspicor, *ne sumptuosa respersio, ne longæ coronæ*, ne *acerræ* (sic Paris.) *usurpantor.* Si velis alia, vide Gutherium de Jure Man. I. 21. DAVISIUS.

Acerræ] Acerræ, auctore Pompeio, aræ erant ante mortuum poni solitæ, in quibus odores incendebant: quanquam alii arculam thurariam interpretantur. TURNEB.

Coronam virtute partam] Vide Plin. XXI. 5. et quæ ibi annotat vir immortalitate dignus, quo nullum religione, literatura, humanitate clariorem novimus, Joan. Harduinus. OLIVETUS.

Plura fierent, lectique plures sternerentur] Lamb. *plura feretra inferrentur, lectique plures sternerentur.*

Ut uni plura] Vel funera plura uni fierent: vel, quod existimo, in funere plura fierent quam oporteret, et jus sineret, sicut supra scriptum est, *Hoc plus ne facito.* TURNEB.

Ast im] *Im* antiquo more *eum* dicit. IDEM.

Se fraude] Antiquo more, pro sine

fraude. *Se*, Pompeius inquit, *pro* sine *inveniuntur posuisse antiqui*. Alii *sine fraude*, legunt integro sermone et usitatiore. IDEM.

Accenso] Ministri sunt magistratuum accensi, qui populum vocabant, ab *acciendo* vocati, ut alii censent, quod initio ad censum populum vocarent. TURNEB.

Lictoribus] Ad prehendendum, tenendum, abducendum, plectendum, lictoribus utebantur magistratus qui lictores habebant. Conceditur domino funeris lictor, ut in multitudine coercere possit insolentiores et ferociores. Nam qui ludos faciebant, propemodum in magistratu quodam constituti videbantur: hisque jus prætextæ ferendæ erat, ut magistratibus. Cicero in Pisonem, c. 4. *Sex. Clodium qui nunquam antea prætextatus fuisset, ludos facere et prætextatum volitare passus es*. IDEM.

Cap. 25. *C. Figuli*] Cujus sepulcrum magnificentissimum et amplissimum erat. Valerius, lib. IX. cap. 3. 2. Figulum bis consulem fuisse scribit, cujus filius jurisconsultus cum in petitione consulatus repulsam tulisset, postridie consulentes cives de jure dimisit, dicens, *Consulere scitis: consulem facere nescitis*. Caius autem Marcius Figulus consul fuerat cum P. Cornelio Scipione Nasica. Iterum consul factus, quod cum collega vitio esset creatus, magistratu abdicare se coactus est. IDEM.

Cap. 26. *Alienum inferat*] Cadaver. IDEM.

Hermas hos quos vocant] Athenienses. Hermæ autem sunt Mercurii statuæ truncæ, quæ etiam sepulcris imponebantur. Earum statuarum plurimus erat Athenis usus. Sic quoque dicuntur, ut quidam censent, lapides quadrati qui sepulcris imponebantur, quod æque non probo. ID.

Cap. 27. *Longos*] Isidorus non omnino malus auctor, ita hac de re scribit, Orig. lib. I. cap. 38. *Hexametros Latinos primum fecisse se Ennius tradit, eosque* longos *vocat*. Gellius lib. XVIII. cap. ult. *In* longis *versibus, qui hexametri vocantur*, &c. TURN.

A minis quinque] Hominibus primæ classis impendi sepeliendis quinque minas permittit Plato: secundæ classis, tres: tertiæ classis, duas: quartæ, unam. IDEM.

Hoc præsertim die] Solstitiali, qui longissimus est. Ut enim Plato uno die peroravit omnem de Legibus disputationem, ita uno die absolvam. IDEM.

DE LEGIBUS,

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Constituto religionum jure, deinceps civitatis gubernatores rectoresque describit. Nam cum nihil reipublicæ ἀναρχία *sit exitialius, quæ florentissimas nationes, imperiaque potentissima interdum subvertit; secundum Deos nihil prius ducere legislator debet, quam ut recte ac ordine magistratuum descriptionem componat. Primum ergo in legis exordio magistratum definit, eique cives ut pareant hortatur. Deinde legem de magistratuum descriptione, potestate, imperio sancit. Subjungit, ut libro secundo, ejus interpretationem et æquitatem: quod legislatorem Plato facere jubet. Postremo præparationem addit ad libros sequentes, qui desiderantur.* TURNEBUS.

Cap. 1. *Etiam nostri illi*] Epicureos significat, qui cæteros philosophos præ uno Epicuro contemnebant. Turnebus.

Generis sui] Quæ propriæ laudes sint legis hujus de magistratibus, non communes, quæque in alias leges non conveniant. Idem.

Magistratum] Imitatum esse prope censeas Ciceronem Simonidis sententiam de poesi, quam Plutarchus his verbis refert: Πλὴν ὁ Σιμωνίδης τὴν μὲν ζωγραφίαν ποίησιν σιωπῶσαν προσηγόρευε, τὴν δὲ ποίησιν ζωγραφίαν λαλοῦσαν. Id est, *Veruntamen Simonides picturam poesin mutam appellabat, poesin picturam loquentem.* Idem.

Cap. 2. *Citeriora*] Propinquiora et propius nos attingentia, id est, terris tanquam viciniora: quod de cœlesti descriptione et deo egisset, quæ paulo longinquiora sunt et remotiora. Sic in libris de Repub. *Quare, si placet, deduc orationem tuam de cœlo ad hæc citima.* Idem.

Qui nunc regnant] Prorsus legendum *regnantur*, ut recte monuit eruditissimus *Clericus:* loquitur enim de populis, qui regibus parent sive βασιλεύονται. Servius quidem ad Æn. III. 14. ait, regnata *participium est sine verbi origine.* Quasi *regnor* non diceretur. Eum tamen falli docebunt exempla. Livius I. 17. Regnari *tamen omnes volebant.* Ibi vide J. Fr. Gronovium. Davis.

Cap. 3. *Verberibusve coerceto*] Id abrogatum lege Porcia fuit, qua exilium damnatis permittebatur, ac verberasse aut necasse civem, impium censebatur. Turn.

Prohibessit] Id est, prohibuerit, antique: ut mox, *judicassit* pro judicaverit, et *irrogassit* pro irrogaverit. Idem.

Judicassit] Condemnaverit, Magistratus autem, ut, verbi gratia, tribuni, cum capitis aut pecuniæ anquirebant, cum multam aut pœnam irrogabant, prodicta die ter ante accusabant, deinde ex provocatione multa certabatur apud populum. Idem.

Multæ, pœnæ] Multam in pecunia intelligit, pœnam in supplicio: ut pœna ad judicium, multa ad irrogationem pertineat. Idem.

Certatio] Cum magistratus, ut tribunus pleb. multam dixisset, illa postea apud populum disceptabatur, et ejus suffragiis vel confirmabatur, vel abrogabatur, idque multæ certatio dicebatur. Livius XXV. 4. *Confestim Carvilii trib. pleb. omissa multæ certatione, rei capitalis diem Posthumio dixerunt.* Idem.

Minores magistratus] Minores magistratus sunt, qui minoribus auspiciis creabantur: cujusmodi erant quæstores tribuni militum, et triumviri monetales, quatuor viri curatores viarum, decemviri litibus judicandis, triumviri capitales. *Plera* dixit antique. Turneb.

Partiti] Man. *periti*.

Partiti juris] Nam iis qui cum imperio sunt, et exercitui præsunt, universum jus et potestas tribuitur. *Jus* hoc loco munus est, ut et hoc libro tertio, cap. 20. *Sic animadverto plerosque in magistratibus ignoratione juris sui tantum sapere quantum apparitiores velint;* id est, muneris et officii sui. Idem.

Plera] Vict. Man. Lamb. *prælia*.

Capitalia vindicanto] Triumviros capitales significat, qui et vincula servabant, et in sontes animadvertebant: ut servos, fures, peregrinos, infimæ sortis homines. De quibus Plautus, Amph. act. I. sc. I. 3.

Quid faciam, nunc si treviri me in carcerem compegerint? Idem.

Ævitates] Id est, ætates juniorum et seniorum, prisco vocabulo. Nam censores ætatem quæ militaris esset, quæ magistratibus gerendis apta foret, vel suffragiis ferendis, vel publicis muneribus et civilibus obeundis censebant: certi enim his rebus anni præfiniebantur. Sed et cives, in juniores et seniores per centurias dividebant. Idem.

Soboles] Prolem etiam annotabant cujusque, et servos, censumque, ut describerentur munia et tributa, et

pro facultatibus æquabiliter tolerarentur. IDEM.

Populi partes] Pop. Rom. in quatuor urbanas tribus, et 31. rusticas descriptus erat. Omnesque populi Romani partes in has triginta quinque tribus distributæ erant. IDEM.

Ævin pecunias] Non solum in tribus populum describebant, verum etiam in classes ex censu; classesque rursus in centurias juniorum et seniorum ex ætate: quod a Servio Tullio primum institutum est. Ipsæ autem tribus in classes erant et centurias descriptæ: (nam in una tribu erant, verbi gratia, homines omnium classium et centuriarum:) et in ordines, senatorium, equestrem, ordinem publicanorum, libertinorum, reliquos. IDEM.

Peditumque] Prolem eorum quos locaverant in classibus, quæ in equites peditesque dividebantur. IDEM.

Cœlibes esse] Plato a tricesimo anno ad tricesimum quintum uxorem ducendam ait: quod si quis neglexerit, eum pecunia multandum, et ignominia notandum censet. Lycurgus quoque probro notat eum qui uxorem ducere noluerit. Quin apud Romanos pœna in cœlibatum constituta erat. Nam uxorium pependisse dicebatur, qui, quod uxorem non habuisset, æs populo dederat. Sed et Augustus legem de maritandis ordinibus tulit, et orationem Metellus habuerat. Lex quam nunc sancit Cicero, Romæque observabatur, antiquata est, ut Sozomenus scribit, et abrogata a Constantino imperatore. IDEM.

Probrum in senatu] Famosos senatores et probrosos e senatu ejiciebant. IDEM.

Quoicumque senatus] Id ait, quia prætorum numerus certus non erat. Nam capta Sicilia, Sardinia, Hispania, Gallia Narbonensi, auctus est prætorum numerus: constitutisque quæstionibus publicis, Sylla quatuor adjecit, Julius Cæsar duos: quorum numerum mox Augustus, deinde Claudius auxit. IDEM.

Iique præeundo, judicando, consulendo, prætores, judices, consules appellantor] Forsan iique a præeundo, &c. Consules autem prætores et judices olim dictos fuisse constat ex Varrone apud Nonium in *Consulum*, Livio III. 55. et Festo in *Prætoria porta*. DAVIS.

Ævitatem] Ævitas hic est ætas. Interdum senectus, ut in XII. Tab. *Si morbus ævitasque vitium escit*. Ætas consularis quadragesimus tertius erat annus, prætoria biennio ante, ædilitia etiam biennio ante prætoriam. TURNEBUS.

Annali lege] Qua definiantur anni magistratuum capiendorum. Hujusmodi fuit ea, quam L. Villius tribunus plebis tulerat, *unde cognomen familiæ inditum*, ut annales *appellarentur*. Verba sunt Livii XL. 44. Vide Pet. Fabrum ad Tit. de Regulis Juris et Paulum Merulam de Leg. Roman. cap. 24. §. 34. DAVIS.

Ave sinistra] Sinistræ aves prosperæ sunt et auspicatæ; nam sinistrum quasi sinistimum dicitur, nimirum auspicium quod sinat: sinunt autem aves hæ plerumque quæ ab ortu, quæ pars mundi sinistra in auspiciis est, volant. Vide lib. II. de Divin. cap. 38. et 39. Sinistra igitur avis est prosperior, etiam si a dextra volet. Nam quædam a dextra ratum faciebant. TURN.

Equitem cumque] Parem sancit magistri equitum potestatem imperio prætorio. Nam quod est comparatus consuli prætor, id est dictatori magister equitum; qui, ut ait Polybius, III. 87. γίνεται οἱονεὶ διάδοχος δικτάτορος ἐν τοῖς ἐκείνου περισπασμοῖς. Id est: *tanquam vicarius dictatoris in dictatoris negotiis et impedimentis*. IDEM.

Ast quando consul is est, magisterve populi, reliqui magistratus ne sunto] Ut se verba nunc habent, commodum sensum nullus equidem video. Nostri codices dant *ast quando consulis est* (Paris. *esse*) *magistratusve* (Paris. *magistratus ut*) *populi nec* (Paris. *ne*) *reliqui magistratus ne sunto*. Rescribi possit, *ast quando magister est populi*,

consules reliquive magistratus ne sunto. Plutarchus in Amatorio pag. 786. Ἐν Ῥώμῃ φασὶ τοῦ καλοῦ Δικτάτωρος ἀναγορευθέντος, ἀποτίθεσθαι τὰς ἄλλας ἀρχὰς ἔχοντας. Id ipsum patet ex Halicarnassensi Dionysio, V. 7. XI. 20. Excipiendi tamen sunt tribuni plebis, quod discimus ex Polybii III. 87. Davis.

Auspicia patrum] Auspicia quibus ad magistratus auspicato creandos opus erat, patritiorum, non plebis erant: eaque duplicia, aut majora, aut minora. Livius lib. VI. cap. 41. Turneb.

Ollique ex se produnto] Hic *comitiatu*, ut apud Gellium, est *comitiis*. Hæc autem lex de interrege intelligenda est, qui non populi suffragio, sed patrum decreto auspicato prodebatur, ut comitia haberet, et magistratus crearet. Idem.

Imperia] Imperia sunt cum quis præest exercitui: potestates, cum quis a populo negotio alicui præficitur. Sic *Festus*. Sit igitur hic imperium in iis qui exercitus habent, potestas etiam in aliis magistratibus. Nam potestas plerumque magistratus est. Idem.

Neve plebem orbam] Marcus Duellius legem rogavit, ut qui plebem sine tribunis reliquissent, quique magistratum sine provocatione creassent, tergo ac capite punirentur. Id sancitur ne nimia sit consulum potestas, quibus opponuntur tribuni. Idem.

Omnes magistratus] Tribuit hæc lex omnibus magistratibus auspicium, id est, ut auspicari possint, servareque de cœlo ad vitianda aliorum comitia, legesque et conciones turbulentas impediendas, populique judicia. Hoc auspicium sustulerat lex Clodia, qua cavebatur, ne quis per eos dies, quibus cum populo quis ageret, de cœlo servaret. Quid autem sit *servare de cœlo*, quod in orationibus Ciceronis frequens est, nec intelligitur satis, ex Dione hic explicabo. Is enim dicit, lib. XXXVIII. *Auspicium illud quo de cœlo servabatur, omnium maximum fuisse, semelque uno die usurpari tantum solitum esse, cum aliis auspiciis eodem die sæpius opera daretur: cumque alia auspicia vel addicerent, vel abdicerent; istud tale fuisse ut semper comitia Po. impediret, sive secunda signa darentur, sive dira. Itaque qui impedire comitia volebant, proscribere solebant, se eo die quo haberi debebant, cœlo servaturos esse.* Hanc divinationem vocat Dio τὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ μαντείαν. Cicero *servare de cœlo* dicere solet. Hujus autem legis hanc esse sententiam apparet ex Ciceronis interpretatione, cujus verba sunt, *Auspicia ut multos inutiles comitiatus probabiles impediant moræ.* Idem.

Ex quois senatus] Hac lege tollitur cooptatio censoria, et senatoris dignitas, beneficium populi, non censorum efficitur, cum ex his qui vel in honoribus sunt, vel honores gesserunt, senatus efficiatur. Nam Romæ olim censores senatum legebant, et senatores cooptabant. Idem.

Cap. 4. *Cœratore*] Cœratorem prisci curatorem, et *cœrare* curare dicebant. Itaque in veteribus inscriptionibus reperitur, *De suo cœraverunt*, pro curaverunt. Sententia legis est, Si extra magistratus aliqua curatione opus sit, curatorem populus creato. Sic, ut appellat Varro lib. IV. LL. *Viocuri*, id est curatores viarum, creabantur. Sic I. ad Attic. epist. 1. *Thermus est curator viæ Flaminiæ.* Id adeo cavet, quia sæpe Senatus istas curationes mandare solitus erat. Idem.

Cum populo] *Agere cum populo*, inquit Gellius, XIII. 15. *est rogare quid populum, quod suffragiis suis vel vetet vel jubeat.* Agere cum patribus est ad senatum referre. More majorum dictator, cos. trib. pleb. interrex et præfectus urbis, duntaxat cum patribus agere poterant. Idem.

Rogandorum] Rogare est rogatis suffragiis creare: ut mox, *quos sibi plebs rogassit*, id est, creaverit. Id.

Œsus] Vide Lipsium, Antiq. Lect. II. 2.

Modica] Non turbulenta, non seditiosa, sed quieta, modesta, sedata:

lexque hæc de actore sancitur. TURNEBUS.

Ast qui turbassitur] Victorius et Turnebus ediderunt *ast quid;* Lambinus autem *si quid turbassitur.* Cl. Puteano placuit *ast* quoi *turbassit;* mihi, *ast* quam *turbassitur.* DAVIS.

Turbassitur] Id est, si quid dum cum populo agetur, magistratu intercedente, turbatum fuerit, fraus actoris esto. Nam *turbassitur* præteritum antiquum est a *turbassit* prisco præterito activo formatum, ut a *jussu* (quod est *jusserit) jussitur* apud Catonem de R. R. cap. 14. TURN.

Fraus actoris esto] Fraus hoc in loco pœnam denotat; et *fraudem veteres pœnam vocasse* testatur. Servius ad Æn. XI. 708. Vide sis Horat. lib. II. Od. XIX. 20. et Carm. Secul. 41. DAVIS.

Promulgata proposita, *in ærario,* cognita agunto] Locus mihi videtur mendosus. Cl. Puteanus legit, *promulgata, cognita agunto, in ærario servantor.* Minore licentia rescripserim, *promulgata, populo placita, in ærario condita sunto.* Nam leges in æs incisæ reponi solebant in ærario, nec, donec id fieret, ratæ videbantur. Vide Suetonium in Julio cap. 28. et Tacitum Annal. III. 51. DAVIS.

Agunto] Cum populo. Cicero hac de re pro Flacco, cap. 7. TURN.

Semel] Gruterus, *simul.* Sed vocem controversam recte prætermittunt Paris. ac editio Victoriana. DA.

Doceri] Sic Maniliam legem Cicero suasit: sic privati data a magistratu concione pro rostris populum docebant. Cicero lib. IV. ad Atticum, epist. 2. *Cum subito ille in concionem ascendit, quam Appius ei dedit,* et in Vatin. cap. 10. *In illo, inquam, augurato templo ac loco collocaris, quo auctoritatis exquirendæ causa, cæteri trib. pleb. principes civitatis producere consueverunt.* Ac qui leges ferebant, latores: qui suadebant in concione, auctores dicebantur, ut infra, cap. 15. *Itaque isti rationi neque lator quisquam est inventus, neque auctor bonus.* Proinde in Vatinium scripsit Cicero, cap. 10. *Auctoritatis requirendæ causa.* TURN.

Privilegia] Leges sunt in privos, id est, singulos homines latæ. Cicero pro Domo, cap. 17. *Vetant leges sacratæ, vetant* XII. *tab. leges privatis hominibus irrogari: id est enim privilegium.* IDEM.

Censoris fide] Legendum censeam *censorum fide,* ut legum custodia censorum fidei commissa sit: id est, ut leges a censoribus custodiantur. Qui etiam sensus erit, si *censoris fide* legas. IDEM. Vulgo *censoris;* et favent plerique codices. Nihilo tamen minus editiones Ascensii, Victoriique sequor: *Censores fide legem custodiunto.* Hanc enim curam censoribus dedit Cicero, prout liquet ex hujusce libri cap. 20. Ac *censores* quidem diserte repræsentant Eliens. et Pal. quart. DAVIS.

Cap. 5. *Disce rem*] Sic primus, nisi fallor, edidit *Ascensius.* Omnes fere codices habent *discere* vel *dicere;* nisi quod Ven. 1471. *discedere* præ se ferat, ut etiam Lambinus edidit. Hinc legendum censeo *discedite;* ut Atticum Quintumque Noster alloquatur. Nam suffragiorum ferendorum causa populus *discedere* jubebatur. Vide Brissonium de Form. lib. II. IDEM.

Tabellam] Nam qui legem ferebat, tabellam dari populo jubebat. TUR.

Nostræ civitatis] Qualis fere descriptio magistratuum Romanorum: nonnihil tamen immutavit, ut cum legationes liberas sustulit, cum reliquis magistratibus suum jus creato dictatore reliquit, cum legum custodiam censorum fidei commisit, cum censoriam potestatem, quæ aliquando Romæ sublata est, semper esse voluit. IDEM.

Quam Scipio] In libris de Rep. civitatem Romanam inter secundum et tertium Punicum bellum legibus et institutis optime moratam temperatamque fuisse docuerat, ut ex summis, mediis, et infimis ordinibus tanquam sonis moderata ratione civitas concineret. Temperatio autem illa et

moderatio reipub. Romanæ perdiligenter explicatur a Polybio lib. VI. Historiarum. IDEM.

Cap. 6. *Ab hac familia*] A Peripateticis et Academicis, ut ait Cicero lib. IV. de Finibus, copiose tractatus est locus civilis, quem πολιτικὸν dicimus. Lib. III. quoque de Orat. eos appellatos esse dicit philosophos πολιτικούς. Igitur ab iis philosophis Academicis et Peripateticis ista profecta sunt. *Ab hac* dixit, quod paulo ante Theophrasti mentionem fecisset. ID.

Cap. 7. *Quare nec ephori*] Theopompus Lacedæmoniorum rex potestati regum ephoros opposuit, eosdem propemodum ac qui Romæ tribuni erant. Quo nomine expostulanti uxori querentique quod regalem potestatem liberis imminutam esset relicturus, Sane quidem, inquit, verum securiorem et diuturniorem. Ephororum autem potestas eo progressa est, ut etiam regem capitis condemnarent, sed eam tamen ut nimis tyrannicam postea Cleomenes sustulit, et regibus pristinam potestatem restituit. Quinque numero erant: nomen habent, διὰ τὸ ἐφορᾷν. De his vide Aristotelem lib. II. de Republica. TURN.

Ne id quod fuerat] Ne regia potestas, quæ urbe exacta est, in coss. remaneret. IDEM.

Conversa lex in omnes] Ante tribunitiam potestatem optimates, ut qui soli consules fierent, et consulem sui ordinis fautorem haberent, legibus superiores regnabant, plebes illis obnoxia agitabat: creatis vero tribunis nimia illorum potentia imminuta est æquatis opibus utriusque partis: omnesque teneri legibus cœperunt, cum tribunitiæ rogationes, plebisque scita pro lege essent. Tum igitur demum dici debuit quod a Livio scribitur, *Imperia legum potentiora fuisse quam hominum*. Deinceps autem multa deesse, perfacile est ex lege colligere. IDEM.

Cap. 8. *Jam illud apertum*] Liberas reprehendit legationes, quas senatores plerumque impetrabant. Eas fere petebant quibus in provincia negotium esset, ut illic et gratia majore, et potestate, et sumptu minore res suas persequerentur: erant autem magnó sumptui et oneri provincialibus. Vide Cic. in Rullum Orat. I. cap. 3. Liberæ legationes dicebantur, quod ab urbe abesse liceret, et ubicunque quis vellet, libere esse. IDEM.

Syngraphas persequuntur] Nomina appellant, et usuras exigunt ex syngraphis. *Syngrapha* autem est quam appellamus vulgo in Gallia *obligationem*. Dixit et *syngraphum* masculino genere Plautus, Asin. Act. IV. Sc. I. 1. IDEM.

Sine procuratione senator, legatus sine mandatis] Omnino non puto Ciceronem voluisse dicere, turpe esse senatorem sine procuratione, cum magna senatorum pars necessario in ea essent conditione. Levi igitur punctorum mutatione sic sensum loci restituo, *quid reapse sit turpius, quam sine procuratione senator legatus, sine mandatis, sine ullo reipublicæ munere?* Cui nota est satis Romana historia, is sciet senatores sæpius egisse, ut auctoritate senatus legati fierent, cum non publicorum, sed suorum negotiorum causa in provincias exirent: illæ legationes *liberæ* vocabantur. PEAR.

Sed jam, si placet] Jocularites dictum. Nostra, inquit, oratio a negotiis magistratibusque provincialibus ad res urbanas, et magistratus Romanos revertatur: aliorsum vertit qui respondet, atqui legati, quos de provincia invitos tua lex avellit, libenter in urbem redibunt, non relicto quæstu provinciali. Nam provinciarum cupiditate Romani ardebant, et adesa re, effusisque ac perditis fortunis, unum multis hoc subsidium erat, adeptio provinciæ, quam spoliarent et diriperent: et Gabinius cum foris esset (foris autem esse dicebantur, qui, quod solvendo non essent, flagitanti creditori non esse domi dicebantur) et egeret, unam in provincia rerum suarum spem collocaset. Cicero in

Pisonem: *Egerat, foris esse Gabinium; sine provincia stare non posse.* TURNEBUS.

Deinde cum esset] Tribuni plebis primum creati sunt postquam plebs in montem Sacrum, vel, ut auctor est Piso, cui Tullius adhæret, in Aventinum secessisset. Dein illos abolevit decemviralis potestas; qua perdita rursus fiunt tribuni. Vide Livium II. 32. 33. III. 54. ac Dionysium Halic. VI. 45. 89. X. 56. 57. XI. 46. DAV.

Cap. 9. *Quem enim ille non edidit, &c.*] Si hanc lectionem retineamus, hæc videtur ejus esse sententia: Quem enim tribunum improbum non edidit primus ille tribunitiæ potestatis ortus? Sed quidam legi volunt, *Quæ enim non edidit,* &c. Sed fortasse legendum potius est, *Quem enim ille edidit?* negationis particula deleta. LAMB.

Qui primum] Non intelligit Canuleium, qui legem de promiscuis patrum plebisque nuptiis tulit, quod XII. tab. vetabatur: sed Licinium Stolonem, qui non multis post annis tribunus fuit, ac rogationem tulit, ut etiam ex corpore plebis consules fierent: quod offensis patrum animis magna tandem contentione obtinuerunt. Florus, lib. I. cap. 26. TUR.

Atque ut C. Flaminium] C. Flaminius trib. plebis legem de agro Gallico et Piceno viritim dividendo tulit. Is consul ad Thrasymenum exercitu ab Annibale deleto occubuit. IDEM.

C. Curiatius] L. Cornelium Nasicam, cui Serapioni cognomen fuit, et D. Junium Brutum Curiatius trib. plebis, quod non impetraret, ut sibi denos quos vellet milites eximeret, in carcerem mitti jussit. IDEM.

Runis] Est runa genus teli. Unde Ennius, *Runata recedit.* Intelligit autem leges Agrarias et Frumentarias C. Gracchi, quibus contentiones et pugnæ inter plebem et optimates natæ sunt. IDEM.

Gentes sibi] Jura gentilitatis significat, quæ violavit Clodius, cum ex genere patricio in adoptionem C. Fonteio homini plebeio juniori, major natu lege Curiata se dedit, cum de cœlo tamen a Bibulo servatum esset, ut vitio sit adoptatus et contra leges. Porro magistratus plebeios hi duntaxat gerere poterant, qui ex plebe erant. IDEM.

Licuisset tribuno] Cum lex Curiata qua adoptatus est, lata sit vitio, nulloque jure vel pontificio vel civili sit adoptatus. IDEM.

Vehementer Syllam] Cornel. Sylla dictator tribunorum plebis potestatem minuit, et legum ferendarum illis jus ademit: intercessionem reliquit, prohibuitque, ne his qui trib. fuissent, alios postea magistratus gerere liceret. IDEM.

Pompeiumque nostrum] Pompeius ex Hispania reversus, et cos. cum Crasso creatus, tribunitiam potestatem plebi restituit. IDEM.

Cap. 10. *Quin per ipsum Tiberium*] Tiberius Gracchus cum invitis equitibus ac senatoribus legem Agrariam ferret, M. Octavio collegæ causam adversæ partis defendenti, potestatem lege lata abrogavit. Hanc historiam et Plutarchus in Græco refert, et Cicero lib. I. de Nat. Deor. cap. 38. attingit his verbis, *Ut igitur T. Gracchum cum videar concionantem in Capitolio videre,* &c. TURN.

Quin per ipsum, &c.] Omnino videtur hoc adversus tribunitiam potestatem: itaque pronuntiari a Cicerone miror, eam defendente. Puto autem hoc totum rejiciendum ad Quinti sermonem, et post illa verba collocandum, *Quid juris bonis viris Tib. Gracchi tribunatus reliquit?* Et, quia mendi quiddam superest, ita legendum arbitror, *Quin per ipsum Tib. Gracchum non solum neglectus,* &c. P. MANUT.

Etiam sublatus] Abrogata potestate, nectus erit tanquam peremptus et prohibitus. Sic *Enecas* comici non raro usurpant pro Molestus es, et crucias. Non solum peremit intercessionem Gracchus, cum intercedenti collegæ non paruit: verum etiam sustulit intercessorem, ei abrogata tribunitia potestate. TURN.

Ut multis præclarissimis legibus adderetur] Sic hunc locum lacerum ac mutilum redintegravi, restituta voce *legibus*, quæ a scriptoribus librariis omissa fuerat. LAMB.

Cap. 11. *Cum tribunatu*] Nam Cicero numquam plebis libertatem aut commoda oppugnavit, quæ trib. tueri debent, nec ut in oppressorem libertatis Ciceronem plebs coorta est et concitata, sed servitia et vincula. TURNEBUS.

Vincula soluta sunt] Clodius, ut Ciceronem urbe expelleret, carceres refregit, custodias, servos, gladiatores, omnesque sicarios adversus eum armavit. In hanc sententiam hac de re sæpe loquitur Cicero, cum intelligendum sit colluvionem et fæcem urbis a Clodio in eum incitatam fuisse. Per *vincula* autem vinctos per metonymiam intelligit, qui in custodia habebantur. Sic *servitia* pro servis mox usurpat. IDEM.

Terrore militari] Erat enim ad portas cum imperio et exercitu Cæsar: cujus arma Ciceroni Clodius intentabat. IDEM.

Peste] Id est, Clodio.

Gracchus in Lænatem] P. Popilius Lænas cum prætor Tib. Gracchi amicos in exilium egisset, vi C. Gracchi expulsus, postea L. Bestiæ rogatione restitutus est. Citatur a Festo oratio Gracchi in Lænatem. IDEM.

Saturninus in Metellum] Apuleius Saturninus cum legem Agrariam per vim tulisset, Metello Numidico, qui in eam jurare noluerat, diem dixit: cum autem ab optimatibus Metellus defenderetur, ne tamen seditionis auctor esset, in exilium abiit. ID.

Admodum] In dialogis qui respondet, cum disputanti assentitur, dicere *admodum* solet, ut una re pertractata alio transiri possit. Proinde tu frater *admodum* dicito, mihique assentitor. TURN. *Admodum* in *ad modum*, voce divisa, mutavi, cum sensus id postulare videretur, ac ita repræsentaret editio Victoriana. DAVIS.

Cap. 12. *Senatus efficitur, popularem sane neminem*] Lamb. *Senatus ex his constituitur, populare est sane, neminem.*

Popularem sane neminem] Hæc lectio sensu caret; quapropter Turnebus emendavit, *populare est sane.* Mss. vero dant *quod senatus consulto*, vel *consultu, efficitur popularem sane neminem.* In hisce tenebris mihi palpanti rescribendum videtur, *Ex iis autem qui magistratum ceperunt quod senatus constat; efficitur populare id sane, neminem,* &c. DAVIS.

Cooptatione censoria] Censores, quæstores, equites illustres, et viros insignes in senatum cooptabant. Hanc cooptationem lege Cicero tollit, cum ex magistratibus senatum efficit. Nam cooptatio dicebatur, cum sine suffragio populi, vel sacerdotes sacerdotem, vel pontifices pontificem, vel censores senatorem legebant. Cooptatio enim est, cum collegæ simul optant et eligunt. TURN.

Ejus decreta sunto] Turnebus, voce addita, legebat, *ejus decreta rata sunto,* atque ita Davisius ex Mss.

Censorem quærat] Istam legem ostendit nihil egere Quintus interpretatione Ciceronis, sed censoris animadversione et notatione opus esse, ut probrosi ordine moveantur, honesti retineantur. Ista enim est censoris interpretatio, quid sit esse senatum aliis specimen. Quos enim ordine removerit censor, ostendet aliis specimen non fuisse; quos retinuerit in senatu, ostendet fuisse. TURNEBUS.

Tuus totus] Etsi tu ei ordini charissimus es. IDEM.

Cap. 13. *Ferebatur quam commodissime respondisse*] Vict. Grut. *efferebatur, quasi commodissime respondisset.*

Eisdem] Man. Grut. *cupiditatis ejusdem.* Lamb. *cupiditatibus eisdem.*

Cap. 14. *Populo libera*] Libera sunt quando non voce, sed tabella feruntur. Optimatibus sunt nota hac lege, quia quibusdam tabellæ ostenduntur, cum legibus Romanis id tamen vetitum esset. TURNEBUS.

Cap. 15. *Clam, an palam*] Cum vo-

ce suffragia feruntur, auctoritas optimatium eorumque qui magistratibus functi sunt, plus valet, cum pauperiores et tenuiores eorum sententiæ palam refragari non ausint: at cum tabella suffragia feruntur, sine ullo metu libere populus suffragari potest. Cicero pro Plancio, cap. 6. *Populo grata est tabella, quæ frontes aperit, hominum mentes tegit, datque eam libertatem, ut quod velint faciant.* Id.

Cap. 16. *Isti rationi*] Isti methodo suffragiorum per tabellas ferendorum. Non enim erat cur Lambinus reponeret *isti rogationi.* Davis.

Quatuor leges tabellariæ] Cassiæ legis meminit Asconius ad Act. primam in Verrem cap. 10. et Gabiniæ Cassiæque Noster de Amic. cap. 12. Altum de reliquis apud auctores silentium. Vide Ant. Augustinum de Legibus. Idem.

Pace familiæ dixerim] Quæ severa semper fuit, et a populari levitate aliena. Cicero in Verrem, act. I. cap. 10. *L. Cassius ex familia tum ad cæteras res, tum ad judicandum severissima.* Turn.

Ne reditus quidem] Ad optimates, a quibus in tribunatu dissenserat, reditus, cum Opimium defendit. Cicero de Orat. II. 40. *Non si Opimium defendisti, Carbo, idcirco te isti bonum civem putabunt: simulasse te, et aliud,* &c. Idem.

Perduellionis] Ciceronis ætate crimen perduellionis erat, cum quis contra libertatem populi quid fecerat; cum contra legem Porciam, quæ cædi et securi feriri cives non sinebat, quis civem virgis ceciderat, aut interfecerat; aut tribunum plebis patronum et vindicem libertatis violarat, aut interfecerat. Idem.

Docuitque, quoad vixit, se, ut opprimeret C. Popilium, nocuisse et reipublicæ.] Vict. Man. *nocuit, quoad vixit: sed ut opprimeret populum, nocuit et reip.*

Docuit quoad vixit, se ut opprimeret C. Popilium] Istud *docuit* debetur Turnebo (ut ait Lambinus) qui ejecit priorem lectionem *doluit.* Quod nollem factum. Quo enim sensu dicitur Cælius *docuisse* hoc, *quoad vixit?* an non æque id docuit post mortem, et adhuc etiam docet, cum historiam ejus legamus? Adde, quod vix Ciceronianum videtur, *docuit se nocuisse reip.* Quo sensu *docuit?* an non id damnum reip. etiam illo non hoc *docente* cognosci posset? Potius igitur lego cum veteribus editionibus, et cum Mss. ut puto, *doluitque quoad vixit,* &c. Multa improbe et seditiose fecit, ut Popilium opprimeret, quibus nocuit reipublicæ: quæ res illum postea (testante Cicerone) dolore cruciavit. Pearc.

Excitabat enim] Hoc speciem ænigmatis et proverbii habet: significat autem patrem Gratidium turbellas in parva et municipali rep. excitasse, filium vero in maxima rep. Romana, maximos tumultus. *Simpulum,* auctore Festo, vas parvum est, non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libabatur: unde et mulieres rebus divinis deditæ *simpulatrices* vocantur. Apud Nonium *simpuvium.* Turn.

Filius ejus Marius] M. Marium Gratidianum dicit, qui Romæ prætura bis functus est, quemque Sylla *non prius vita privavit, quam oculos infelicis erueret, et singulas corporis partes confringeret,* ut tradit Valerius Maximus lib. IX. cap. II. 1. Rem referunt etiam Q. Cicero de Petit. Cons. cap. 3. Seneca de Ira III. 18. Florus III. 21. aliique plures. Technam vero, qua factum est, ut ei vicis omnibus statuas posuerit, eumque ceu deum coluerit populus Romanus, narrabit Cicero Offic. III. 20. Dav.

Mari. Ac nostro quidem avo, cum res esset] Vict. Grut. *mari, ac nostro. Quoi, cum res esset.*

Cassiæ legis culpam Scipio] Vide Cic. in Bruto, cap. 25.

Cap. 17. *Libertatem istam largior populo, ut et auctoritate valeant, et utantur bonis*] Uti *bonis* quispiam interpretatur, uti bonorum consilio. Ita sensus erit: Qua lege jubeo suffragia esse *nota optimatibus, plebi li-*

bera, populo istam largior libertatem, *ut auctoritate valeat*. Ergone auctoritatem senatui, cujus propria est, eripere voluit, et populo tradere? At dixit modo: *Senatus nostra lege confirmatur auctoritas*...*Potestas in populo, auctoritas in senatu sit*, cap. 12. Stabit sententia et phrasis, si ultimam demas litteram, et legas: *Libertatem istam largior populo, ut et auctoritate valeant, et utantur boni*. Volo, inquit, plebi esse libertatem ferendi suffragii; sed ita ut *boni* auctoritatem retineant, ejusque usum. Do *plebi libera* suffragia, sed volo *nota esse optimatibus*, et his tabellas, antequam diribitori et custodibus tradantur, ostendi. *Istam* ergo talem *largior populo libertatem*, sic plebem volo esse liberam, *ut boni auctoritate et valeant*, antecellantque, *et utantur*, videndis cognoscendisque suffragiorum tabellis. Eadem sententia paucis post versibus repetitur aliis verbis: *Quamobrem lege nostra libertatis species datur, honorum auctoritas retinetur*. Franc. Odinus.

Pontes etiam lex Maria fecit angustos] In causa fuit cur pauciores suffragia darent; nam cives de lege promulgata suffragium laturi, per *pontes* transibant. Vide Paulum Merulam de Leg. Roman. cap. 1. § 20. Dav.

Cap. 18. *Quid optimi viri*] Justissima Ciceronis est lex, quæ tabellarium plebi suffragium permittit, sed esse notum optimatibus vult, cum præsertim in comitiis quærere inter se soleant homines qui in suffragium eunt, quid optimi viri sentiant. Quod quidem ab iis fit, cum largitio in comitiis non versatur, nec corrupti sunt, sed comitia quieta et tranquilla sunt sine ullo ambitu: tum enim bonorum suffragium populus incorruptus libenter sequitur, et quærit quid boni sentiant, et cui faveant. Turn.

Peccante senatu] Quorumdam ambitio nonnunquam eblanditur senatusconsulta improba corruptis senatorum sententiis: quod cum futurum videmus, ne senatusconsultum fiat, diem dicendo tollere debemus. Id.

Noster Cato est] Ut cum Cæsar ex Hispania reversus, ut liceret sibi consulatum per alium petere postulabat, Cato diem orando sustulit. Sunt et alia exempla apud Plutarchum. Id.

Cap. 19. *Quod qui permovet*] Quod concilium cœtumque plebis moveri cœptum qui permovet, seditionem et vim quærit. Idem.

Ut sibi] Consiliarios et administros esse datos. Idem.

Quos in auspicio] Auguralis locutio, qua utebantur augures, cum aliquem auspicari jubebant. Vide Cic. lib. II. de Divin, cap. 34. Ita in agendo cum auspicabantur, augur aliquem adhibebat, qui in auspicio esset. Idem. Sic autem interpunge; *datum; ut sibi eos, quos in auspicio esse jusserit; ceterique*, &c.

Privilegii] Vict. Man. Lamb. *privilegia*.

Cap. 20. Νομοφύλακες, *sic enim lege*] Id est, custodes legum. Hi numero XII. erant, legumque custodiam habebant, ac magistratus omnia ex legum præscripto agere cogebant, hominumque facta ad leges revocabant. Sic Rhadamanthus in urbe, Talos in agris, ut scribit Plato, Minois νομοφύλακες fuerunt. Turn.

Publice constitutis] Quemadmodum publice constituebatur Athenis qui in publicis sepulturis diceret: ita quoque qui eos accusaret, qui magistratum gessissent, in reddendis rationibus. Accusabantur autem apud collegium λογιστῶν, populusque accusatores constituebat. Sed graves, ut censet Cicero, esse non possunt, nisi voluntate ad accusandum descendant. Idem.

Legem] Lamb. *rem*.

Cogitare per nos] Cum de jure naturæ disserimus, ut fere tribus superioribus libris fecimus multis locis; quid e natura sit, ipsi ex inchoatis intelligentiis per nos cogitare debemus: cum de jure populi Rom. agitur, ut proximo libro, in quo de jure et potestate magistratuum disseram, quæ scripta et tradita invenimus, litteris mandanda sunt. Idem.

DE OFFICIIS,

AD M. FILIUM,

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

De his libris Plinius in præfatione: Quæ volumina ejus ediscenda, non modo in manibus habenda nosti. *Incepit eos scribere mortuo Cæsare, cum solus consul esset Antonius,* epist. 13. lib. 15. *ad Attic. Sed absolvit Hirtio et Pansa coss. paulo ante mortem suam, ut cognoscitur e libro* 16. *earumdem epistolarum.* MURETUS.

Cap. 1. *Annum jam*] Annus jam elapsus fuerat, ex quo Marcus filius, victo interfectoque Pompeio, Athenas profectus erat. Marcus autem pater post Cæsaris necem, cum de republica desperasset, omnemque concordiæ spem amisisset, in otium parumper secessit, ut hos de Officiis libros scriberet, A. ab U. C. DCCIX. et DCCX. In Pompeiano suo erat, cum scribere cœpit. FACC.

Cratippum] Cic. Filius ad Tironem lib. 16. ad Famil. *Cratippo me scito non ut discipulum, sed ut filium esse conjunctissimum. Nam cum et audio illum libenter, tum etiam ejus propriam suavitatem vehementer amplector. Sum totos dies cum eo: noctisque sæpenumero partem. Exoro enim ut mecum quam sæpissime cœnet. Hac introducta consuetudine, sæpe inscientibus nobis, et cœnantibus obrepit: sublataque severitate philosophiæ, humanissime nobiscum jocatur. Quare da operam, ut hunc talem, tam jucundum, tam excellentem virum videas quam primum.* Secundo horum librorum ait eum esse iis simillimum, qui ista præclara pepererunt: et in Timæo, Peripateticorum omnium, quos quidem ipse audiverit, suo judicio facile principem. Mitylenæus autem erat Cratippus. MURET.

Idque Athenis] Eas Cicero I. de Orat. *omnium doctrinarum inventrices* vocat. Ibi esse *domicilium studiorum,* III. de Orat. et in Oratore, Atheniensium semper fuisse *prudens sincerumque judicium, ut nihil audire possent nisi incorruptum, et elegans.* In libro de Fato: *Athenis tenue cœlum, ex quo acutiores etiam putantur Attici: crassum Thebis: itaque pingues Thebani, et valentes.* Conjungit autem tria, doctorem, tempus, locum. ID.

Feci:] Deest vox hæc in aliquo Ms. nec sane necessaria est. Ad sensum quod attinet, et Cicero pater Græce Latineque declamabat, ut ipse de se scribit in Bruto; et filius ut est in epistola modo allata. FACC.

Quoniam utrique et Socratici et Platonici esse volumus] Id est nos Academici, et vos Peripatetici, (Cratippus enim erat Peripateticus) volumus esse Socratici et Platonici, id est, Socratis et Platonis decreta tueri volumus: philosophiam moralem Platonicam a Socrate acceptam sequimur. MURET.

Legendis nostris] Duo hæc verba credibile est addita fuisse margini ad explicationem, ut fieri a Grammaticis solet. Thomas Cokman in editione 1716. Codicem memorat Oxoniensem, in quo desunt. Sane battologia quædam videtur hæc *nostra legens, legendis nostris.* FACC.

Qui jam illos] *Illos,* hoc est, libros alterius generis, ante memoratos.

Qui libri sunt orationes, vel, si malumus, libri orationum. Alii legunt: *Qui jam se illis fere*, &c. Anon.

Demetrius Phalereus] In temperato dicendi genere excelluit. Dicitur *dulcis*, quemadmodum et Theophrastus, quem secutus est, *dulcis* vocatur in Bruto. Ceterum philosophus potius, quam rhetor, habitus est. Facc.

Contempsit alterum] Aristoteles videlicet oratorium dicendi genus, Isocrates philosophicum contempsit: neque enim ad æmulationem quæ nulla inter eos fuit, istuc referendum est; ut male quidam hic annotarunt. Langius. *Contempsit*, hoc est, noluit tractare. Græv.

Cap. 2. *Hoc tempore*] Idem ad Attic. l. 15. ep. 33. *Nos hic φιλοσοφούμενα (quid enim aliud?) et τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος magnifice explicamus, προσφωνοῦμενque Ciceroni.* Qua de re enim potius pater filio? Deinde alia. Fac.

Meæ. Nam] Man. *meæ gravissimum. Nam.*

Latissime patere] Prima ratio, cur de Officiis scribat, quod materia latissime patet ad omnem vitæ partem. Facc.

Tecum agas] Solus per te agas, et tibi agas. Sunt enim Officia quædam, quæ sibi quisque debet. Idem.

Quæstio communis] Secunda ratio, quia quamvis quæstio hæc de Officiis sit philosophorum omnium communis, non tamen revera philosophi omnes de Officiis præcipere possunt vel recte præcipere. Idem.

Alio loco] IV. Tuscul. Quæst. et libris de Finibus bonorum et malorum.

Conjuncta naturæ] Quæ consentiant naturæ humanæ. Honestatis originem deducunt Stoici a natura, secundum quam vivere, bene vivere est. Neque quicquam fieri potest secundum naturam, quod fiat repugnante ratione, ut docet IV. Tuscul. Græv.

Qui solam] Sine adjunctione rerum externarum. Vide Tuscul. V. Hi vero sunt Stoici; ut illi, qui honestatem propter se, hoc est propter suam vim et naturam, dicunt expetendam, sunt Academici et Peripatetici. Idem.

Aristonis, Pyrrhonis, et Herilli] De quibus in Lucullo, et in libris de Finibus.

Cap. 3. *Omnis de officio duplex est quæstio*] Cur non statim definit officium? Quia cum officiorum non unum genus sit, una communis officii definitio tradi non potest. Prius igitur docendum fuit, de quo genere officiorum disputaturus esset, quam officium definiretur. Certi autem officii, antequam in propositam disputationem ingrediatur, definitionem tradet, ut paulo ante faciendum præcepit. Sed quia duplex est quæstio, id est, ratio quærendi, ac disputandi de officio, ideo prius admonet, utram in his libris sequi ac tenere decreverit. Unum igitur genus disputationis est δογματικὸν, quod pertinet ad finem bonorum, id est, ut ait Seneca, ad constitutionem summi boni: ut cum docetur, nihil esse bonum, nisi quod est honestum: nihil malum, nisi quod vitiosum: omnia minima maxima divino consilio ac providentia administrari: mundum hunc civitatem quandam esse deorum hominumque communem: omnes homines ita inter se esse natura conjunctos, quasi unius corporis membra: liberos a deo creatos ac genitos esse animos nostros, quare nefas esse eos a nobis rebus externis, ut opibus, honoribus, corpori, in servitutem addici. Curanda nobis esse, quæ a nobis sunt; quæ extra nos, negligenda. In nobis esse opinionem, impetum, appetitionem, declinationem, uno verbo, quæcumque opera nostra sunt: extra nos, possessiones, honores, imperia, corpus ipsum. Quæ in nobis sint, ea natura libera esse, neque prohiberi posse, neque impediri: quæ extra nos, imbecilla, servilia, aliena. Hæc et similia vocabant Stoici δόγματα, id est, ut Seneca interpretatur, scita, decreta, placita philosophiæ. Tale autem disputationum genus Cicero hoc loco ait ad finem bonorum, id

est, ad veram ac perfectam summi boni cognitionem et intelligentiam pertinere. Muret.

Alterum, quod positum est in præceptis] Hoc genus Græci, ut est apud Senecam, παραινετικὸν vocant, in quo μερικῶς docetur, quid patriæ, quid parentibus, quid liberis, quid amicis præstare debeamus. Ad hæc duo genera Posidonius addebat χαρακτηρισμοὺς, quos etiam jocans Seneca, publicanorum verbo ἰκονισμοὺς vocari posse ait, id est, virtutum ac vitiorum et hominum, qui eis prædit sunt, descriptiones: et tales sunt ii, qui Theophrasti nomen præferunt, χαρακτῆρες. Hos quoque Seneca fatetur ex usu esse. Quia enim facilius omnia notamus, et animadvertimus in aliis, quam in nobis, prodest spectare illas imagines, ex quibus aliquid in nos transferamus, aut demus operam ne tales simus, quales ii, quos aut contemnimus, aut aversamur. Hujus tertii generis, quod χαρακτηριστικὸν vocemus licet, Cicero hoc loco non meminit: sed illa tantum duo ponit notiora, et celebriora. Idem.

Confirmari] Lambinus, et Grævius, conformari; utrumque recte. Natura enim ad officium ducit; præceptis confirmatu quod illa inchoaverat; *Rectique cultus pectora roborant*, ut inquit Horat. IV. Od. IV. 34. Anon.

Omniane officia perfecta sint: num quod officium aliud alio majus sit] His verbis subvereor equidem ne insit aliquid vitii. Nunquam enim legi disputatum esse a Stoicis, *omniane officia perfecta sint;* ac ne videatur quidem, si sibi constare ac consentire vellent, (constantiæ autem in dogmatis suis laus eis præcipua tribui solet,) ea de re disputare potuisse. Certe enim ita ab ipsis traditur, officium aliud perfectum esse, quod κατόρθωμα, aliud inchoatum, et imperfectum, quod generis nomine καθῆκον vocant. Ut igitur si quis cum poneret, animal aliud esse rationis capax, aliud rationis expers, si quærere vellet, omniane animalia rationis capacia essent, merito irrideretur: ita Stoici cum hoc in ipsis doctrinæ suæ principiis ponant: officium aliud perfectum esse, aliud imperfectum, non videntur posse hanc quæstionem tractare, *omniane officia perfecta sint*. Suspicor igitur, pro, *perfecta*, legendum, *paria*. Fuit enim hæc disputatio in Stoicorum scholis decantata. *Num paria essent omnia officia, an unum alio majus*. Sed dicet aliquis, non hæc jam duo exempla fore, sed unicum. Idem enim est quærere, *num omnia officia sint paria, et num eorum aliud sit alio majus*. Cui respondeo putare me id ipsum corrumpendo loco causam dedisse, cum verentur homines nimis superstitiosi, ne Cicero bis idem dicere videretur. Est enim hoc unicum problema, *Num paria sint omnia officia, an aliud alio majus*. At Cicero non *exemplum*, sed *exempla* dicit, ut plura proposuisse videatur. Imo vero ait hoc problema, et quæ sunt generis ejusdem, esse exempla ejus generis, quod pertinet ad finem bonorum, quod δογματικὸν vocari diximus. Omnia igitur officia perfecta, id est, omnes actiones cum virtute conjunctas pares esse dicebant. Omnes enim virtutes æquales esse: ideoque æqualia etiam earum ἐπιγεννήματα, id est, actiones, quæ ex eis enascerentur. Muret. Causæ, cur sibi vir politissimus ab omnium librorum scriptura recedendum putavit, justæ sane nullæ sunt. Nam res eodem redit, sive Cicero scripserit, *num omnia officia sint perfecta*, sive *num omnia officia sint paria*. Nam si omnia sunt officia perfecta, quod sentiebant Stoici, sunt utique omnia paria. In illa igitur doctrina, quæ pertinebat ad dogmata, quærebatur num omnia officia sint perfecta, an vero aliud alio majus, quod Peripatetici aliarumque familiarum philosophi existimabant: nec aliud Cicero voluit. In illo argumento cum versarentur, quærebatur, *omniane officia sint perfecta*. Hoc argumentis adstruebant Stoici, dein examinabantur aliorum philosophorum rationes,

qui diversa statuebant: quærebant itaque cum illis *num quod officium aliud alio majus sit*. In his non sibi adversabantur Stoici, sed hæc expendebant, ut suam sententiam munirent firmius. Nec absurdus sit, qui ponat, num omnia animalia sint rationis capacia, an vero aliud animal sit rationis capax, aliud rationis expers. GRÆV.

Perfectum officium, rectum, opinor, vocemus, quod Græci κατόρθωμα] Quod conveniebat iis, qui credebantur Stoicis ὑπὲρ φύσιν ζῆν, supernaturalem quasi quandam vitam vivere, tanquam excessissent communem hanc vivendi rationem, et proximi diis essent, immo dii. Nam Stoici suum sapientem, deum esse persuasum habebant. Qui vero ad hunc perfectæ sapientiæ gradum erant evecti, dicebantur θεωρητικοὶ, quorum animi ab omni fæce motuum humanorum purgati, et ab omni terrena labe mundati, quam simillimi sint redditi menti illi divinæ, cujus contemplationi toti incumbunt, hinc et dicti sunt θεωρητικοί. Vide Simplicii procem. in Epictet. GRÆV.

Hoc autem commune, quod καθῆκον vocant] Qui hoc sequuntur, dicuntur κατὰ φύσιν ζῆν, secundum naturam vivere, et πρακτικοὶ, qui in agendo tantum quod bonum est versantur, virtutibus moralibus ac politicis contenti. Quæ virtutes civiles moralesque hominem quidem probum reddunt, sed non eum, ut θεωρία, inducunt in semitam divinarum virtutum, quæ τὸν θεωρητικὸν deo assimilabant. Θεωρητικῷ non scripta esse hæc præcepta, quippe qui iis non indigeat, sicut nec præceptis, quæ in Enchiridion Epicteti contulit Arianus, ostendit in commentario in procemium illius enchiridii Simplicius: qui ait ista præcepta ad πρακτικοὺς, seu qui secundum naturam vitam instituunt, pertinere. Vide Simplic. et in illum Salmasium. IDEM.

Ut rectum quod sit, id perfectum officium esse definiant] Alibi in hoc opere definit κατόρθωμα, *quod perfectum atque absolutum est, et, ut Stoici dicunt, omnes numeros habet*. Et in Oratore: *Illud cui nihil addi possit, quod ego summum et perfectissimum judico.* Quod nemo præstare potest, nisi sapiens Stoicus quem illi fingunt ἀνάλυθον, ἀνεμβίαστον, ἀπαραπόδιστον, ἐλεύθερον, εὔπορον, εὐδαίμονα, ut est apud Gellium. Quæ verba lib. III. de Finibus Cicero magna ex parte interpretatus est: *Cum hoc sit extremum, congruenter naturæ, convenienterque vivere, necessario sequitur, omnes sapientes semper feliciter, absolute, fortunate vivere: nulla in re impediri, nulla prohiberi, nulla egere.* WOLFIUS. Vide Lips. lib. III. Manuduct. ad Philosoph. Stoicam.

Medium autem officium] Idem hoc est, quod Stoici apud Diogenem Laertium affirmant, καθήκοντα εἶναι, ὅσα λόγος αἱρεῖ ποιεῖν. *Officia esse, quæ ratio facienda suaserit.* Vide Suidam in καθῆκον. *Medium* autem officium hoc, quod præstatur a bonis viris, vocatur, quia *medius* Latinis est mediocris. Sic *media bella*. Liv. V. 37. Bella media sunt bella mediocria. Vell. Paterc. II. 29. *Innocentia eximius, sanctitate præcipuus, eloquentia medius.* GRÆV.

Consilii capiendi deliberatio] Reprehendit hoc loquendi genus Henricus Steph. II. Schediasmat. cap. 25. et arguit pleonasmi, ac si non multum discriminis intercederet inter consilium capere et deliberare. Hæret quoque et dubitat Wolfius. Sed *consilium capere* hic est exequi deliberatum, rem facere, de qua deliberabatur. Livius lib. XXV. cap. 34. *Dux cautus et providens Scipio, victus necessitatibus temerarium capit consilium, ut nocte Indibili obviam iret.* J. F. GRONOVIUS.

Anquirunt] *Anquirere* proprie est, circum quærere, ut Festus scribit: a quo, *inquirere* diversum est: qui igitur circumquaque omnia scrutans quærit, is *anquirere* Latine et Ciceroniane dicitur. FAB.

Utilitas ad se rapere] Utile pugnat aliquando cum honesto. Vide cap. 7.

lib. 3. Porro utilitas dicitur *rapere*, honestas, *revocare*, quia honestas conjuncta naturæ est. Adde, utilitatem, quæ pugnat cum honestate, videri, non esse. FACC.

Cap. 4. *Earumque* progressus] Ita vulgo legitur: sed potior mihi videtur lectio *prægressus*, quæ extat in Mss. Mead. Mert. 1. Pal. 2. in uno Gifanii, uno Turnebi, et tribus Lambinianis. Vox *antecessiones*, quæ proxime sequitur et huic voci copula connectitur, satis probat Ciceronem scripsisse *prægressus*, non *progressus*: aliter enim (opinor) alio verborum ordine dixisset, *earumque quasi antecessiones et progressus non ignorat*, cum *antecessio* prior est in rerum natura, quam *progressus*. Notandum est etiam per vocem *earum* hic intelligi debere, non *rerum*, sed *causarum rerum*: ut Noster dicit in Fato c. 19. *Dicent, si omnia fato fierent ejusmodi, ut nihil fieret nisi* prægressione causæ, *confitendum esse fato fieri omnia*. Maturantius recte explicasse hunc locum videtur. Non solum (inquit) ipsas rerum causas videt, quæ plerumque manifestæ sunt, ut nimia aeris intemperies causa est pestilentiæ: sed, si quid est quod ipsas causas antecedat, ut cum ex signis quibusdam et prognosticis futuram percipit aeris intemperiem, quæ pestilentiæ causa sit. PEARC. Vide Turneb. Advers. lib. XXVI. cap. 32.

Progressus, et quasi antecessiones] quomodo res progrediantur, seque ipsæ inter se antecedant, et alia aliam pariat? Alii legunt *prægressus*, id est causas prægressas: sed incidunt in ταυτολογίαν cum causas jam nominarit, atque adeo *principia et causas*, ut quidam legunt. FAC.

Ingeneratque in primis præcipuum quendam amorem in eos, qui procreati sunt:] Membrum hoc respicit verba modo allata ex loco de Fin. *profectus a caritate domesticorum*. Valde dubito, num ex iis formatum fuerit ab aliquo Aristarcho, et huc insertum. Nam revera sine illo rectius cohæret oratio, et vix intelligitur, quomodo Cicero dixerit *in primis præcipuum*. IDEM.

Celebrari inter se] Grut. *et celebrationes esse*.

Et a se obiri velit] Vict. Man. *et sibi obedire velit*.

Effœminateve faciat:] Adde, *aut cogitet*: quod est in fine period. Nam reliqua hæc, *tum in omnibus et opinionibus, et factis, ne quid libidinose aut faciat*, inserta puto, ex interpretatione margini adscripta. FAC.

Quod etiamsi nobilitatum non sit] Etsi notum non sit, et prædicetur a nemine. Inferius in lib. 2. *Phalaris, cujus est inter cæteros nobilitata crudelitas*. GRÆV.

Cap. 5. *Mirabiles amores (ut ait Plato) excitaret sapientiæ*] Alludit Noster ad illud Platonis in Phædro, quod aliter verbis protulit in lib. II. 16. de Fin. *Oculorum est in nobis sensus acerrimus: quibus sapientiam non cernimus: quam illa ardentes amores excitaret sui, si videretur!* At quod de sapientia ibi dixerat Plato, Cicero hic dicit de *forma et facie honesti*. Hinc cum facile appareat Ciceronem non scripsisse *excitaret sapientiæ*, Faernus olim monuit legendum esse *excitaret sui*, ut ad *formam et faciem honesti* istud *sui* referretur. Sed ne hæc quidem conjectura, quamvis probanda, omnem sententiæ labem tollit: nam Plato hoc non dixerat de *forma et facie honesti*, cui vox *sui* referenda est, sed de sapientia. Mihi igitur videtur locum sic legendum esse; *quæ, si oculis cerneretur, mirabiles amores (ut ait Plato sapientiæ) excitaret sui*: ubi voces illæ, *ut ait Plato sapientiæ*, idem sonant quod sequentes, ut ait Plato, excitaturum mirabiles amores sapientiæ, si ea posset oculis humanis cerni. PEARCIUS.

Quæ prima descripta est] *Descripta* non est, ut vulgo accipiunt, definita, sed collocata, et ordinata primo loco. Cic. de Petit. consul. *Etsi hominibus studiosis nostri gratiosisque suum cuique manus descripsimus*. Horat. de Arte poetica: *descriptas servare vices*,

hoc est impositam personam recte gerere. Græv.

Inest indagatio] Legendum *existit:* illud enim non patitur latina syntaxis. Facc.

Reliquis autem tribus] Quidam addidere *virtutibus;* quod minime oportebat. Tribus igitur reliquis necessaria omnia proposita sunt, quæ parantur in vita ad juste, fortiter, moderate agendum. Fac.

Ordo autem *et constantia*] Ni fallor, legendum est *item:* ad actionem enim Cicero hic refert ordinem eodem modo, quo duas præcedentes virtutes, justitiam et fortitudinem. Pearc.

Cap. 6. *Et ducimur*] Duo hæc verba absunt a codicibus quibusdam Mss. et sane adesse debent, ut in suo specimine Heusingerus ostendit. Facc.

C. Sulpicium] Eclipsim prædixit, et rationem defectus solis et lunæ primus Romani generis in vulgus extulit. Fuit consul cum Marcello. Plinius, lib. II. cap. 12.

Sine opera nostra] Id est, sine labore corporis, etsi musæo non simus affixi, nec legendo, scribendove demus operam. Græv.

Continere] Continere, proprie de magistris dicitur, qui exercent adolescentes. Cic. Fam. VII. 19. *In qua* exercitatione *nos te continebimus.* Petron. *Juvenes declamationibus continebantur.* Gell. XIX. 1. *Quem ego Athenis cognovi... attente discipulos juvenes continentem.* Idem.

Cap. 7. *Latissime patet ea ratio, qua societas*] Absoluto loco de sapientia et prudentia, transit ad secundam partem honestatis, quæ pertinet ad tuendam et conservandam hominum societatem, cujus partes duas esse, dicit, justitiam et liberalitatem. Justitia nemini suum eripit; liberalitas etiam aliis de suo sponte largitur. Justitia nemini nocet; liberalitas sponte aliis prodest. Bipertita igitur hæc disputatio futura est. Muretus.

Vitæ quasi communitas] Est socialis ista vita, quæ hominibus præ cæteris animalibus est propria. Male nonnulli hæc explicant. Cicero III. de Fin. *Quemadmodum membris utimur priusquam didicimus cujus ea utilitatis causa habeamus, sic inter nos natura ad civilem societatem conjuncti et consociati sumus.* Ibid. *Præclare Chrysippus cætera nata esse hominum causa et deorum, eos autem communitatis et societatis suæ.* Paulo post: *Homines natos esse ad congregationem hominum, et ad societatem communitatemque generis humani.* Græv.

Nisi lacessitus injuria] Huic primo præcepto justitiæ, nemini nocere, additur exceptio, ut qui injuria lacessitus sit, is juste ei, a quo lacessitus est, vicissim nocere posse videatur. Ideo Lactantius hunc ipsum locum reprehendit lib. VI. cap. 18. Vir bonus quidem nunquam quidquam facere debet, ne lacessitus quidem, ut noceat alteri: potest tamen factam sibi injuriam sine vitio ulcisci. Omnes qui se ulcisci volunt, aut sua causa id faciunt, aut aliena. Sua tribus modis. Aut enim ut sibi expleant animum reponendo dolore ei, a quo læsi sunt: quasi facilius laturi dolorem suum, si ei quoque, qui eum attulit, male esse viderint. Aut ex ultione commodum sibi et emolumentum aliquod quærunt: ut si tu mihi centum per injuriam abstuleris, ego quoque totidem a te auferre cupiam, aut etiam pœnæ nomine aliquanto amplius. Aut sibi cavere in posterum et prospicere volunt, metuentes, ne in contemptum adducantur, neve aut ab eo ipso, qui læsit, aut ab aliis, quasi per ludibrium alias injurias accipiant. Scitum enim est illud: *Veterem ferendo injuriam, irritas novam.* Aliena autem causa ulcisci se student duobus modis. Aut enim ipsius causa qui læsit, ut ei quasi medeantur, eumque modestiorem efficiant: aut etiam reip. causa: ut ejus quem ulcisci volunt exemplo coerceantur alii, et ab injuria absterreantur, sitque, ut jurisconsulti loquuntur, pœna unius, metus multorum. Ita Deum peccata hominum ulcisci dixerat

Chrysippus lib. I. de justitia: ἵνα τῶν πονηρῶν κολαζομένων οἱ λοιποὶ παραδείγμασι τούτοις χρώμενοι, ἧττον ἐπιχειρῶσι τούτων τι ποιεῖν. Muret. Sed vide Grotium lib. II. de jure belli et pacis c. 1. Nec tamen ex Stoicorum schola. Horum enim scitum est neminem lædi nisi a se ipso. Non potest ergo sapiens Stoicus lacessi injuria, aut ulla alterius injuria impelli ad ei nocendum. Sed hæc scribi præcipique non sapientibus, sed viris bonis superius dixit Tullius. Præterea hæc, lacessito injuria lacessenti nocere fas esse, intelligenda sunt, de ratione, qua non aliter possunt arcere injuriam. Nam in civitate, ubi jure licet agere: legibus et judici res committenda est, qui inferentem injuriam puniat. Græ.

Ut communibus] Vide quam varie communia dicantur quam eleganter explicet Seneca lib. VII. de Benef. cap. 12. Idem.

Aut lege, pactione, conditione, sorte] Proprietatem quæri Cicero dicit, aut venditionis lege, aut pactione aliqua et contractu: etiam conditione, si quid feceris, aut dederis, interdum dominium acquiritur, cum ita convenit: postremo sorte, ut in coloniis deducendis, cum assignabantur agri, centuriæ singulæ certo militum numero, missis in urnam eorum nominibus. Nam quæ pars cuique evenerat, sortitio ejus censebantur. Turn. Advers. XXVI. 32.

E quo si quis] In meo codice, *eo si quis*, sed vulgarem hanc lectionem retinere juniores Critici voluerunt, invito Lambino: quasi vero non satis sit, duas superiores periodos cœpisse per *Ex quo*, nisi addatur tertia. All. leg. *Et si quis*. Fac.

E quo si quis sibi appetet] Vict. Man. Lamb. *eo si quis plus sibi appetet*. Sed Langium audiamus. *Appetere* proprie est amplius petere, demum vehementer velle, atque etiam vi invadere. Ut *appetere* regnum; *homo appetens*, pro avido, contra Rullum; *animus appetens*, de Oratore. Sic infra, *ne cupide quid agerent, ne appeterent*. Livius, lib. I. *Crescebat interim urbs munitionibus alia atque alia appetendo loca*. Quam verbi hujus proprietatem qui ignorarunt, locum corruperant. Hoc enim vult dicere, ex eo quod alterius sit, neminem appetere sine injuria posse. Nam plus velle, vel plus quærere, quam possideas, cur sit injustum, dum id fiat absque dolo malo? ut puta occupatione vacui, justo bello, aliove quo non illicito pacto? Car. Lang.

Tum artibus] Vulgo editores non intelligentes vim particulæ *tum*, quæ hoc loco conjunctionis munere fungitur, eam iterarunt in duobus incisis quæ sequuntur. Fac.

Tam est in vitio] Hic Cicero reprehenditur et erroris arguitur, quod tradat eum, qui non defendat, si possit, insontem, cui injuria fit, æque graviter peccare, ac si parentem, aut patriam deserat, putaturque Stoicorum placito, peccata esse æqualia, in hunc errorem incidisse. Sed qui sic sentiunt, ipsi falluntur. Non enim Cicero dicit æque graviter peccare qui hominem non defendat, ac si parentem non defendat, sed æque peccare in justitiam, qui injuriam a quocunque potest non propulsat, ac illum qui parentem aut patriam deserat. Injustum esse utrumque, sed uter sit injustior, uter gravius peccet, hic Cicero non definit. In hac locutione *tam est in vitio* vocula *tam* non quantitatem, sed qualitatem potius notat. Sicuti tam in vitio est, denarium furari, ac decies sestertium, quamvis peccata differant plurimum, ut multis disputarunt Majoragius et Griffiolus contra Coelium Calcagninum. Plato puniendum censet, qui vim alteri illatam non arcet IV. de legibus, quod et Ægyptiorum legibus cavebatur. Vide Hug. Grotium lib. II. de Jure Belli et Pacis cap. 25. §. 6. et 7. Grævius.

Sæpe a metu proficiscuntur] Vide Grotium II. de Jure Belli et Pacis cap. I. §. 2. ubi copiose hoc explicat, et ostendit simul quando per justum metum nobis liceat occupare injuriam illaturum. Idem.

Cap. 8. *Exercitum alere*] Vide Paradoxum VI. Plinius in lib. XXXIII. cap. 10. legionem dicit, non exercitum. Fac.

Leviora, &c.] Id non gratis monet. Stoici enim volebant, omnia injustitiæ genera esse æqualia. Idem.

Cap. 9. *Aut etiam negligentia, pigritia, inertia*] Hæc addita, ut opinor, margini fuerant ad eos significandos, qui laborem suscipere nolunt: unde in contextum irrepsere ad constructionem turbandam. Quis enim dixerit *impediri negligentia aut inertia?* Idem.

Itaque videndum] Lege *Atqui*. Sic in Tuscul. II. cap. 18. atqui vide ne, &c. *Videndum* autem ponitur pro verendum. Idem.

In philosophos dictum] *In philosophos: in*, ad laudem spectat, ut I. de Legib. *Quod item ad contrariam laudem in virtutem dici potest.* Et III. de Divin. *Dilexit municipem tuum Rustium, in quem etiam illud est ejus*, &c. Et in Bruto, *in legem Cæpionis.* Locus est apud Platonem in VI. de Rep. sed optime explicatur in III. de Finibus a Catone, cur dialectica et physica virtutum appellatione veniant apud Stoicos. Car. Lang.

Quod in veri investigatione versentur] Epicuri dogma fuit sapientem οὐ πολιτεύεσθαι non accedere ad rempublicam. Quam sententiam exagitat Cic. Orat. pro Sextio, cap. 10. Græv.

Nam alterum justitiæ genus *assequuntur...in alterum incidunt*] Non video quid significent hæc verba *in alterum incidunt.* Num Cicero hoc vult, *in alterum* injustitiæ genus *incidunt?* Ita quidem nonnulli ediderunt: sed cum in prima sententiæ parte Noster dixerat *alterum justitiæ genus assequuntur*, hoc posterius *alterum* non potest esse genus injustitiæ. Num igitur Cicero hoc vult, *in alterum* justitiæ genus *incidunt?* at inde exurget sensus quovis scriptore, ne dicam Cicerone, prorsus indignus; cum nihil aliud contineat postrema pars sententiæ quam in prima diceretur. Adde quod huic sensui omnino se opponunt sequentia verba *discendi enim studio impediti*, &c. His rationibus adductus lector, cum vulgatam lectionem rejiciendam esse viderit, Langii conjecturam fortasse probabit, qui legit *in alterum* non *incidunt*, id est, in alterum justitiæ genus: quamvis enim incidere in *vitia* usitatius, quam in *virtutes*, Latine dicatur, tamen non desunt exempla, quæ probant, Latine dici *in virtutes incidere:* ut in II. 21. de Orat. *Omnino in illud genus eum Crassi magnificum atque præclarum natura ipsa ducebat: sed ea non satis proficere potuisset, nisi eodem studio atque imitatione* incidisset. Si cui tamen Langii conjectura, quæ nullo Ms. se defendit, non arrideat, videat an non alia aggrediendum sit via. Cum Ms. Cant. omittit vocem *justitiæ* in priore parte sententiæ, male equidem (hoc et sequenti verbo omisso) sic legere, *Nam, dum alterum assequuntur, inferenda ne cui noceant injuria, in alterum incidunt. Discendi enim*, &c. In hac lectione, ut posterior vox *alterum* respicit ad sequentia *discendi enim studio impediti*, &c. ita prior ad ea quæ ipsam proxime sequuntur, *inferenda ne cui noceant injuria.* Quod cum ignorabant librarii, videntur verba *justitiæ genus* inter lineas, interpretamenti loco, collocasse, ansamque dedisse aliis ea postea in textum inserendi. Pearc.

Non accessuros quidam] Epicureis, qui aiebant, ut est in oratione pro Sextio cap. 10. *remp. capessere hominem bene sanum non oportere.* Si Platonici idem sentiebant, legendum est, *ne accessuros quidem.* Fac.

Ne facere cuiquam videantur] Lego, *nec facere.* Passer.

Humani nihil a se alienum putat] Putat ad se suamque curam pertinere aliorum hominum curas, molestias, negotia. Sic hunc versum intelligendum esse, non solum ex ipso Comico patet, et hoc Ciceronis loco, sed ex alio Tullii, et ex Seneca. In primo de Leg. c. 12. inquit ille: *Quod si,*

quo modo est natura, sic judicio homines, humani, ut ait poeta, nihil a se alienum putarent, coleretur jus æque ab omnibus. Et Seneca ep. 95. *Iste versus in ore et in pectore sit:* Homo sum, humani nihil a me alienum puto. *Habeamus in commune quod nati sumus. Societas nostra lapidum fornicationi simillima est, quæ casura, nisi invicem obstarent, hoc ipso sustinetur.* Quam inepta vulgo sententia huic versui affingatur, hinc licet videre. GRÆV.

Quod dubites] Vide de hoc loco et dubiis casibus pulchre disputantem Hug. Grotium II. de Jure Belli et Pacis cap. 23. §. 1. 2. et seq. et ejusdem libri cap. 24. §. 4. IDEM.

Cap. 10. *Sed incidunt sæpe tempora*] Tale tempus illud erat, quo Cato ipse suadebat civibus esse pecuniam contra leges ambitus dandam, ne Lucceius cum Cæsare crearetur consul. Vide Sueton. in Jul. cap. 19. et quæ ibi notat Casaubonus. Tale fuit tempus cum Cicero judicaret in equestris ordinis vitiis connivendum esse, postulante id illorum temporum ratione, contra Catonis sententiam, quæ id quidem quod justum erat, statuerat, sed quod propter temporum rationem noxium reip. erat. De quibus Cic. II. ad Att. I. *Catonem nostrum non tu amas plus, quam ego. Sed tamen ille optimo animo utens, et summa fide, nocet interdum reipublicæ; dicit enim tanquam in Platonis πολιτείᾳ, non tanquam in Romuli fæce, sententiam.* IDEM.

Reddere depositum, promissum facere] Lamb. *ut non reddere depositum, etiam promissum non facere.*

Promissum facere] Vide Hug. Grot. II. de Jure Belli et Pacis cap. 11. ubi disserit de promissis. IDEM.

Referri enim decet] Pro *decet* fortasse legendum *debent:* Scilicet promissa omnia revocari debent ad illa duo Justitiæ fundamenta, et ex iis dijudicari. FACC.

Potest enim accidere, &c.] Libenter transferrem particulam *ut*, atque ita legerem: *Potest enim accidere, ut promissum aliquod et conventum effici,* &c. Ita puto scriptum a Cicerone fuisse. Quis enim ita loquatur: Accidit lex aliqua, ut eam servari sit inutile? IDEM.

Ex tribus enim optatis] Vide Meursii de Theseo librum, cap. 1.

Quæ sint iis quibus promiseris, inutilia] Hæc vero debent pendere non a judicio promissoris, sed ejus cui promissum est. Vide Grot. lib. II. de Jure Belli et Pacis, cap. 11. GRÆV.

Cui promiseris. Contra officium est, majus non *anteponi minori*] Ita vulgo legimus, quamvis particula negativa *non* absit ab omnibus Mss. si excipias Pal. primum, et unum Grævianum. Sed Lambino assentior, qui olim monuit locum sic mutata interpunctione legendum esse, *nec, si plus tibi noceant quam illi prosint cui promiseris, contra officium est majus anteponi minori.* Constructio est, *nec contra officium est,* &c. PEARC.

Si constitueris te cuipiam advocatum in rem præsentem venturum] Proprie dicitur cum judex seu arbiter in locum, de quo controversia est, venit. Cic. pro Cæcin. *Placuit Cæcinæ de amicorum sententia constituere, quo die in rem præsentem venirent.* De re ipsa vide Senecam IV. de Benef. cap. 35. GRÆV.

Jure prætorio liberantur] Per prætores in integrum restituuntur. Jus prætorium et leges opponuntur. Leges enim proprie Romanis dicebantur, quæ suffragiis populi ferebantur. Jus prætorium est quod dicitur l. 2. ff. de Orig. Jur. et l. 7. de Instit. et Jure *jus honoratum*, quia prætor, qui jus dicebat inter cives, *honorarius* dicebatur. Nihil autem erat jus prætorium, quam edicta prætorum. Quilibet prætor cum iniret magistratum, proponebat edictum, ex edictis decessorum suorum in id transferens (hinc vocatur etiam *jus translatitium*) quod justum et æquum putabat, nova etiam interponebat, veteribus repudiatis. Cæterum de promissis, quibus dolo deceptus se obstrinxit, vide Grot. II. de Jure Belli et Pacis cap.

11. §. 7. et cap. 17. §. 17. Græviu*s*.

Nonnulla legibus] Quærunt viri docti, quæ sint illæ leges de dolo, cum quæ in codicibus legum Romanarum leguntur, diu sint post Ciceronem latæ. Sed Cicero ipse docet lib. III. quas hic leges significet: *Iste*, inquit, *dolus malus etiam legibus erat vindicatus, ut tutela* XII. *tabulis et circumscriptio adolescentium lege Lætoria, et sine lege judiciis, in quibus ex fide bona agitur.* Et lib. III. de Nat. Deor. *Inde judicium publicum rei privatæ lege Lætoria: inde everriculum malitiarum omnium judicium de dolo malo, quod C. Aquilius familiaris noster protulit.* Græv.

Calumnia quadam] De calumnia, sive malitiosa juris interpretatione, vid. Hug. Grotium lib. II. de Jure Belli et Pacis cap. 16. Idem.

Ne appetenter] Ita legendum, si Cicero qui toties de humanis cupiditatibus loquitur, adverbium hoc alias usurpasset. Sed non est, opinor, antiquius ætate Apuleii. Legere malim, *nec appeterent*. Est enim *appeto* quasi immoderate peto. Facc.

Sicut ipsi dixerant] Quid et ubi dixerant? Illi sane non dixerant, ibi ponendos esse terminos, quo Labeo post posuit. Lege cum Pithæano, *sicut ipsi discesserant*. Nimirum quo utrique recesserunt. Græv.

Cap. 11. *Posthac*] Alii addunt *committat:* quod non est necesse. Non putat Cicero, satis esse eum, qui læserit, pœnitere, ut et ipse posthac abstineat, et alii ab injuria deterreantur. Locum hunc Guntherus de Latin. rest. c. 118. affirmantis esse scribit. Facc.

Non immanes] Alii omittunt has duas voces. Idem.

Sed credo aliquid secutos] Excusat M. Tullius majores, qui ut Corinthum exscinderent, non crudelitate sint adducti, sed aliam aliquam rationem secuti sint, et maxime opportunitatem loci. Fabr.

Quamvis murum aries percusserit] Dicit Cicero ex militari lege, qua, ubi mœnia quati ariete cœperunt, oppidani in deditionem fidemque non recipiebantur. Id et e Cicerone et e Commentariis Cæsaris cognoscimus, in quorum libro II. Bell. Gall. sic scribitur, *Cæsar Aduaticis denuntiat se eorum civitatem conservaturum, si priusquam aries murum attigisset, se dedidissent.* Turn. Advers. XXVI. 32. Vide Grot. III. de Jure Belli et Pacis, cap. 11. §. 14.

Rebus repetitis geratur] Rerum repetitarum nomine jus feciale comprehendebat non tantum vindicationem ex jure dominii, sed et persecutionem ejus, quod ex causa civili aut criminis debetur, ut recte explicat Servius. Inde illud in formulis, *reddi, satisfieri, dedi*, ubi dedi intelligendum est, ni punire fontem malint ipsi, qui conveniuntur. Hanc rerum repetitionem dictam esse clarigationem testis est Plinius. H. Grotius, de Jure Belli et Pacis, lib. III. cap. 3.

Pompilius imperator] Langius edidit *Popilius*, et scribit, hunc esse M. Popilium Lænatem, qui cos. anno urbis dxxv. Liguriam obtinuit, ac rem prospere illic gessit; de quo Livius, lib. XLII. Balduinus quoque ex scripto codice legit, *Popilium:* sed C. Popilium Lænatem intelligit, qui anno proximo post Marcum consul fuit. Verum quia non solum in libris impressis, sed et manuscriptis permultis, *Pompilius* legitur: et Plutarchus in vita Catonis Censorii scribit, ejus filium cum Paulo Æmilio militasse, Paulo Manutio, pro, *Pompilius*, legendum videtur, Paulus Æmilius. Fabr. *Pompilii* nomen, quod bis hic legitur, tanquam imperatoris, qui bello Persico Macedoniam tenuerit, Langius et Schottus mutatum volunt in *Pauli Æmilii:* quamvis ego, ut vere dicam, istic potius *Hostilii* nomen reposuerim, qui eo bello et in ea provincia imperator fuit, et in primis collapsam in exercitu disciplinam restituit: quam ad rem pertinere queat, quod a Cicerone (de Offic. I. 11.) dicitur unam dimisisse

legionem. Perizonius. *Animadv. Histor.* cap. 10.

Adeo summa erat observatio, &c.] Inepta exclamatio, ex margine traducta, ut alii quoque opinati sunt. Facc.

Persico bello] *Perseo* Wolfius mavult, quod significetur bellum, non cum Persis, sed cum Perseo rege Macedonum gesto. Verum hoc etiam bellum Romani Persicum appellarunt, quod non solum hic omnes libri Ciceronis, sed et Fasti Capitolini convincunt: in quibus post consulatum C. Popilii Lænatis, et P. Ailii Liguris subscriptum invenitur, *Bellum Persicum*. Fr. Fabr.

Negat enim jus esse, qui miles non sit pugnare cum hoste] Hoc Plutarchus pluribus explicat in Problematibus, ex quo intelligimus nefas fuisse hostem feriri ab alio, quam qui sacramento militari dixisset: qui secus fecisset, eum cædis reum visum fuisse. Vide Grot. lib. II. cap. 25. §. 9. 10. Græv.

Cap. 12. *Aut status dies cum hoste*] Festus: *Status dies vocatur, qui judicii causa est constitutus cum hoste, id est, peregrino*, &c. Idem.

Adversus hostem æterna auctoritas] Adversus peregrinum semper civi Romano salvum manet jus dominii: peregrinus nihil quod est civis Romani potest usucapere. Auctoritas hic est jus dominii, ut in lege XII. Tab. *Usus auctoritas fundi biennium esto*, &c. Idem.

Nec cauponantes, &c.] Cum in vulgatis editionibus post præcedens verbum *dederitis* ponatur comma, et post *belligerantes* in hoc versu colon, vox *cauponantes* suam propriam vim habere non videtur: *cauponari* enim dicuntur ii, qui cum lucro vendunt, non qui pretium offerentes emunt: hoc vero posterius solum Romanis competit, de quibus Pyrrhus loquitur, et qui pretium isti regi pro reddendis captivis obtulerint. Hac ratione adductus Cl. Rich. Bentleius sic legendum esse locum censuit,

> *Non mi aurum posco, nec mi pretium dederitis*
> Non cauponanti *bellum, sed* belligeranti.

Sed conjectura ista non opus erit, si sequamur interpunctionem Victorii et aliorum veterum editorum, qui habent,

> *Non mi aurum posco, nec mi pretium dederitis:*
> *Nec cauponantes bellum, sed belligerantes.*
> Ferro, *non auro, vitam cernamus utrique.*

Sic enim interpungendo vox *cauponantes* referri potest ad vocem *utrique*, quæ etiam Pyrrhum significat, a quo Romani, ut cum lucro captivos venderet, postulabant. Pearc.

Vitam cernamus] *Vitam cernere* locutione quadam prisca dictum crediderim, minimeque obvia. In Medea eodem genere orationis usus fuerat,

> *Nam ter sub armis malim vitam cernere,*

Quam semel parere. Quod Euripides in Medea dixit, ὡς τρὶς ἂν παρ' ἀσπίδα στῆναι θέλοιμ' ἂν μᾶλλον, ἢ τέκειν ἅπαξ. Hic cernere vitam, est dimicare, pugnare. Id enim *cernere* Latinis est, quod Græcis κρίνεσθαι. Cernit autem vitam, qui eam constituit in dimicationem et discrimen adducere. Turn. Advers. XXVI. 32.

Vosne velit] Hoc est, Vosne velit regnare, an me, hera fors, sive domina fortuna, quidve ferat illa, quem successum sit habitura res. Cæterum versus Ennii in editione Gruteri sunt turbati pessime. Græv.

Hera, quidve ferat sors] Sors domina rerum. *Hera* porro frequenter fortuna dicitur, quamvis et aliis Diis nomen hoc interdum tribuatur. Fac.

Cap. 13. *Si quid singuli, temporibus adducti, hosti promiserint, est in eo ipso fides conservanda*] Hæc in primis illustrat H. Grot. III. de Jure Belli et Pacis, cap. 23. Græv.

Fidem hosti datam fallere] Post hæc verba Lambinus et Gruterus addunt: *Secundo autem Punico bello, post Cannensem pugnam, quos decem Hannibal Romam adstrictos misit ju-*

rejurando se redituros esse, nisi de redimendis iis, qui capti erant, impetrassent: eos omnes censores, quoad quisque eorum vixit, qui pejerassent, in ærariis reliquerunt: nec minus illum, qui jurisjurandi fraude culpam invenerat. Cum enim Hannibalis permissu exisset de castris, rediit paulo post, quod se oblitum nescio quid diceret. Deinde egressus e castris jurejurando se solutum putabat; et erat verbis, re non erat. Semper autem in fide, quid senseris, non quid dixeris, cogitandum. Maximum autem exemplum est justitiæ in hostem a majoribus nostris constitutum. Cum a Pyrrho perfuga senatui est pollicitus, se venenum regi daturum, et eum necaturum: senatus, et C. Fabricius perfugam Pyrrho dedit. Ita ne hostis quidem, et potentis, et bellum ultro inferentis, interitum cum scelere approbavit. Quæ omittunt Victorius et Manutius: reperit in unico exemplari Langius. *An Ciceronis sint,* inquit, *non contendo: referuntur infra fere eadem.* lib. III. cap. 22. et 32.

Cap. 14. *Cuipiam*] Legendum fortasse *quippiam:* vel *cui*, quod proxime sequitur, vertendum est in *cum:* et *obsit* in *obsint.* Fac.

Cap. 15. *In quibus præclare agitur*] Ordo et sententia verborum perspicua est, nempe hæc, Vivitur cum iis hominibus, in quibus si insunt simulacra virtutis, præclare agitur. Cui simile est illud ad Plancium ep. 14. lib. IV. ad Fam. *Agiturque præclare, si nosmetipsos regere possimus,* Quibus in locis, *Præclare agitur,* absolute dicitur: quod qui non attenderunt, ii contra libros antiquos legendum putant, *Cum quibus præclare agitur:* in qua sententia video esse Erasmum, Balduinum, Nannium, et alios. Fabricius.

Nec sapiente] Langio duo hæc verba temere adjuncta videntur. Fac.

Vel morbo in omnes, vel repentino] Ita Gruterus et Grævius, qui *morbum* interpretantur animi vitium. Ego Victorium reliquosque veteres editores sequor, quibus assentiuntur omnes fere Mss. Sensus est, Vel nullum habent delectum eorum quibus dant; dant igitur *sine judicio:* vel, si delectum habeant, mediocritatem in dando non servant, dant igitur *sine modo.* De hoc vero satis. In sequentibus vulgo legimus *in omnes,* vel *repentino quodam, quasi vento, impetu animi incitati.* Sed cum istud *vel* ante *repentino* sensum loci turbet, absitque a Ms. Cant. hac auctoritate sic totum locum reformandum esse censeo, *Multi enim faciunt multa temeritate quadam, sine judicio vel modo, in omnes repentino quodam (quasi vento) impetu animi incitati.* Voces *in omnes* pendent a participio *incitati,* ut sit *incitati in omnes* idem quod incitati erga omnes, seu propenso in omnes animo. Cui simile est istud Trebonii in Ciceronis epist. ad Fam. XII. 16. *Ne putes in Asia feriatum illum ab iis studiis,* in quæ *tua cohortatione incitatur, futurum.* Pearc.

Cap. 16. *Est enim primum*] Quid hoc latini sermonis est? legendum, *Est autem primum, quod cernitur, in universi generis humani societate vinculum, ratio et oratio.* Fac.

E quibus ipsis] Hæc verba tollenda arbitror. Fac.

Cap. 17. *Deinde una domus*] Quæ constructio est hæc? pro *deinde* lege *unde.* Fac.

Quod Pythagoras vult in amicitia, ut] Lamb. *quod Pythagoras ultimum in amicitia putavit, ut*

Estque ea jucundissima] Facile apparet, membrum hoc additum fuisse ex monito margini adscripto: nam et supervacuum est, cum idem bis dixerit; nec facit ad locum hunc, ubi agitur, non de jucunditate amicitiæ, sed de Officiis amico tribuendis. Fac.

Cap. 18. *Quid quisque vel sine nobis,* &c.] Otiosa hic, ne dicam inepta et molesta, videtur ista conjunctio *vel,* quæ bene abest a Ms. primo Grævii. In quibusdam Mss. legitur, *quid quisque* nobiscum *vel sine nobis,* &c. Unde conjicio, in aliis Mss. exstitisse quondam solum *quid quisque nobiscum,* in aliis rectius *quid quisque*

sine nobis: istud vero *vel* puto positum fuisse olim inter lineas, ut ostenderet duplicem fuisse hujus loci lectionem, *nobiscum*, vel *sine nobis*. Pearc.

Et consuetudo exercitatioque capienda] Verba hæc, nisi fallor, adscripta margini fuerant, ad innuendum quod est in periodo proxima, ut fieri videmus in multis codicibus. Fac.

Ex quo aptum est officium] *Aptum* a verbo *apiscor:* quo Lucretius, Manilius, et JCti usi sunt. Ex quo *adipiscor* est compositum, et *indipiscor*. Pacuvius Hermiona: *Quod ego in acie celebri objectans vitam bellando aptus sum.* Cicero *aptus* capit pro eo quod vulgo dicimus, adaptatus, compositus, exornatus: ut de Finibus II. *Aptum ex tribus illis*, et alibi persæpe. Car. Langius.

Vos etenim juvenes] Versus est Ennianus, in quo juvenes Romanos accusat poëta, quod a Clœlia virgine superarentur, quæ cum Porsennæ data esset obses, trajecto Tiberi, Romam est reversa. Anon.

Salmaci] Salmacis, inquit Sextus Pompeius, nympha, Cœli et Terræ filia, fertur causa fontis Halicarnassi aquæ appellandæ fuisse Salmacidis: quam qui bibisset, vitio impudicitiæ mollesceret, ob eam rem, quod ejus aditus angustatus parietibus, occasionem largitur juvenibus petulantibus, puerorum puellarumque violandarum, quia non patet effugium. Inde Ennius, *Salmaci, da spolia*, &c. Hæc Pompeius. Sic itaque Ennius fontem alloquens, juvenes arguit ignaviæ, qui veluti spoliis hosti detractis, erepta alicui virgini gaudent pudicitia. Erit igitur *Salmaci* vocandi casus, O Salmaci, tu das spolia sine sudore, &c. Maturantius.

Nescio quomodo quasi pleniore ore laudamus] Magnum enim videtur in publico civitatis metu ac trepidatione, irruenti sese hostium agmini opponere, non tubarum sonum, non lituorum clangorem, non equorum hinnitum, non armorum fulgorem, non avida sanguinis tela, non crebris tinctos cædibus gladios extimescere, ire immo obviam omnibus, et periculum ab aliis præsenti vitæ suæ periculo depellere, pro aris et focis, pro templis et mœnibus, pro salute ac libertate communi, ictus, vulnera, mortem denique, si res ferat, non excipere tantum, verum etiam ultro appetere. Hæc qui præstiterunt in omni ætate, apud omnes populos clari, illustres, honorati fuerunt. Illis ovationes, supplicationes, triumphi, illis statuæ, arcus, tropæa, illis monumenta publica, illis denique omnia singularia, et divinis honoribus proxima ornamenta decreta sunt, qualia aut nunquam, aut perraro temperantiæ, liberalitati, justitiæ tributa legimus. Muret.

Cap. 19. *Ex media laude justitiæ*] Id est ex ipso Justitiæ fundo: qua ratione alibi, *ex medio jure civili*, *ex media philosophia*, *ex mediis C. Cæsaris partibus.* Heusinger vocem *medius* sumit pro vulgari. Facc.

Omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum esse cupiditate vincendi] Vetus codex habet, *omnem vim Lacedæmoniorum inflammatam*, sed repugnant Platonis verba ex Lachete, sive περὶ ἀνδρείας, unde Tulliana translata sunt: Λακεδαιμονίους, οἷς οὐδὲν ἄλλο μέλει ἐν τῷ βίῳ, ἢ τοῦτο ζητεῖν καὶ ἐπιτηδεύειν, ὅ, τι ἂν μαθόντες καὶ ἐπιτηδεύσαντες, πλεονεκτοῖεν τῶν ἄλλων περὶ τὸν πόλεμον. Ursin.

Et gloriæ cupido] Ita Victorius, et Manutius; sed *cupidissimo* Lambinus, et *cupiditate* Gruterus, quem Grævius sequitur. Jam vero criticum audiamus unum et alterum. *Viderunt jam plures*, cupiditate *hoc loco vitiose scriptum esse. Neque vero cum iis sentire possum, qui legunt* cupido, *vel* cupidissimo. *Hoc enim longius a vulgata scriptura recedit. Lego, quod proxime ad eam accedit*, cupidiore, *id quod facile corruptum fuit in* cupiditate. *Idcirco autem illud amplector libentius, quod ipsa dicti sententia confirmatur.* Christoph. August. Heumannus, in Parergis Criticis. *Scripserat, opinor, Cicero:* Facillime autem ad res injustas impellitur, ut

quisque altissimo animo est, gloriæ cupiditate. *Constructio est:* Ut quisque est altissimo animo, facillime impellitur ad res injustas cupiditate gloriæ. *Huic meæ conjecturæ* ansam dedit Ms. Mead. *qui omittit verbum* est *ante vocem* altissimo. PEARC.

Cap. 20. *Videnda*] Man. Lamb. *vitanda sunt;*

Eripit enim libertatem] Si, qui uni domino paret, servus est: quid eum putamus, qui multitudini servire cogitur? qui dignos, indignos, nobiles, abjectos, notos, ignotos salutare, appellare, prensare, eorum omnium vultus, nutus, gestus observare necesse habet, eisque sæpenumero servilem in modum blandiri, atque adulari, quos, si eo morbo careret, ne congressu quidem satis dignos suo duceret? MURET.

Aut non accipienda] Ut Timoleon regnum Corinthi. *C. Nepos, vit. Timol.* Q. Fabius et T. Manlius Torquatus consulatum. *Liv.* X. 11. et XXVI. 22. Scipio Africanus regnum Hispaniæ. *Liv.* XXVII. 21. J. FR. GRON.

Affert] Man. Lamb. *afferat.*

Tranquillitatem expetentes a negotiis publicis se removerint] Sollicito enim atque anxio animo vivere necesse est, qui, cum multitudinis ingenia tam varia, tamque multiplicia sint, satagit tamen et laborat, ut apud omnes gratiosus sit, ut se omnibus probet ac venditet, et in levissimam etiam levissimorum hominum offensionem incurrere mortis instar putat? Hunc sordibus, illum cultu ne offendat veretur: huic ne nimis severus, illi ne nimium dissolutus videatur timet: hunc muneribus, illum fictis laudibus inescare studet: omnium stultitiam ferre, omnium ineptias devorare cogitur: nunquam apertus, nunquam simplex, nunquam suavis: ut aliquando omnibus imperare possit, omnibus interea servit. Quæ vero stultitia est incertam potentiam certa servitute mercari? MURET.

In his et nobilissimi philosophi] Ut Socrates, Plato, Aristoteles, Epicurus cum suis sectatoribus, qui negabant sapientem ad remp. accedere. Vide Gassendum ad Diog. Laert. de philosophia morali Epicuri. GRÆV.

Cap. 21. *Concedendum sit*] Id est assentiendum. Quid si legas, *parcendum sit?* Proxime enim sequitur *concederent:* nec solet Cicero verborum inopia laborare. FAC.

Cap. 22. *Quo primum constituit Areopagitas*]. Petrus Victorius in Variis lectionibus lib. VI. cap. 5. hæc verba sic accepit, quasi Cicero velit, Solonem Areopagi consilium primum instituisse. Quod si esset, non solum ab Aristotele, verum etiam ab Eusebio, Apollodoro, Pausania, et Demosthene ipso dissentiret. Verum non est ita. Sed cum Eusebius scribat, Cecropem primum, qui urbem Athenarum condidit, Areopagum instituisse, atque ab urbe condita usque ad annum tertium Olympiadis XLVI. quo Solo archon et legislator creatus novis legibus rempublicam Atheniensium temperavit, anni fere CCCLV. numerentur: dubium non est, quin tam longo tempore hoc consilium labefactatum, et Areopagitarum auctoritas imminuta fuerit, quam Solo restituit, et consilium ipsum constituit. Sic in Bruto, *leges et judicia constituta dicit,* non quæ tum primum instituta fuerunt, sed quæ bello civili ac tumultu labefactata et intermissa, eo tempore repetita et revocata κατάστασιν ἔλαβον. FAB.

Imperium Lacedæmoniis *dilatatum*] Ita vulgo legitur, cum tamen hæc lectio doctis non parum displicuerit. Pro *dilatatum* Lambinus legebat *partum,* Gronov. pater *datum,* Gronov. filius *delatum,* id est, comparatum. Ego vero Victorium sequendum esse puto, qui edidit *imperium* Lacedæmoniis *dilatatum.* Vox *dilatatum* locum, non tempus, hic respicere videtur: et sensus est: Eorum rebus gestis imperium Lacedæmonis sive Spartæ creditur fuisse ita auctum et amplificatum, ut non suis solum civibus, sed etiam aliis quibusdam Græciæ civitatibus ipsa imperaret. PEARC.

Concedat laurea linguæ] Linguam dixit pro eloquentia. Ita enim legerunt Sallustius, sive Porcius Latro, vel quisquis auctor invectivæ in Ciceronem, Quinctilian. lib. II. 1. et Plutarchus in Cicerone. Non tamen repugnem si quis *laudi* potius cum F. Ursino, et Fr. Polleto legere malit, quam *linguæ* cum Victorio et Lambino: tum quia elegantior est ἀντίθεσις, ut forensia conferantur cum castrensibus, et amborum præmia inter sese: (nam armorum præmium laurea est, togæ sive forensium actionum laus et gloria) tum quia optimi et laudatissimi codices *laudi* habent: tum quia Cicero studuisse videtur syllabarum antanaclasi, unde illud ejusdem:

O fortunatam natam me consule Romam!

Tum quia Tullius ipse comprobare videtur, cum in orat. in Pisonem ubi hujus versus hemistichium primum est interpretatus, subjicit: *Nam cum tu timidus ac tremens tuis ipse furacissimis manibus detractam e cruentis fascibus lauream ad portam Esquilinam abjecisti, indicasti, non modo amplissimæ, sed etiam minimæ laudi lauream concessisse.* G. J. Vossius.

Nec majus otium] *Majus otium,* in omnibus antiquis libris reperio, et notavit etiam Pet. Victorius, Var. Lect. VII. 13. Periculosissimæ enim conspirationes, dum in utramque aurem dormitatur; maxime vero, id quod hic evenit, populo velut respirante a longis bellis civilibus, armisque quodam modo projectis: id quod in Ilii excidio Homerus expressit. Otium enim non tam cessationem significat, quam securitatem quandam. Terent. in And. et alibi sæpe. Langius.

Cap. 23. *Honestum autem*] Totum hoc membrum alia expressum forma monitum erat margini appositum. Facc.

Bellum tertium Punicum] De quo Florus lib. 2. cap. 15. Susceptum dicitur auctoritate Catonis, quia cum viveret, delendam esse Carthaginem, etiam cum de alio consuleretur, pronunciabat. Porro post vocem *Catonis* quidam codices addunt *consilio.* Mortuus est Cato ante triennium, quam Carthago deleretur, L. Censorino, et M. Manlio Coss. ut est apud Paterculum l. I. c. 13. Idem.

Cap. 24. *Rebus agitatis*] Vult Cicero, virum magnum non temere ad puniendum ruere, sed expensa demum et animo diligenter volutata causa. Nam hoc est agitare: a quo cogitare, quasi coagitare, ut a coago, cogo. Sallust. in Jugur. *Quæ cum præcepta parentis mei agitarem.* Et paulo post: *Nam callidus id modo festinabat, Bocchi pacem imminuere, ne mox agitando, aliud quam bellum mallet.* Sic Cic. cap. 2. de Finibus, et alibi. Lang.

Addubitata] *Addubitata,* est propter spem incerti exitus omissa. Quod hic Cicero docet, præstitit Alexander Magnus, cujus valetudo cum esset conclamata, et solus medicus Philippus, quem cavendum tanquam suspectæ fidei, et corruptum a Dario, monuerat eodem tempore Parmenio, remedium ei offerret, *tutius est ratus dubiæ se fidei medico credere, quam indubitato morbo perire:* auctore Justino XI. 9. De re ipsa pulchre multa præcipit Grotius II. de Jure Belli et Pacis cap. 24. § 5. Græv.

Ab Arginussis] Vide de hoc prælio Diod. Sic. lib. XV. Idem.

Nec cum] Olivetus legit *ne dum,* quasi vero ratio reddatur membro hoc membri superioris. Sed mihi videtur battologia quædam, si dicas, omnes reipublicæ partes cura, ne, dum unam curas, reliquas deseras. Itaque reponendum *nec,* ut sensus idem continuetur majore quadam explicatione. Fac.

Cap. 25. *Ut enim tutela*] Constituitur enim tutor in rem pupilli, et ut ejus serviat rationibus. Hinc in suam rem auctor fieri tutor prohibetur. *l.* 1. *pr. ff. de auct. et cons. tut.* Neque lucrum facere ex tutela quisquam debet, *l.* 58. *pr. ff. de adm. et peric. tut.* Neque in hoc administran-

tur tutelæ, ut mergantur pupilli, *l. 3. pr. ff. contr. tut. act.* Quæ aliæque similes juris regulæ etiam religiosius in reip. administratione sunt observandæ. Rach.

Dum ea conservet] Quamvis in gravis offensionis periculum incidat. In his verbis est quidem sensus, sed non ita planus. Legere malim *ut eam conservet*. Al. *ut, dum eam conservet, quamvis*, &c. Sed ita quidem locum non habet adverbium *graviter*, ut facile intelliget, qui habet latinas aures. Fabc.

Ea] Vict. Man. *eam*.

Quamvis] Vict. Lamb. *quemvis*.

Miserrima est omnino ambitio] Miserrimam esse ambitionem ex eo intelligi potest, quod, quæ duæ res in vita plurimum habent suavitatis, et sapientissimo cuique in prima commendatione semper fuerunt, iis utrisque ambitio spoliat suos, libertate, et tranquillitate animi. Vide de utroque superius ad c. 20. Muret.

Similiter facere eos, qui inter se contenderent] Plato VI. de Rep. comparatione quadam utentem Socratem facit, qua doceat, cur veri philosophi, cum ad regendas civitates omnium aptissimi sint, aut soli potius apti, vulgo tamen ad id munus obeundum uni ex omnibus minime apti videantur. Ait autem id ex eo evenire, quod in civitatibus, ut quisque quo jure, quaque injuria deturbare alios ab honoribus et imperiis, eaque ipse arripere atque occupare maxime potest, ita maxime navus et industrius, et ad res gerendas idoneus haberi solet; cum veri philosophi, qui ab omni ambitione sunt remotissimi, quia nihil unquam tale conantur, sed in studiis cognitionis et scientiæ acquiescunt, ignavi et desides, et ab administratione reipublicæ alieni existimentur. Idem autem eventurum ait homini gubernandæ navis perito, et intelligenti, si ea versetur in navi, in qua vectores ita insaniant, ut inter se contendant, quis potissimum gubernare debeat, et ut quisque depellere alios a gubernaculis, eaque ipse occupare potuerit, ita eum plurimi faciant, eique navis gubernandæ curam optime committi putent. Idem.

Qui suo judicio tueri rempub. velint] Longe aliud est judicio et sententia, aliud voluntate atque animo dissidere. Nam etiam in sententiarum dissimilitudine ac discrepantia, animorum tamen conjunctio servari potest: neque unquam boni viri quenquam quod a se dissentiret, propterea in inimici loco habendum existimarunt. Evertendam Carthaginem Cato, conservandam Scipio Nasica censebat. Num igitur eos inimico inter se fuisse animo credimus? Stultorum et imperitorum ista consuetudo est: qui, quoniam, ut ait Comicus, nisi quod ipsi faciunt, nihil recte fieri putant, idcirco a se ne levissimis quidem in rebus dissentientes ferunt. Fabric.

Qualis fuit inter P. Africanum et Q. Metellum] Africanum minorem dicit, et Q. Metellum Macedonicum, summos viros, de quorum dissensione ita in Lælio: *Ab amicitia Q. Pompeii meo nomine se removerat, ut scitis, Scipio: propter dissensionem autem, quæ erat in republica alienatus est a collega nostro Metello. Utrumque egit graviter auctoritate et offensione non acerba.* Vide et Valer IV. 1. et Plin. VII. 44. Idem.

Exercenda etiam est facilitas] Qui liberos populos regunt, jurique dicendo præsunt, perpetuo cogitare debent, se in illo honoris, ac dignitatis gradu constitutos esse, ut omnium querelas patienter audiant, ut omnium jura cognoscant, ut lites dijudicent, ac componant, ut suum cuique tribuant. Itaque faciles omnibus aditus ad eos esse debent: neque ulla esse occupatio tanta, quæ eos impediat ab iis, qui querelas suas ad eos perferre volunt, audiendis. Qua de re ita Cic. in oratione pro Murena. *Sapiens prætor offensionem vitat æquabilitate decernendi, benevolentiam adjungit lenitate audiendi.* Et in Epist. ad Q. Fratrem: *Adjungenda etiam est facilitas in audiendo, le-*

nitas in decernendo, in satisfaciendo ac disputando diligentia. Et alibi in eadem epistola admonet eum, ut se facilem in rebus cognoscendis, in hominibus audiendis admittendisque præbeat. Scitum est quod de Philippo, Alexandri Magni patre, traditur, a quo cum peteret anicula quædam, ut causam quandam suam cognosceret: negassetque ille sibi vacare: *Ne vacet igitur*, inquit illa, *regnare, si non vacat audire.* Etsi autem qui ad eos adeunt, tempus ad eam rem opportunum captare debent, si quis tamen aut rusticitate, aut cogente necessitate, aut casu aliquo, parum in tempore ad eos venerit, non est iracunde ac superbè rejiciendus, ac repellendus: sed aut audiendus sic quoque, si fieri potest: aut certe placide ac leniter commonefaciendus, ut tempus aliud commodius capiat: esse alios quoque, quibus consulendum sit: et æquum esse ipsis quoque rectoribus aliquam diei partem ad curanda corpora, et ad animi quietem, relaxationemque concedi. Eademque comitas adhibenda est adversus eos quoque, qui quædam interdum parum prudenter rogant: ut non aspere cum eis agamus, neque eos acerbe, ac contumeliose repellamus: sed efficiamus, ut ipsi intelligant, planeque videant inverecundam esse petitionem suam, neque, sibi nos, salva ratione officii, obsequi posse. Valde amicus erat Themistocli poeta Simonides. Cum igitur in magistratu esset Themistocles, et Simonides fretus ea, quæ sibi cum illo erat, familiaritate, injustum quiddam ab eo peteret: *Neque tu*, inquit Themistocles, *bonus poeta fueris, neque ego bonus prætor, si utervis nostrum quidquam adversus leges fecerit.* Hoc Græce aliquanto dicitur suavius; quod ejus gentis lingua, et leges, quibus civitas temperatur, et quædam poetarum cantilenæ, eodem nomine vocantur. Sed ille neque objurgavit Simonidem, neque iracunde eum a se repulit: sed eo est genere orationis usus, ut cum ei, quod petebat, negaret, æquum tamen eum a se placatumque dimitteret. Quæ exempla qui sequentur, et dignitatem retinebunt, et vitabunt eam, quam Cicero *inutilem et odiosam* esse ait, *morositatem.* Muret.

Altitudo] Legendum *lenitudo.* Excusat autem verbum duriusculum. Ait, liberos populos regendos esse non solum animo placabili, sed interdum etiam lento, ut ne impudenter quidem rogantibus irascamur. Hujus autem vocis duritiem notat etiam in Tusc. 4. cap. 19. Facc.

Altitudo animi] Altitudo animi non est hoc loco excelsitas, vel elatio. Sed βαθύτης, ut cum *altitudinem* puteorum dicimus, qua præditum hominem κρυψίνουν Græci vocant, qui non statim detegit omnes animi motus, neque eos in promptu habet, sed abdit ac tegit cum opus est: qualem esse Pompeium ipse alicubi dicit in epistolis ad Atticum: et qualem Tiberium Augustum fuisse historiæ loquuntur. Idem. *Altitudo animi, quæ dicitur*, &c. Locum hunc illustrare tuerique potest id quod legitur in Partit. Orator. cap. 22. *Est altitudo animi in capiendis incommodis, et maxime injuriis.* Hanc autem formulam, *quæ dicitur*, quoniam solet adhibere Tullius, ubi vocabulum quodpiam Græcum subjuncturus est, in quo vis insit antecedentis Latini; opinor scriptum fuisse: *quæ βαθύτης dicitur.* Neque dissensuros arbitror, qui hos tres locos ex epistolis ad Atticum inspexerint. Lib. IV. epist. 6. *βαθύτης mea quæ in agendo apparuit.* V. 10. *Admirabere meam βαθύτητα, cum salvi redierimus: tanta mihi μελέτη hujus virtutis datur.* VI. 1. *Quod meam βαθύτητα in Appio tibi...probo; vehementer gaudeo.* Qua de voce sic Bosius: *βαθύτητα vocat taciturnitatem, et occultum aliqua de re animi sensum, sumpta translatione a puteis, et aliis locis altis, in quibus demersa ita latent, ut non appareant.*

Eodem sensu dixit Horatius, II. Sat. VI. 57.

> *Mirantur, ut unum*
> *Scilicet egregii mortalem altique silenti.*
> Fr. Odinus.

Ita probanda est mansuetudo atque clementia, ut adhibeatur reip. causa severitas] Ut morositas odium, ita nimia facilitas contemptum parit. Utraque igitur vitanda iis, qui cum imperio sunt: et adhibenda moderata severitas, quæ si absit, omnis magistratus auctoritas obsolescit, quæ certissima pestis est civitatum. Quoniam enim magistratus legum custodes sunt, aut ipsi potius vivæ ac spirantes leges, cum magistratus contemnuntur, perinde est ac si leges contemnerentur. Videndum igitur ut et ab odio severitatem comitas vindicet, et a contemptu severitas comitatem. Muret.

Omnis autem animadversio et castigatio contumelia vacare debet] Qui in castigando contumeliosus est, ostendit se libidine potius et iracundia, quam justitiæ studio duci. Vide Gellium lib. VI. 14. Idem.

Qui punitur aliquem] *Punitur aliquem*, pro punit, Ciceronem hic dixisse, non solum Nonius, sed et Servius in XI. Æneidos observavit. Sic. Tusc. I. 44. *Cum multi inimicos etiam mortuos pœniantur*, pro puniant: in Miloniana, cap. 13. *pœnitus es*, pro punivisti: Philippica quoque VIII. ex libris antiquis jam recte legitur, *Ut clarissimorum hominum crudelissimam puniretur necem.* Fabricius.

Prohibenda autem maxime est ira in puniendo] Cupiditas modum non novit: et quæcunque cupide facimus, immodici in eis, atque immoderati sumus. Est autem *ira*, ut in secundo de Anima traditur, *cupiditas ultionis.* Quare quicunque ad reposcendam poenam iratus accedit, modum tenere non potest. Est igitur magni et sapientis viri, aut omnino non irasci, aut, quod fortasse majus est, iram vincere ac cohibere, neque quidquam ulciscendi causa facere, donec ille iræ tumor resederit, impetus constiterit, ardor refrixerit. Ἅπανθ' ὅς ὀργιζόμενος ἄνθρωπος ποιεῖ, ταῦθ' ὕστερον λάβοις ἂν ἡμαρτημένα, ait Menander. Itaque laudatur Plato, qui servo cuidam suo iratus, *Tu vero*, inquit, *gratias diis agito, quod ego iratus sim; pœnas enim a te exigerem, nisi iratus essem.* Et Xenocrati, qui tum præsens aderat, *Quæso*, inquit, *tu hunc verberato; me enim, cum iratus sim, id facere non decet.* Eadem fere narrantur de Archyta Tarentino, qui, ut est apud Ciceronem IV. Tuscul. cum villico factus esset iratior, *Quomodo te*, inquit, *accepissem, nisi iratus essem.* Sed et de Platone ipso ejusdem generis alia. Quod servo iratus, sublata manu, quasi eum percussurus, diu eodem in statu constiterit, cumque rogaretur, cur id faceret: *A me ipso*, inquit, *exigo iracundiæ meæ pœnas.* Et quod adolescens quidam, qui diu apud eum vixerat, cum domum rediiset, vidissetque aliquando iratum matri patrem: *Apud Platonem*, inquit, *nihil unquam tale vidi.* Dandam autem iræ moram dum relanguescat, neque præcipitandum, quod illa suaserit, eleganter docuit Athenodorus Stoicus, qui Octaviani Augusti temporibus fuit. Cum enim Augustum facile ac celeriter irasci videret, monuit eum, ut quoties irasceretur, antequam quidquam imperaret, recitaret Græcarum litterarum nomina: illo quamvis exiguo temporis intervallo judicans fore, ut iræ impetus, vel frangeretur, vel certe remitteretur. Sextus Aurelius Victor in Theodosio. Sapientissime itaque decrevit senatus temporibus Tiberii, ne de iis, qui capitis damnati essent, supplicium ante decimum diem sumeretur. Cujus senatusconsulti meminit Tacitus lib. III. Dio lib. XXVII. Suetonius in Tiberio. Seneca in libro de Tranquillitate vitæ. Sidonius Apollinarius lib. XI. epist. 7. Quod temporis spatium optimus imperator Theodosius ad triginta dies prorogavit: cum ob ingentem quandam stragem

ipsius jussu Thessalonicæ factam a sanctissimo et fortissimo episcopo Ambrosio Ecclesiæ foribus exclusus, neque nisi post actam, ex veteri ecclesiastica consuetudine, publicam poenitentiam, ad sacrorum mysteriorum communionem admissus esset. Historia est apud Theodoretum lib. V. cap. 17. et Sozomenum lib. VII. cap. 24. et extat ipsa Theodosii constitutio, L. *si vindicari* C. de poenis. Muret.

Modo ne laudarent iracundiam] Reprehendit Peripateticos, quod iracundiam laudent, et a natura utiliter datam dicant. In quo considerandum primum quid sit *iracundia*, et quomodo ab ira differat: dein verumne sit iracundiam a Peripateticis laudari: et tandem quid inter Peripateticos et Stoicos hac in re non conveniat, et num merito Peripatetici a Stoicis reprehendantur. Seneca igitur lib. I. *De ira* c. 4. ait inter *iram* et *iracundiam* idem interesse, quod inter *ebrium* et *ebriosum*, inter *timentem* et *timidum*. Iratus potest esse non iracundus. Iracundus potest aliquando iratus non esse. Ira igitur est ὀργὴ, iracundia ὀργιλότης. Hæc etiam Claudius Cæsar distinxit edicto, de quo Suet. *Iræ atque iracundiæ conscius sibi, utrumque excusavit edicto, distinxitque, pollicitus alteram quidem brevem, et innoxiam, alteram non injustam fore.* Iracundiam tamen Latini interdum pro *ira* dicunt. Plautus Asinar. *Non hercle te prævideram. Quæso ne vitio vertas. Ita iracundia obstitit oculis.* Et Terent. *Vix sum compos animi, ita ardeo iracundia.* Nunc videamus num Peripatetici iracundiam laudent. Sane Aristot. II. Eth. prolixus est in iracundia ὀργιλότητι reprehendenda ut vitiosa. Hoc tamen eis Cicero sæpe objicit, ut hic et IV. Tuscul. cap. 19. sed hæc ex aliorum Peripateticorum commentariis Cicero, ut videtur, hauserat. Et tamen vituperant Peripatetici ἀοργησίαν, et Aristoteles ipse ait τὸν θυμὸν τῇ ἀνδρείᾳ συνεργεῖν. Neque aliter Plato, qui et II. Polit. ait omnem ἀνδρεῖον εἶναι θυμοειδῆ, et V. de Legibus θυμοειδῆ μὲν χρὴ, inquit, πάντα ἄνδρα εἶναι, et Græci proverbio aiunt, qui irasci nesciat, eum mente etiam carere. Stoici autem iram damnant. Sed tamen de vocibus tantum videntur litigare. Nam si ira semper est πάθος ἄλογον, recte eam vituperant: sin potest ratione dirigi, et est interdum ὁρμή τις ἐγείρουσα τὴν ψυχὴν πρὸς τὴν ἀνδρείαν, merito commendari potest, neque eradicanda, sed moderanda est. Itaque Horatius Epist. lib. I. ep. 2. vers. 62. cum dixit, *ira furor brevis est*, addit, *qui non moderabitur iræ*, &c. Non dicit, qui non extinguit, sed qui non moderabitur. Idem.

Cap. 25. *Ut de Socrate*] Hæc de Socrate Xantippe prædicat III. Tuscul. 15. Vide et Senec. epist. 104. Laert. in ejus vita. Idem.

Facilitate et humanitate video superiorem fuisse] Just. IX. 8. *Iram pater* (Philippus) *dissimulare, plerumque etiam vincere: hic ubi exarsisset, nec dilatio ultionis, nec modus erat.* Mox: *regnare ille cum amicis volebat, hic in amicos regna exercebat.* Grævius.

In gyrum] Petita ab equis similitudine, qui aguntur in gyrum, certis præfinitis limitibus, ut eorum impetus frangatur. Fac.

Nec adulari nos sinamus] Vel *adulari* patiendi hic significationem habet, vel legendum, *adulari nobis sinamus*. Lamb. Apud Nonium ita refertur, *Neve adulari nos sinamus*. Quare nihil in hoc genere contra librorum veterum auctoritatem est immutandum. Fab. Totum hoc membrum, *nec adulari nos sinamus*, insertum videtur, et quidem ante Nonii ætatem, ut est apud Heumannum in Art. critic. n. XXXIII. Fac.

Illud autem] Hæc omnia, qualiacunque sunt, usque ad caput proximum, hoc loco male habitant: potius eo retrahenda videntur, si cui placent, ubi de politicis, et de otiosis agitur. Idem.

Cap. 27. *Ita naturæ*] Legendum opinor: *ita naturæ cujusque;* Et quæ

præcedunt et quæ sequuntur, ita poscunt. IDEM.

Cap. 28. *Natis sepulcro ipse est parens*] Applaudo Joanni Frid. Gronovio conjicienti tyrannum apud poetam dixisse: *Natis sepulcro ipse sit parens*, ut in præcedenti versu, *Oderint dum metuant*. Hoc enim vere tyrannicum. Illud vero Thyesteas epulas commemorans, *parens est natis sepulcro*, quilibet dicere potest. Quid enim in illis tyrannicum? GRÆVIUS.

Animantium reliquarum] Id est supra reliquas animantes. Genitivus casus in hac syntaxi duriusculus videtur. Sed fortasse totum hoc membrum, *magna cum excellentia præstantiaque animantium reliquarum*, formatum est ex iis, quæ paullo ante dicta sunt, et margini adjectum, postea vero a librariis huc insertum. FACCIO.

Illud, quod ad omnem honestatem pertinet decorum, quam late fusum sit] Alexander Aphrodisiensis honestum circuli centro comparat, quod cum re ipsa sit unum, pro varietate tamen linearum, in diversas partes atque regiones ex eo productarum, sit quodammodo varium et multiplex, et nunc hujus, nunc illius lineæ terminus appellatur. Eadem prorsus ratione honestum, cum natura sua sit unum, pro varietate tamen motuum animi, et actionum, quas prudenter moderatur, varium quasi redditur et multiplex. RACHEL.

Neque enim solum, &c.] Periodus hæc orta videtur ex monito alicujus grammatici margini adscripto. FAC.

Cap. 29. *Omnis autem actio*] Ex officii descriptione, quæ est in lib. 3. de Fin. c. 17. hæc omnia consarcinata videntur. Si tollantur, tum sensa, tum verba rectius inter se congruent. Alii legunt, *omnis autem ratio*. Sane melius. Quomodo enim *actio* dicitur *agere*. IDEM.

Neque præcurrant, nec] Vict. *neque præcurrant propter temeritatem, nec*

Et quietibus cæteris,] Casus pluralis duriusculus fecit, ut alii legerent *quietis*, alii aliter. Sed nihil variandum. Ita enim locutus est etiam Salustius in bello Catilin. c. 15. FAC.

Plautus noster] Plauti sales et facetias omnis laudavit et admirata est antiquitas. Tritos plerique ac notatos versus habebant, ac ex eorum naturali quodam et insito lepore, quæ veræ et germanæ Plauti fabulæ essent, nullo negotio dignoscebant. Nec eo solum, quo vixit, tempore cum nihil forsan occurreret melius, habuit poeta hic laudis fautores ac præcones suæ, sed etiam annis postea consecutis multis, cum ridiculi tractatio, quod opus comœdiæ præcipuum est, perfici potuerit, et numeris omnibus absolvi. Atque hæc talis et tanta de jocis Plautinis opinio ad Augusti usque imperatoris ætatem mansit. Quo primum seculo neque jocos istos, neque jocorum laudatores ferre potuit severior et fastidiosior judex Horatius, ac fortasse melior: quippe quos nimiæ patientiæ ac propemodum stultitiæ condemnet. Tametsi hujus ego judicium non unius hominis, sed totius seculi illius eruditissimi judicium putaverim. Neque enim scripsit Horatius aliter, ac videretur Augusto: neque Augustus cupidus ipse dictorum et cujusvis generis ejus intelligens in alia, atque probi et politi ejusdem ævi scriptores essent, sententia fuit. Nisi forte suspicari, &c. VAVASSOR, *de Lud. Dict.*

Atticorum antiqua comœdia] Adversatur Ciceroni Aristoteles, lib. IV. Eth. ad Nicom. 8. qui monet facilem esse distinctionem ingenui et scurrilis joci ex veteribus et novis comœdiis, perinde ac si dicat, tantundem sibi veteres comicos permittere, quantum scurræ solent, quibus nihil unquam nefas sit nec in rebus, nec in verbis, quosque nihil, dummodo aliis risum excutiant, neque pudeat, neque tædeat. Aristoteli adversatur Cicero. Hic enim ab antiqua comœdia illiberalitatem, petulantiam, turpitudinem flagitiosam removet, quibus ille eam sua sententia damnat. Quanquam non eum Aristotele duntaxat Cicero, sed secum ipse pug-

mat, qui continuo post dicat, facile distingui ingenuum et liberalem jocum: alterum esse si tempore fit, ac remisso animo, homine libero dignum: alterum ne homine quidem, si rerum turpitudini adhibeatur verborum obscœnitas. Quis autem non videt genus jocandi profusum et immodestum inesse in Plauto: comœdiam veterem nec ingenuitatem, nec ruborem, nec moderationem ullam præstitisse, vel offensione hominum, vel rerum turpitudine, et verborum obscœnitate vitanda? VAVASSOR. Tamen pro Aristophane, veteris comœdiæ auctore præcipuo facit Plato: ei enim Thomas magister tribuit hoc epigramma, quo canit, sorores Gratias, tres præsides venustatis deas, quæsivisse templum sibi, in quo divinis honoribus consecratæ perpetuo colerentur: ac demum pro templo animam Aristophanis poetæ feliciter et commode esse nactas:

Ἀι χάριτες τέμενος τι λαβεῖν, ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται,
Ζητοῦσαι, ψυχὴν εὗρον Ἀριστοφάνους·

Nunquam casurum cupidæ sibi sumere templum
Invenere animam Gratiæ Aristophanis.
IDEM.

Homine dignus: alter ne libero quidem] Man. *libero dignus: alter ne homine quidem.*

Ut ne nimis omnia profundamus] Lambinus edi jusserat, *Ne nimis joca profundamus.* Quæ lectio et sententiam commodam habet et a vulgata non multum discrepat. Langius vetustorum librorum auctoritate neglecta edidit, *ut ne nimis profundamur.* Putat enim, *profundamus*, scriptum esse a librariis pro, *profundamur*, ac deinde ab aliis adjectum esse *omnia.* Ego ante annos XVI. cum hos libros publice interpretarer, hanc profusionem referebam ad illam, de qua Cicero in Cæliana, *Voluptates*, inquit, *cum prima ætate compressæ et constrictæ fuerunt, subito se nonnunquam profundunt, atque ejiciunt universæ.* FABRIT.

Cap. 30. *Semper aliquid aut anquirit, aut agit*] Totum hoc membrum vacat et formatum puto ex eo, quod est in cap. 36. de duplici animorum motu. Duo tamen priora verba *semper aliquid* retineri possunt, si conjungantur cum *cogitando.* FAC.

In L. Crasso] Ideo lib. II. de Orat. *Non fere quisquam reperietur præter hunc* (Crassum) *in utroque genere leporis excellens: et illo quod in perpetuitate sermonis, et hoc quod in celeritate atque dicto est.* GRÆV.

In L. Philippo] Hic fuit L. Martius Philippus Q. F. qui consul fuit anno U. C. 663. de quo in Bruto Cicero: *Erat in eo summa libertas, multæ facetiæ, satis creber in reperiendis, solutus in explicandis sententiis.* IDEM.

In C. Cæsare] Is fuit C. Cæsar Strabo, quo et filio negat quemquam in Bruto Cicero sale et lepore conditiorem fuisse. Hinc in II. de Orat. ipsum induxit de facetiis disputantem. IDEM.

In M. Scauro] Quanta fuerit in illo gravitas cum multis aliis locis Cicero testatur, tum in primis in Bruto: *In oratione Scauri sapientis hominis et tecti gravitas summa, et naturalis quædam inerat auctoritas, ut testimonium dicere putares, cum pro reo diceret.* IDEM.

In M. Druso] Is fuit M. Drusus C. filius, qui in tribunatu C. Gracchum collegam iterum trib. fregit, *vir et oratione gravis et auctoritate*, ut de illo Tullius testatur in Bruto. IDEM.

In C. Lælio multa hilaritas] Cic. pro Muræna: *Quis C. Lælio comior? quis jucundior eodem ex studio isto? quis illo gravior? quis sapientior?* Hinc etiam propter istam hilaritatem, ut et sermonis elegantiam, putabantur fabellæ Terentii ab illo scribi, ut idem auctor in VII. ad Attic. III. GRÆVIUS.

Simulatorem] Hoc loco *simulator*, ad laudem refertur. Alii tamen legunt *dissimulatorem.* FAC.

Quem εἴρωνα Græci nominaverunt] Hæc verba esse ab aliena manu

Heumannus monet in Arte Crit. n. XXVII. Idem.

Pheræum Jasonem] Vide de ejus prudentia et potentia Xenophontem VI. Ἑλληνικ. Et Diod. Sic. XV. Græv.

Ut Syllam et M. Crassum] Syllam alios coluisse, et servili obsequio dignitates meruisse, nusquam dictum scriptumve. In ætate tenera cum scurris et mimis potavit, et genio indulsit frequenter, sed de adulatione potentium dignitateque florentium nihil. Crassus autem Syllam sectatus est, et coluit enixe, ejusque gratia potissimum ad illas divitias et postea honores est evectus. Vide Plutarchum in ejus vita. Sine dubio locus est contaminatus, quem sic purgabis ex meo primo codice, in quo clare scribitur: *Ut Syllæ M. Crassum videbamus.* Græv.

Lysandrum] Vide C. Nep. in ejus vita. Idem.

Callicratidam] De hoc etiam egit cap. 24. hujus libri. Idem.

Itemque in sermonibus alium quemque, quamvis præpotens sit, efficere] Hoc vult: Esse in quibusdam sermonis comitatem, ut, quamvis sint in magna dignitate constituti, tamen cum sermones serunt cum infimæ quoque sortis hominibus, videantur et ipsi ejusdem loci et ordinis homines esse, nullum ut præ se ferant in oratione fastum. Cic. II. de Finibus. *Tenuis L. Virginius unusque de multis.* Sic Græcis εἷς τῶν πολλῶν. Idem.

Nullam comitatem] Nullas sermonis blanditias, quibus caruit Xenocrates quoque: ob hoc autem ipsum in primis celebratus est: exemplum Xenocratis tanquam insititium putat expungendum esse Heumannus in Arte Critic. n. XXVII. Fac.

Ne Xenocratem quidem] Hanc lectionem optimorum librorum auctoritas, et sententia comprobat. Hoc enim dicit, Ne severissimum quidem philosophorum Xenocratem comitatem sermonis habuisse, et in gravitate maxima præstitisse dignitate, ut Camerarius scribit. Fabrit.

Cap. 31. *Tamen nos studia nostra naturæ regula metiamur*] Nonnulli Mss. habent *nostra natura*, quod vulgatæ lectioni *nostræ naturæ* præferendum videtur; quia non cujuscunque naturæ, sed nostræ regula studia nostra sunt metienda. Idem dicendum est de *studiis;* quocirca legendum esse arbitror, *tamen* nostræ *naturæ regula metiamur.* Pearc. Video sine emendandi ratione apertam sententiam. Satis enim significavit Cicero quam dicat naturam. Anon.

Epigonos] Accii tragœdiam. Sunt autem Epigoni auctores secundi belli Thebani, quorum nomine Euripides tragœdiam scripsit. Hanc imitatus est Accius. Fac.

Medumque] Pacuvii tragœdiam, a Nonio et Charisio citatam. Alii legunt *Medeamque.* Medum autem esse volunt Medeæ filium. Idem.

Cap, 32. *Consequantur*] Legere malim *sequantur.* Idem.

Herculem Prodicium] Quemadmodum hoc loco, *Herculem Prodicium,* ita in epistola ad Lucceium, *Herculem Xenophontium,* dicit. Nam Xenophon in secundum librum Commentariorum retulit, quod Prodicus in libro de Hercule exposuerat. Fabrit.

Jovis satu edito] Urbane ex veteri aliquo Poeta, ea tempestate noto. Alii malunt legere *Jove edito*, perperam veriti, ne modus hic poeticus Ciceronem dedeceat. Fac.

Cap. 33. *Ut fortuna nonnunquam, tanquam ipsa mortalis, cum immortali natura pugnare videatur*] Merito displicuit doctis hic locus non uno modo corruptus. Quid de eo censeam, liceat proferre. Editio Rom. prima, et tres Mss. Oxon. habent *quam fortuna*, pro *ut fortuna.* Unde conjectura sic sententiam totam refingo: *multo enim et firmior et constantior est* quam *fortuna: ut ipsa* (scilicet fortuna) *nonnunquam, tanquam mortalis cum immortali,* cum *natura pugnare videatur.* Video ab hac non multum Grævii conjecturam recedere: sed in mea vulgatus ordo verborum ma-

gis servatur. Conjunctio *ut* idem valet quod *ita ut;* sensusque loci hic est, Quoties fortuna cum natura (ut fit aliquando) pugnat, videtur impari certamine pugnare, quasi mortalis homo cum immortali deo contenderet. PEARC.

Amicitias sensim dissuere] Eleganter et acute, *dissuere:* sed tamen veteres omnes libri *diluere*, habent; quod est extenuare. Sic colores, sic vina diluuntur. Sic *unguenta lacrymis diluere* dixit Ovidius, *auctoritatem diluere* Seneca. Sed maxime ad hunc locum, quod Gellius priscorum vocabulorum mirus sectator libro XII. cap. 1. *Vinculum*, inquit, *illud coagulumque animi atque amoris, quo parentes cum filiis natura consociat, interscindunt, aut certe quidem diluunt deteruntque.* Ubi *deterunt* eadem metaphora dixit, nempe a pictoribus colores terentibus. Ut Horatius, *Culpa deterere ingenii*, id est imminuere. LANG.

Si igitur] Schema est, per quod verborum constructio mutatur, servata sententia: ἀνακόλουθον vocant. Legere malim, *Si quis igitur*: nec aliter scripsisse Ciceronem puto. FAC.

Nefas et vitium *judicandum*] Quam male *vitium* cum *nefas* jungatur, vident omnes, qui aut præceptis rhetorum sunt imbuti, aut recte loquentium usum et consuetudinem in consilium adhibent. Vitium enim est infra nefas. Itaque clarissimus Gruterus bene notavit, se vix se continere potuisse, quin deleto illo *vitium* intulerit *impium*, quia id repererit in primo Palatino. Cum vero *impium* quoque in meo primo conspiciatur, nullus dubitavi id reponere. GRÆVIUS.

Cap. 34. *Majores natu interesse*] Hoc ex instituto Lycurgi observabatur in Lacedæmoniorum republica, et faciendum præscribit Plato II. de Legibus. Nam Seneca epist. 25. bene dicit: *Omnia nobis mala solitudo persuadet.* Et ep. II. *Magna pars peccatorum tollitur, si peccatoris testis adsistat.* Ceterum hic locus in antiquis libris varie legitur. In nonnullis est: *Si ejusmodi quidem in rebus majores natu nolint interesse.* Unde conjicit Lambinus: *non nolint interesse.* Pith. et Græv. prim. *Si in ejusmodi quidem rebus majores natu interesse volent.* Et sic fere Palat. prim. quos sequor. GRÆV.

De magistratuum, de privatorum, de civium, *de peregrinorum officiis dicere.*] Ms. Laud. et Mert. pr. omittunt vocem *civium:* Bodl. vero secundus vocem *de.* Ego utramque delendam esse censeo, ut legatur *de magistratuum, de privatorum, de peregrinorum officiis dicere.* Voces *de civium* videntur interpretamento fuisse vocum *de privatorum:* de tribus enim solum generibus personarum Cicero in sequente capitis parte agit; et de secundo sic dicit, *Privatum autem oportet æquo et pari cum civibus jure vivere:* ubi post vocem *privatum* non inseritur vox *civem*, quamvis ea (ut et hic *civium*) subintelligenda esse videatur. PEARC.

Jura describere] Non est leges ferre, seu condere, sed jus suum cuique tribuere, jus dicere. Cic. V. in Verrem, cap. 11. *Eadem lectica usque in cubiculum deferebatur. Eo veniebant Siculorum magistratus, veniebant equites Romani, id quod ex multis juratis audistis. Controversiæ secreto deferebantur: paulo post palam decreta auferebantur. Deinde ubi paulisper in cubiculo pretio, non æquitate jura descripserat, Veneri jam et Libero reliquum tempus deberi putabat.* Et pro Quint. *Quis tandem nobis ista jura tam æqua describit? quis hoc statuit, quod æquum sit in Quintium, id iniquum esse in Nævium?* Describere enim est ordinare, distribuere. Cic. de lege agraria: *Duodecim describit in singulos homines jugera.* Lib. XII. ad Fam. epist. 1. *Tabulæ finguntur, immunitates dantur, pecuniæ maximæ describuntur.* GRÆV.

Cap. 35. *Decorum illud*] Vox *illud* videtur redundare, et omittitur in aliquo codice: sed tamen habetur etiam paulo infra. Significat autem

decorum illud, de quo loquimur. Facc.

Difficilius] Ita vulgo legitur: minus tamen recte. Legendum *difficilibus*, rebus scilicet difficilibus ad explicandum: sed satis est, inquit, eas intelligi. Idem.

Difficilius ad eloquendum] Ista non bene cohærent cum præcedentibus. Pet. Victorius edidit: *difficilius ad eloquendum est:* sed sic quoque aspera et hiulca est oratio, nec pro illa facilitate et suavitate Tulliana se habet. Eam vero duritiem tollit meus primus et optimus codex. *Difficilius ad eloquendum rebus* in eo extat, quod et Gruterus reperit in Palat. primo, et editione Romana anni CCCCLXXI. ut plane probem Gruteri sententiam, legendum esse *difficilibus ad eloquendum*, et respici *rebus*, quod præcesserat, perperamque repetitum esse a librariis. Idem.

Satis erit intelligi] Ambrosius lib. I. Officiorum cap. 19. ita scribit: *Unde Tullius etiam ordinem putat in illo decore servari oportere, idque positum dicit in formositate, ordine, ornatu ad actionem apto, quæ difficile ait loquendo explicari posse, et ideo satis esse intelligi.* Quemadmodum autem hic dicitur, *difficilius ad eloquendum*, sic in Oratore legitur, *Quo est ad inveniendum difficilior in oratione numerus, quam in versibus.* Fabr.

Nec orationis obscœnitas] Man. Grut. *nec oratio obscœnitate.*

Aut si qui fuerunt Stoici pæne Cynici] Fuerunt enim Stoici, qui τὸν κυνισμὸν, id est Cynicorum rationem atque vitam probaverunt. De quibus Cicero extremo libro tertio de Finibus, et Laertius lib. 7. Est quoque apud Arrianum caput περὶ κυνισμοῦ, lib. III. cap. 22. Fabrit. Hinc Stoicorum dogmata tunica tantum a Cynicis distare Juven. Satyr. III. ait, hoc est solo habitu a Stoicis differre, cum dogmata fere habeant eadem. Grævius.

Cap. 36. *Palæstrici motus*] In palæstris docebantur, et brachia, et totum corpus movere decore ad leges, numerosque. Hinc Horat. lib. I. de Mercurio:

> *Qui feros cultus hominum recentum*
> *Voce formasti catus, et decoræ*
> *More palæstræ.*

Tu primus docuisti homines eleganti more ac ratione luctari, cum antea luctæ essent inconditæ et insulsæ. Hinc *palæstra* pro ipsa ratione quadam eleganti. Cic. de perfecto Oratore: *Ut athletas, nec multo secus gladiatores videmus nihil nec vitando facere, nec petendo vehementer, in quo non motus hic habeat palæstram quandam.* Sic in I. de Legibus: *Fannii autem ætati conjunctus Antipater paulo inflavit vehementius, habuitque vires agrestes ille quidem atque horridas, sine nitore et palæstra.* Qui sunt autem palæstrici motus eleganter docet Quintil. lib. II. Institut. *Ne illos quidem reprehendendos putem, qui paulum etiam palæstricis vocaverint.* Nimirum ut paulo post dicit, *ut recta sint brachia, ne indoctæ rusticæve manus, ne status indecorus, ne qua in proferendis pedibus inscitia, ne caput oculique ab alia corporis inclinatione dissideant.* Vide ibi plura. Quod olim palæstra, hoc nunc docet orchestra. Græv.

Gestus inepti] Si gestus sunt inepti, quid mirum, quod offendant? Legendum *ineptiis nonvacant*, omissa *offensione*. Facc.

Ut pomparum ferculis similes esse videamur] In quibus sacra et simulacra lentissimo incessu circum ferebantur. Horat. lib. I. Sat. 3.

> *Sæpe velut qui*
> *Currebat fugiens hostem, persæpe velut qui*
> *Junonis ferret sacra.* Erasmus.

Et si attentos animos, &c.] Cum proxime *animum* singulari numero dixerit, constructionis ratio poscebat, *animumque ipsum attentum*, &c. Præterquam quod monitum nimis commune est, nec sine idiotismo expressum: ac proinde inter suspecta refero. Videtur, ut alia multa, ex margine traductum. Facc.

Cap. 37. *Presse loquentium*] Ita clare, ut omnes audiantur litteræ,

sed tanta lenitate, ut nullius aures offendant. Quint. lib. II. 8. *Non satis est dicere presse tantum, aut subtiliter, aut aspere: non magis quam phonasco acutis tantum aut mediis, aut gravibus sonis, aut horum etiam particulis excellere.* In III. de Orat. *Me,* inquit Cicero ad Catulum, *tuus sonus et suavitas illa delectat,* (nonnullis interpositis pergit) *hanc dico suavitatem, quæ exit ex ore: quæ quidem, ut apud Græcos, Atticorum, sic in Latino sermone, hujus est urbis maxime propria. Athenis diu doctrina Atheniensium interiit,* &c. *Tamen eruditissimos homines Asiaticos quivis Atheniensis indoctus, non verbis, sed sono vocis, nec tam bene, quam suaviter loquendo facile superabit. Nostri minus student litteris, quam Latini. Tamen ex istis, quos nostis, urbanis, in quibus minimum est litterarum, nemo est quin litteratissimum togatorum omnium, Q. Valerium Soranum, lenitate vocis, atque ipso oris pressu ac sono facile vincat.* His qui presse loquuntur opponuntur ii, qui aut opprimunt litteras, aut putide nimis rusticeque se exprimunt, ut statim dicet Cicero. Græv.

Nihil aliud *fuit in Catulis, ut eos,* &c.] Cum sex Mss. Oxon. deleo vocem *aliud,* quæ mihi videtur prorsus menti Ciceronis adversari. Sensus est (opinor) Nihil fuit, cur Catulos maxime litteratos et doctos fuisse putares. Contrarium vero videtur vox *aliud* innuere; quasi colligi potuisset, ex eorum modo presse et leniter loquendi, eos fuisse maxime litteratos. Pearc.

Quanquam erant litterati, sed et alii] Forte, *sed* ut *alii:* ut sensus sit, Non tam litterati erant, ut non alios in ea re sibi æquales haberent. Censeo voces vulgatas, *sed et alii,* minus significare quam postulat sententia, cum mensuram et gradum eruditionis Catulorum non exprimant. Id. Ut quod sentio dicam, est in duabus his doctissimi Pearcii annotationibus quod me angat. Non dicit Cicero Catulos fuisse habitos maxime litteratos; sed existimatos esse *exquisito uti judicio litterarum.* At videntur hæc differre: non enim si quis exquisito utitur judicio litterarum, continuo est maxime doctus; neque sunt omnes Pearcii, utramque ut laudem conjungant. Vocem *aliud* puto non posse a phrasi abesse; nam hoc vult, ni fallor, Tullius: Nihil aliud præter suavitatem vocis, et pronuntiandi venustatem, in Catulis fuisse, cur putarentur *exquisito uti judicio litterarum.* Tum quasi corrigens aut molliens quod dixerat, subjungit: Non quod litterati non fuerint; sed erant quoque alii tunc temporis, illa eadem ætate litterati, de quibus tamen non eadem erat hominum opinio, *uti* eos *exquisito judicio litterarum.* Cur vero eam non adepti sunt famam? Nimirum deerat illis illud *aliud,* quod in Catulis erat, *qui optime uti lingua Latina putabantur.* Otiosis liceat, et curiosis, adire Janum Parrhasium in Quæsitis per epistolam, *ep.* 17. Oliv.

Neque expressæ] Legendum censeo *expressæ nimis.* Particula autem *nimis,* quæ in multis editionibus invenitur ante *putidum,* huc est transferenda. Nulla abesse ratione potest, quia litteræ exprimi debent, ut Cicero ipse alibi monet, non tamen *putidius,* id est affectatius. Facc.

Litteræ neque expressæ, neque oppressæ] Quid sit *exprimere, et opprimere litteras* optime docet Quintil. Institut. lib. II. *In primis vitia, si qua sunt oris, emendet: ut expressa sint verba, ut suis quæque litteræ sonis enuncientur. Quarumdam enim vel exilitate, vel pinguedine nimia laboramus: quasdam velut acriores parum efflamus, et aliis non dissimilibus, sed quasi hebetioribus permutamus.* Sequuntur ibi plura in hanc sententiam. Græv.

Aut putidum] Quid sit *putidum* in pronuntiatione, docet Nonius Marcellus. *Putidum non solum ab ore fœtido et gravi, quod naribus præbetur, sed et quod auribus triste, et insuave, austerum, et rancidum, id putidum dici posse auctoritas vetustatis admisit.* Repetiit hoc præceptum Cic. III. de

Orat. c. 11. *Nolo exprimi litteras putidius, nolo obscurari negligentius: nolo verba exiliter exanimata, nolo inflata, et quasi anhelata gravius.* Quod hic *putidum* dicit, in sequente capite vocat *aspere, vaste, rustice, hiulce loqui,* quibus opponit, *presse, æquabiliter, leniter.* Illudque putidum et asperum improbat in Cotta, cujus pronuntiationem *latam* vocat, ut qui iota litteram tollat, et E *plenissimum* dicat, ideoque videri non oratores antiquos, sed messores imitari, propter rusticam illam scilicet illarum litterarum expressionem. Apud Quintilian. lib. I. cap. 11. alia exempla invenies. IDEM.

Sine contentione vox nec languens, nec canora] Nec torpens, nec tinnula. Bene autem Cicero dixit, *sine contentione* vocem non debere esse canoram: nam in oratore illa probatur. In Bruto enim dicit: *Canorum oratorem concursus hominum forique strepitus desiderat.* In Hortensio talem vocem laudavit idem: *Vox canora et suavis, motus et gestus etiam plus artis habebat.* Hinc musicen utilem oratori esse ostendit Quintilian. lib. X. Sed tamen studendum summopere, ne oratio fiat deforme canticum, neve frangatur in effœminatam et scenicam pronuntiationem. Quintil. XI. 3. cum de vitiis pronuntiationis variis egisset, addit: *Quodcumque ex his vitium magis tulerim, quam quo nunc maxime laboratur in causis omnibusque scholis, cantandi: quod inutilius sit an fœdius, nescio. Quid enim minus oratori convenit, quam modulatio scenica et nonnunquam ebriorum aut commessantium licentiæ similis?* Sed hæc uberius ibi persequitur. Laborabant hoc vitio sophistæ in Græcia in primis, ut videre licet ex Philostrato. IDEM. Uberius etiam Cressolius in suo Rhetorum Theatro.

Cæsar] De quo supra, cap. 30. et in Bruto, cap. 48. Hunc, Lucii filium, Catuli patris fratrem fuisse manifestum fit ex lib. II. de Orat. c. 3. *Postero igitur die quam illa erant acta, hora fere secunda, cum etiam tum in lecto Crassus esset, et apud eum Sulpitius sederet, Antonius autem inambularet cum Cotta in porticu, repente eo Q. Catulus senex cum C. Julio fratre venit.* BETULEIUS. Fratres apud Romanos dicti fuerunt non modo qui iisdem parentibus, sed et qui fratribus, et qui fratre ac sorore nati erant, ut de Metellis et Clodio in Ciceronis historia demonstravi. FABR.

Aderunt] Vict. Man. Grut. *aderunt res.*

Sed, utcumque aderunt] *Utcumque aderunt*, in omnibus libris reperio scriptum: id est cuicuimodi homines. Adverbium loco nominis. Terent. *sic homo est; ita homo est.* Locus hic turpiter erat maculatus. LANGIUS. Plerique ediderunt, *utcumque aderunt res:* quod ultimum non est delendum, sententia postulante. Ultima syllaba præcedentis vocis videtur hanc voculam absorpsisse. Verba quæ sequuntur quasi in parenthesi sunt posita. Sententia hæc est, Qualescumque res erunt, de quibus loquimur, (non enim semper de iisdem rebus loqui placet) opera est danda, ne modum excedamus, et iis, quibuscum loquimur, fastidium et molestiam moveamus. Videndum quousque oratio nostra placeat audientibus. Quemadmodum considerandum est, antequam incipiamus loqui, ne aures aliorum offendamus, sic et in finiendo sermone nobis erit curæ, ne nimii simus, et nimia prolixitate de eodem argumento simus aliis odio. In primis videndum, quibuscum sermones serimus. Nam velle apud nautas de re rustica loqui, aut apud milites de navibus, et instrumento nautico, ineptum esset. Itaque ad eorum ingenium est accommodandus sermo, cum quibus seritur. GRÆV.

Nec omni tempore, nec similiter delectamur] Ms. Cant. omittit conjunctionem *nec* ante *similiter;* quam et omittendam esse arbitror, ut legamus, *nec omni tempore similiter delectamur:* id est, res, quæ nos delectant, non semper nos eodem modo delectant. PEARC.

Secandum, sic] Man. Lamb. *secandum medici; sic.*

Cap. 39. *Cn. Octavio*] De Perse rege Macedoniæ triumphavit post præturam, sed navali triumpho. Consul fuit anno U. C. DXXCIIX. De hoc etiam Cicero Philippic. IX. *Cn. Octavii clari et magni viri, qui primus in eam familiam, quæ postea viris fortissimis floruit, attulit consulatum, statuam videmus in Rostris: nemo enim novitati invidebat, nemo virtutem non honorabat.* GRÆV.

Novo homini] Non *novus* dicitur Octavius, quatenus respicitur familiæ origo, quam jamdudum Numa civitate donaverat: sed quod ante id tempus majores nullum magistratum populi suffragio datum gesserant. ANON.

Hic summi et clarissimi viri filius] M. Æmilii Scauri, principis senatus et triumphalis viri, cujus gravitas et abstinentia mirifice prædicatur ab omnibus. GRÆV.

In omni actione suscipienda] Quomodo cohærent hæc? suntne Ciceronis? Si enim conjungenda sunt cum postremis verbis capitis superioris, non habent locum illa, *sed hæc hactenus.* Quicumque sit auctor, per quamdam veluti epitomen colligit in tria capita, quæ hactenus de ornatu ad actionem apto sunt explicata, vel explicata fuisse putat. FAC.

Ad liberalem speciem, et dignitatem] Liberalitatem hic Cicero vocat sumptum et magnificentiam qua utimur in iis quæ pertinent ad cultum vitæ. *Species* autem et *dignitas* est externa pompa, splendor, ornatus, qui in cultu et alio paratu in oculos hominum incurrit. GRÆV.

Decus ipsum tenere] Decorum, non *decus*, dicendum videbatur, quemadmodum hactenus dixit: Decus enim significat honestatem ut in lib. 3. cap. 17. vel cum honestate conjungitur, ut in lib. I. cap. 4. tametsi discrimen est aliquod inter utramque vocem, ut inter honestum et decorum, quod magis intelligi quam explicari potest. Cui porro satis probatur hæc loquendi ratio, *modus est optimus tenere decus?* FAC.

Cap. 40. *Modestia sit scientia earum rerum, quæ agentur, aut dicentur, loco suo collocandarum*] Duplicem Cicero facit modestiam, ut annotavit Isaac. Casaubonus ad Theophrasti Characteres, de hoc loco disputans: alteram in qua modus spectatur, ea est μετριότης: alteram, in qua ordinis est conservatio, ea est Stoicorum εὐταξία. Neque dubium est Ciceronem duabus dictionibus fuisse usurum, si potuisset, hoc est, si tulisset Latini sermonis paupertas. Non tamen soli Stoici sic definierunt εὐταξίαν, sed Andronicus Rhodius Peripateticus, qui ubi de σωφροσύνῃ agit, subjicit: εὐταξία ἐμπειρία καταχωρισμοῦ πράξεως. Non potuit rotundius vis Græcorum verborum exprimi, ut hic fecit Cicero, cum dixit *scientiam esse earum rerum, quæ aguntur, aut dicuntur, suo loco collocandarum.* Adjicit Andronicus et aliam definitionem, ἡ περὶ τὰς πράξεις ἔχουσα τὸ βέβαιον. Alludit horsum Tullius: *Talis est igitur*, ait, *ordo actionum adhibendus, ut quemadmodum in oratione constanti, sic in vita omnia sint apta inter se, et convenientia.* GRÆV.

Locum autem actionis] Locus actionis est ipsum actionis tempus: et loco agere aliquid, vel agere in loco, est agere pro temporis ratione et opportunitate. FAC.

Sed potest eadem esse prudentiæ definitio] Quia rationem ostendit, qua quidque faciendum sit. Itaque prudentiæ nomine virtutes omnes Socrates intelligit. Et Plato in Legibus *prudentiam* oculum, *justitiam* pulchritudinem, *temperantiam* sanitatem, *fortitudinem* manum animi virtute instructi eleganter nuncupat. GRÆV.

Temperantia] Hæc princeps est hujus classis virtus: et hanc ipsam ordinem vocat Alcinous de doctrina Platonis cap. 21. quatenus in eo, qui temperans est, appetitus paret, et ratio imperat, pro naturali harum facultatum constitutione atque ordine. FACC.

Cum haberet collegam in prætura

Sophoclem] Periclis in prætura collega Sophocles fuit bello Samio, ut Strabo lib. 14. scribit. Hoc autem bellum Periclis ductu et auspiciis gestum ab Atheniensibus fuit anno quarto Olymp. XXCIV. de quo Diodorus lib. XII. et Plutarchus in Pericle. FABRIT.

Meditetur] Tacito murmure secum loquatur. FAC.

Cap. 41. *Ut si quid Socrates* aut *Aristippus contra morem....fecerint locutive sint*] Cum verba *fecerint* et *locuti sint* pluralis sint numeri, legendum esse arbitror, Latinæ linguæ ratione postulante, *ut, si quid Socrates* et *Aristippus*, &c. Nam, si cum vulgatis editionibus legamus *aut*, necesse videtur, ut sequantur verba singularis numeri. Sic in Tusc. disp. V. 9. *sed si Socrates* aut *Antisthenes* diceret: et, *præclare, si Aristo Chius* aut *si Zeno Stoicus* diceret. PEARC. Ne totus assentiar, facit Sanctii hæc animadversio, *Minerv.* I. 18. *Omnes sunt conjunctiones, etiamsi videantur disjungere.* Phrasis Ciceroniana, ut idem docet, sic resolvenda est: *Si quid Socrates fecerit, aut si quid Aristippus fecerit.* Numeri duo singulares in pluralem confluunt. OLIVET.

Cap. 42. *Totumque ludum talarium*] Non quod talis aut alea ludere fuerit vetitum, et illicitum apud Romanos, ut quidam existimant. Nam alea luserunt etiam viri honestissimi, ut Augustus apud Suetonium in ejus vita cap. 71. et tristis ille Cato, ut auctor est Plutarchus in ejus vita, Hinc ipse dicit apud Ciceronem in libro de Senectute: *Nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquant et tesseras.* Sed tamen ludus talarius hic damnatur, et aleatores non solum in jure Romano fuerunt infames, sed et in omnibus rebus publicis bene constitutis. Verum sicut non infames sunt *fœneratores*, qui usuras legitimas paciscuntur, nec *saltatores* infames, qui sive sacrorum, sive animi causa non indecore saltant, sic non sunt infames qui oblectandi, non lucri causa aleam ludunt, quod Augustus apud Sueton. cap. 72. vocat *simpliciter* et γεροντικῶς *ludere.* GRÆV.

Si tenuis] Qui emunt Patavii, quod vendant Patavii, et statim vendant; ut supra dixit. Ital. *rivenduglioli.* FACC.

Sin magna et copiosa] Intelligit, quos Græci non simpliciter ἐμπόρους, sed μεγαλεμπόρους, Latini *magnarios negotiatores*, ut Apuleius, qui per aversionem emunt, ac vendunt, non per partes. Nec sic quidem magnopere laudandos esse, qui magnariam hanc mercaturam exercent, docet hic Cicero, nisi quæstu abdicato, et catalysi facta artis quæstuariæ, sese in agros conferant. Nimirum eo hæc recidunt, ut cum Platone et Aristotele sentiat, agriculturam digniorem esse homine libero, et liberaliter educato, quam aliam artem quamlibet unde hominibus vita toleratur. Quod et ipse fateor. Idemque judicium Gallorum nostrorum, qui bono genere prognatis parum convenire mercaturam existimant, ut nobilitate excedere sit, eam colere, aut quamcumque ejus speciem attingere. Et sane nihil tam dedecet generosum animum, quam fallere, decipere, simulare, ac mentiri. Quod adeo familiare est mercatoribus, ut congenitum videatur, et sine his sacra eorum constare vix videantur. Nobiliores nostri in agris vivunt, et mercimonia sic dedignantur, ut quo jure utimur, simul aliquis mercator et nobilis esse non queat. Quid enim illo hominum genere vanius, quid infidelius, aut mendaciloquum magis? Nec amicis, nec parentibus parcunt, dum rem faciant. Perjuria, fraudes, fallaciæ, offuciæ tela sunt et machinæ, quibus opes amplificant suas, ut de minimis repente, immo de nihilo ad summum provolent. Merito ergo et qui claris essent natalibus, et dignitate aliqua conspicui, immo et qui in re paulo lautiore, negotiari prohibentur lege Honorii ac Theodosii, quam in codicem suum retulit Justinianus tit. de commerciis et mercatoribus. *Nobiliores*, inquit, *natalibus et honorum luce*,

conspicuores, et patrimonio ditiores, perniciosum urbibus mercimonium exercere prohibemus ut inter plebeios et negotiatores facilius sit emendi vendendique commercium. Sic enim verba legis emendavimus ex scriptis codicibus, qui habent *conspicuo ore*, pro *conspicuores.* Omnia enim hic enuntiata in comparandi gradu. At *conspicuior* περιβλέπτερος, ut *egregior* et *idoneior* apud jurisconsultos. Ut nobiles autem hic et magistratu fungentes vel divites prohibentur mercaturis insistère, ita mercatoribus ad ullam militiam adspirare interdictum voluit Justinianus, leg. un. codicis, *Negotiatores ne militent.* SALMASIUS.

Sine vanitate] Sine mendacio. FAC.

Cap. 43. *Qui locus a Panætio est prætermissus*] Non mirum. Stoicis enim placebat peccata esse paria, ut notum est, et nullum esse medium inter virtutem et vitium. GRÆV.

Officia, quæ ex communitate, quam ea, quæ ex cognitione ducantur.] Hoc est, illa officia, quæ faciunt ad societatem humanam tuendam, quam quæ versantur in inquirendo vero. Et hoc nihil est certius. Superius in capite sexto id satis ostenderat: *veri investigandi studio a rebus gerundis abduci contra officium est.* Nodus in scirpo non est hic quærendus. IDEM.

Excedat e vita] Hæc lectio communior est, sed nimio plus significat: mihi arridet, *excidat e vita,* scilicet contabescat velut pars a suo corpore rescissa. Amittit enim potissimum vitæ bonum; nec ea vita dicenda est, sed βίος ἄβιος, ut eam vocat Aristoteles, *vita non vitalis.* FAC.

Rerum est divinarum atque humanarum scientia] Per res divinas intelligit naturales, et illarum causas, uti non solum patet ex sequentibus, ubi docet exemplis cur ea quæ pertinent ad societatem hominum, præferenda sint iis, quæ pertinent ad communitatem, quæ est inter homines et deos; nominat enim cognitionem rerum naturæ, dinumerationem stellarum, mensuram magnitudinis mundi. Et sic veteres loquebantur. Seneca præfat. Quæst. Natural. *Hoc habet argumentum divinitatis suæ animus, quod illum divina delectant.* Quæ sint illa divina et in libris illis quæstionum naturalium ostendit, et in toto illo procemio, nimirum naturæ contemplatio. Et hoc loquendi genus plane philosophorum gentilium plerorumque omnium sententiæ recte convenit, qui statuebant aut mundum esse Deum, aut Dei partem. Harum autem rerum scientiam, sapientiam vocat Cicero, in qua contineatur deorum et hominum communitas, sicut vocabulum sapientiæ varie usurpatur cum a Cicerone, tum ab aliis philosophis; humanarum autem rerum scientiam, quæ complectitur doctrinam societatis humanæ tuendæ, Sic hic Ciceronis locus intelligendus, male vexatus a doctis viris. GRÆV.

Deorum et hominum communitas] Philosophi isti communitatis voce non homines modo, sed Deos quoque comprehendebant, quorum numine et providentia ita contineri rerum universitatem putabant, ut ne ipsi quidem excluderentur. *Mundum* (inquit Cicero lib. 3. de Finib. cap. 19.) *censent regi numine deorum, eumque esse quasi communem urbem et civitatem hominum, et deorum.* FAC.

Quod a communitate ducatur officium, id esse maximum] Maximum officium est, quod ducitur a sapientia, quæ maxima est et princeps omnium. Sola contemplatio rerum naturalium non est perfecta sine rerum actione. Homo enim ad duas res natus est, ad contemplandum et agendum. Officium maximum implet, si utrumque agit. Præstat tamen actio, quam contemplatio, cum illa pro communi hominum societate et utilitate suscipitur, quia vitæ humanæ plus prodest, quam rerum absconditarum scientia. Tales sapientes fuerunt ante Socratem philosophi omnes, sed quia inutilis censebatur esse vitæ humanæ illorum doctrina, ideo Socrates primus e cœlo dicitur deduxisse philosophiam, qui de bonis et malis disputavit, et quæ supra nos, nihil ad nos

pertinere dixit. Græv. Hic porro Cicero insistit, quia Peripateticis, apud quos Filius instituebatur, *maxime placuit vitæ degendæ ratio quieta in contemplatione et cognitione posita rerum*, ut est in lib. 5. de Fin. cap. 4. Fac.

Cognitioni anteponenda, &c.] Ita vulgo legitur: sed non solet Cicero ita loqui. Nisi fallor, tota hæc conclusio, *Pertinet igitur*, &c. adulterina est, aut legendum. *Pertinet igitur ad societatem generis humani, et cognitioni anteponenda est.* Idem.

Judicat] Man. Lamb. *indicat*.

Cap. 44. *Itaque nisi*, &c.] Si periodus hæc ante superiorem transferatur, aptius cohærebit oratio; quod cuilibet attente consideranti facile erit ad intelligendum. Fac.

Itemque magnitudo, &c.] Membrum hoc addidere Grammatici, ne fortitudinis virtus in hac comparatione videretur omissa. Tum, ne hians esset oratio, alterum quoque membrum affinxerunt. Sed in hac comparatione, ut dixi, fortitudo non separatur ab justitia, sine qua furor est: utraque autem nomine uno actionis continetur. Idem.

Nec verum est, &c.] Orationis contextus rectior esset si periodus hæc proxime post *cogitandique solertiam* collocaretur. Locum hunc totum inversum et confusum ita legere malim. *Itaque nisi ea virtus, quæ constat ex hominibus tuendis, id est ex societate generis humani, attingat rerum cognitionem: solivaga cognitio et jejuna videatur. Atque ut apium examina non fingendorum favorum causa congregantur, sed, cum congregabilia natura sint, fingunt favos; sic homines, ac multo etiam magis, natura congregati, adhibent agendi cogitandique solertiam. Nec verum est, quod dicitur a quibusdam, propter necessitatem vitæ, quod ea quæ natura desideraret, consequi sine aliis, atque efficere non possemus, idcirco istam esse cum hominibus communitatem et societatem. Quod si*, &c. Idem.

Virgula divina] Nutu deorum, sine opera nostra. Vide eamdem sententiam paullo aliter expressam de Amicit. c. 23. Idem.

Cap. 45. *Sed* et hæc *commodius se res habet*] Turpis menda omnes obsidet editiones, quam sine mei primi codicis ope, cui tamen accedit Palatinus primus, nunquam deprehendissem. In illo scribitur: *Sed hoc commodius se res habet*. Quod quin omnes probaturi sint, qui Latina intelligunt, nullus dubito. Nam vulgata sunt ineptissima. Tanto melius, inquit, se res habet, ut non egeat disputatione, num officia justitiæ sint temperantie officiis præferenda, quia nunquam poterit accidere ut reip. causa quicquam flagitiosum suscipiat sapiens. Græv.

Etenim cognitionem] Duo hæc incisa mihi plane suspecta sunt. Ait autem, quicumque sit auctor, consideratam actionem præferendam esse prudenti cognitioni. Fac.

Prima diis] Nomine communitatis deos quoque ex disciplina Stoica Cicero complectitur; eorumque cultum inter Officia ponit, et quidem primo loco. En quomodo *pietas sit justitia adversus Deos*, ut dicitur lib. I. de Nat. Deor. c. 41. Idem.

DE OFFICIIS,

LIBER SECUNDUS.

Cap. 1. *In quo tum*] Periodus hæc supervacua est, et falsum aliquid continet nec recte cohæret. Vide Heumannum in Arte Critica not. XXXII. Fac.

Ut sæpe fecimus] Hæc addita fuisse puto, quod aliquis in margine scripserat: *ut sæpe fecit.* Revera non scripsit nisi pauca quædam, et informia, de quibus loqui videtur in lib. ad Atticum 14. ep. 17. Idem.

Quantum superfuerat amicorum et reipublicæ tempori] Mirum est in non obscuro loco aquam hæsisse tot viris eruditis. Illorum librorum, quos secuti sunt Victorius, Lambinus, Fabritius, Manutius nepos, scriptura legibus Latinæ linguæ adversatur. Scribendum enim fuisset *quantum superfuerat amicis et reip. temporis.* In Palat. primo et meo optimo est *tempori,* quod æque ferri potest ac *temporibus.* Sed cum *temporibus,* tanquam insolentius, et a palato triviali alienius, videatur immutatum esse a sciolo in *tempori,* inde natum est sequentibus seculis, quibus gestus omnis deliciarum pristinæ Latinæ linguæ exoleverat, *temporis.* Sed *temporibus* non est movendum. Non hoc profectum est ab interpolatorum audacia. Ipsa Ciceronis manus est, qui sæpe *tempus* et *tempora* vocat statum, conditionem, fortunam, sive hominum, sive reipublicæ. Grævius. Ego vero non id ago, ut ea refellam, quæ sunt a doctissimo Grævio in hunc locum disputata. Victorii tamen lectionem, *temporis,* non solum posse defendi, sed veram esse et rectam arbitror: neque aliter sentiet, qui cogitationem retulerit ad illam Tullii sententiam (Offic. I. 7.) *Ortus nostri partem patria vindicat, partem amici:* et lib. II. de Finib. cap. 14. *Non sibi se soli natum meminerit, sed patriæ, sed suis; ut perexigua pars ipsi relinquatur.* Quæro enim: Quid illud est, cujus homini, eo quod *non sibi* natus sit *soli, perexigua pars* relinquitur? Tempus. Quandocumque igitur tua opera aut amici indigent, aut patria, tempus id omne, quod agendis vel publicis patriæ, vel privatis amicorum rebus necessarium, non tuum est, et tui juris, sed patriæ est, atque amicorum. Jam apparet, ni fallor, quid his verbis Cicero: *Posteaquam me totum reipublicæ tradidi, tantum erat philosophiæ loci, quantum* mihi *superfuerat temporis amicorum et reipublicæ.* Hoc est: Cum reddideram amicis et reipublicæ partes temporis, quas vindicabant sibi jure suo, et illis ego debebam, si quid superfuerat, tum philosophiam sic quasi in locum vacuum neque occupatum admittebam. Quod si potius scripsit Cicero, *tempori,* vel *temporibus,* potest eodem pacto intelligi: *quantum* temporis *superfuerat tempori* debito et impenso amicis ac reipublicæ; quod erat re vera tempus *amicorum et reipublicæ.* Olivet.

Cap. 2. *Nullam dicere*] Alii *Nullam vero.* Sed apud Lactantium lib. 3. cap. 13. ubi locus hic affertur, non est particula *vero.* Fac.

Quod alio quodam libro] In libro, qui inscribitur *Hortensius.* Ætate D. Augustini adhuc extabat: ex eo autem valde se profecisse Augustinus scribit in lib. 3. Confess. c. 4. *Ille liber mutavit affectum meum, et ad te ipsum, Domine, mutavit preces meas, et vota ac desideria mea fecit alia.* Id.

Cap. 3. *Constitueret honestum esse aliquid, quod utile non esset, et utile*

quod non honestum] Sic et Socrates apud Cic. III. de Legibus, *exsecrari solitus est eum, qui primus utilitatem a natura sejunxisset: id enim querebatur esse caput exitiorum omnium.* GRÆVIUS.

Severe sane, atque honeste] Tria hæc adverbia margini, opinor, adscripta fuerant. Frigida sunt, et a more scribendi Tulliano prorsus aliena. FAC.

Ad eam spem traducenda] In multis libris est, *speciem*, quam Marsus formam, Maturantius decorum, pulchritudinem, honestatem interpretatur. Sed tamen *spem*, ex veteribus codicibus magis placet. Monet enim Cicero, homines in eam sententiam perducendos esse, ut non aliter sperent se ea, quæ cupiunt, assecuturos, quam si honesti, ac justi sint. GRÆVIUS.

Inanima] Alii *inanimata:* quod minus probandum, sive hic, sive alibi. FAC.

Apes] Hæc vox addita ab iis est, qui putarunt *apes* non esse inter pecudes. Sed etiam volatile genus est inter pecudes, unde homini usus. IDEM.

Earumque item rerum, &c.] In hac periodo alii alia addunt, vel demunt. Mihi tota insititia videtur. Si tollatur, et sensa et verba rectius habebunt. Ceterum, si retineri velit, ita offerenda est: *Earum item rerum, quæ noceant et prosint, eadem divisio est: sed quia Deos nocere non putant, his exceptis, homines hominibus obesse plurimum et prodesse arbitrantur.* IDEM.

His exceptis] Voces istæ *his exceptis*, ludimagistri cujuspiam lucernam olent. Ideo eas erasi. LANGIUS. Invitis libris, accedente auctoritate Servii in Æn. XII. non sunt eradendæ. Extant sane in Grævii primo, aliisque omnibus. GRÆV.

Obesse plurimum, vel prodesse] *Vel prodesse* non invenitur in Mss. ID.

Cap. 4. *Adde ductus*] Alii *Adde deductus.* Credibile est syllabam *de* ortam esse ex geminatione præcedentis. Attamen vox *deductus* placet Grævio, miraturque, quod absit a Lexicis. FAC.

Cultu bestiarum] Quinam est cultus bestiarum? Facile apparet, totum hoc membrum additum fuisse. ID.

Disciplina. Quas res] Man. Lamb. *disciplina: per quas bene beateque vivitur: quas res.*

Et commodis] Alii *et commodandis:* quod est a Nonio, ideoque non contemnendum. FAC.

Cap. 5. *Ceteris causis*] Lege Senecæ epistolam 103. IDEM.

Quarum impetu docet quædam hominum genera esse consumpta] Sic ranæ, et mures perdiderunt Autariatas, ac solum vertere coegerunt. Justinus lib. XV. *Cassander ab Apollonia rediens incidit in Autariatas* (sic enim legendum, non *Abderitas*, ut jam alii quoque monuerunt) *qui propter ranarum muriumque multitudinem, relicto patriæ solo, sedes quærebant.* Hi sunt illi populi, qui circa Poeoniam et Dardaniam habitantes a ranis miserum in modum coacti sunt relictis penatibus novas sedes quærere, ut ex Heraclide Lemb. prodidit Athenæus lib. VIII. Sic et M. Varro auctor, *ab ranis civitatem in Gallia pulsam* teste Plin VIII. 29. Chalcidenses, et Megarenses fugarunt mures, testante Æliano, et Heraclide in Politiis. In Latio Amyclas a serpentibus deletas tradunt Varro et Plinius. In Æthiopia regionem cultissimam et frequentissimam vastavit, et in solitudinem redegit scorpionum phalangiorum subito supervenientium ingens copia. *Ælian.* VII. cap. 40. Myusios in Asia, et Atarnitas infra Pergamum repente coorta culicum vis expulit ex patria. *Pausan.* in Achaicis: Rhaucios apum, *Ælian.* XVII. 37. Phaselitas vesparum, *Idem* XI. 28. Quæ debentur Samueli Bocharto, qui hæc et alia collegit huc pertinentia lib. IV. tom. 2. Hierozoici cap. 13. GRÆV.

Deinde comparat] Recta constructio pati non potest particulam *deinde*. Pro *comparat* autem malim *computat*. FACC.

Etenim virtus, &c.] Hæc omnia usque ad verba, *quibus autem rationibus,* &c. mihi videntur insititia. Primum enim supervacua sunt: deinde cur hic virtutem in tria capita dividit, quam superiore libro divisit in quatuor? Cur in capite primo eam solam philosophiæ partem collocat, quæ logica et physica tractat, cum antea sapientiam omnem et prudentiam in eo collocarit? Constructio quoque ipsa alicubi laborat, quamvis verba bona sint et Tulliana. IDEM.

Alterum, cohibere] Recta constructio poscit ut dicatur, *altera in cohibendo.* Idiotismus hic auctorem patefacit, scilicet illum ipsum qui caput 40. lib. I. formavit. Nam ibi quoque dicitur, *modus optimus est tenere decus.* IDEM.

Cap. 6. *Proxime trium*] Ducibus, in Thessalia, Pompeio magno: in Africa, Scipione et Juba Mauritaniæ rege: in Hispania, Pompeii liberis. ANON.

Summi ac singularis viri] Pompeii Magni, qui post cædem Pharsalicam imperio, arbitrioque Ægyptii mancipii jugulatus est. IDEM.

Pluribus de causis] Malim, *iisdem de causis.* Sed periodus hæc initio capitis collocari debet, expulsa illa quæ locum injuria occupat, nihilque est aliud quam verbosior explicatio alicujus Grammatici in contextum adscita. Totum hunc locum aliter legere malim. FACC.

Cap. 7. *Quem armis oppressa pertulit civitas, interitus declarat*] Duo alioqui vetustissima exemplaria habent: *unum quidem, quem armis oppressa pertulit civitas, apparet cujus maxime oportuit interitus declarat.* Alterum, *quem armis oppressa pertulit civitas apparet, cujus maxime opportune interitus declarat.* Fortassis ita legi possit: *apparet cujus maxime oportuit interitu, quantum,* &c. LANG. Mutilum esse locum nullum est dubium. Vestigia veri in omnibus veteribus libris, ex quibus hæc verba corrupta non sunt excisa, exstant. Sed id nulla vi humani ingenii, quacumque sit sollertia, potest deprehendi, sine ope melioris libri. Is vero est meus divinus, cæteris omnibus præstantior, in quo legas: *oppressa pertulit civitas, paret quæ cum maxime mortuo, interitus declarat.* Hæc utique Ciceronis manus est. Nihil argutius. Sed acumen hujus sententiæ cum non caperent librarii, orta sunt tanta in recentioribus libris prodigia scripturæ. *Paret quæ cum maxime mortuo* est, Quæ hoc ipso tempore quamvis extinctus sit tyrannus, mortuo tamen paret, hoc est Antonio et ejus satellitibus, qui Cæsaris acta confirmant, et ne rescindantur, neve libertas oppresa instauretur, impediunt. Hoc est de quo tantopere queritur in epistolis ad Atticum, tyrannum esse sublatum, sed non tyrannidem, nondum servitutis jugum excussum esse. Nesciverunt interpolatores quomodo civitas possit dici *parere mortuo,* et quid sit *cum maxime.* Hinc illæ labes, quibus inquinati sunt libri. *Parere mortuo* dicitur civitas, cujus instituta, leges, decreta, disciplinam civilem observat. Parebat mortuo tyranno Roma, cum ei columnam poneret in foro Numidici lapidis, eique inscriberet *Patri patriæ.* Parebat civitas mortuo, cum tyranni fautores et amicos pateretur in imperiis esse; tyrannicidas, qui orbis terræ custodiis septi debebant esse, parietibus contineret. Parebat mortuo, cum omnia tyranni facta defenderet, cum ne contra Cæsaris nutum quisquam hiscere auderet, cum fundos, domos, possessiones præstantissimorum civium a Cæsare occupatas pateretur possideri a verberonibus illis, quibus erant a Cæsare addictæ. Parebat mortuo, cum acciperet leges post ejus mortem, quas Antonius mentiebatur a Cæsare in comitiis latas. Vide ep. 12. lib. XIV. ad Atticum, et totum illum librum. In ep. 9. sic exclamat: *O dii boni! vivit tyrannis, tyrannus occidit! ejus interfecti morte lætamur, cujus facta defendimus!* Si tyrannis vivit occiso tyranno, paret tyranno mortuo civitas. *Cum*

maxime est, hoc ipso tempore, in præsenti, Seneca de Beneficiis III. 3. *Nemo nostrum novit id tempus, quod cum maxime transit, ad præterita vari animum retorquent.* Cic. de Harusp. responsis: *Antiqua negligimus, etiamne ea negligemus, quæ fiunt cum maxime?* Sic recte ex Mss. emendavit Zinzerlingius, vulgo male *maxime.* Hinc sæpe cum *nunc* tanquam synonymum jungitur apud comicos. Terent. Adelphis IV. 1. *Nunc cum maxime operis aliquid facere credo.* Græv.

Timefacta] Recentiores Critici ita legere malunt; sed vox hæc minus significat quam oporteat, nec recte respondet voci *intermissæ* quæ infra habetur: legere malim *tremefacta,* id est concussa et labefacta. Facc.

Aut judiciis tacitis] Interdum cum magno ambitu honores petebantur aperta largitione, ob candidatorum contentionem, disciplinæ, et institutis patriis legumque jussis repugnantem, populique tribus et centurias corrumpentem. Senatus decernebat, ut judicium fieret *tacitum* in candidatos, quo vel ante damnarentur ambitus: vel eorum comitiis ratio non haberetur, quod more majorum petisse non viderentur. De hoc genere judicii sic in ep. ad Atticum lib. IV. ep. 3. loquitur Cicero: *Senatus decrevit, ut tacitum judicium ante comitia fieret, ab iis consiliis, quæ erant omnibus sortita in singulos candidatos: magnus timor candidatorum.* Hinc meridiana luce clarius redditur, quod intempestæ noctis umbra videbatur obductum, quæ sint lib. II. Offic. *tacita judicia.* Turn. Sed Turnebi sententia de tacitis judiciis est ἀπροσδιόνυσος, ut nihil magis. Tacita judicia hic sunt, cum populus aliquo facto declarat, quid sentiat de statu reip. etsi non palam dicat. Ut de Romanis notavit Sueton. in Jul. lxxx. *Ne populo quidem jam præsenti statu læto, sed clam palamque detrectante dominationem, atque assertores flagitante. Peregrinis in senatum allectis libellus propositus est:* Bonum factum: Ne quis senatori novo curiam monstrare velit, &c. Paulo post: *Post remotos Cæsetium et Marullum tribunos, reperta sunt proximis comitiis complura suffragia, consules eos declarantium.* Subscripsere quidam L. Bruti statuæ: *Utinam viveres.* Item ipsius Cæsaris statuæ:

Brutus, quia reges ejecit, consul primus factus est;
Hic quia consules ejecit, rex postremo factus est.

Hæc sunt tacita judicia populi significantis his libellis, et hac ratione in comitiis, qui ejus esset sensus de illo tempore, quo demersæ jacebant leges opibus Cæsaris. De talibus tacitis judiciis sæpe loquitur etiam in epistolis ad Atticum Cicero lib. II. ep. 19. *Populi sensus maxime theatro et spectaculis perspectus est. Nam gladiatoribus, qua dominus, qua advocati sibilis conscissi. Ludis Apollinaribus Diphilus tragœdus in nostrum Pompeium petulanter invectus est:* Nostra miseria tu es Magnus, *millies coactus est dicere.* Eandem virtutem istam veniet tempus cum graviter gemes, *totius theatri clamor dixit, itemque cætera.' Nam et ejusmodi sunt ii versus, ut in tempus ab inimico Pompeii scripti esse videantur.* Si neque leges, neque mores cogunt, *et cætera magno cum fremitu et clamore sunt dicta. Cæsar cum venisset mortuo plausu, Curio filius est insecutus. Huic ita plausum est, ut salva rep. Pompeio plaudi solebat. Tulit Cæsar graviter.* Plura tacitorum judiciorum exempla in illo libro invenies facile. Græv.

Barbarum, et eum quidem compunctum notis Threiciis] Mihi videtur hic Cicero non satis habuisse, barbarum dixisse, nisi adderet *compunctum notis Threiciis*: non quo eum servum intelligeremus, sed ut in immani barbaria natum. Nam Thraces tales habebantur. Proinde in Pisonem scribitur, *Consulem vestrum tanquam aliquem Thracem ad cædem faciendam conduceret.* Hoc autem obiter dicendum est, ut Romani imp. prætorianis

militibus et centurionibus ad cædem uti solebant: sic olim tyrannos Thracibus earum rerum ministris et satellitibus usos fuisse. Hesychius Τράλλεις· οὕτως ἐκαλοῦντο μισθοφόροι Θρᾶκες, τοῖς βασιλεῦσιν οἱ τὰς φονικὰς χρείας πληροῦντες. Thraces autem, ut et aliæ quædam nationes barbaræ, se stigmatis notabant, vel, ut Cicero libro II. de Officiis loquitur, *notis compungebant*. Strabo libro septimo, κατάστικτοι δὲ ὁμοίως καὶ τοῖς ἄλλοις Ἰλλυρίοις καὶ Θρᾳξί. Phanocles etiam canit irrogatam a viris eam esse pœnam mulieribus in Thracia corporis notis pungendi, et scribellandi, ob Orphei necem, ut sceleris recordarentur. TURNEBUS. Advers. III. cap. 16.

Districto gladio] Rectius vetus liber: *destricto gladio*. Sic videtur et in aliis locis legendum, ubi de gladiis agitur. Aliud est *districtus*, nimirum distentus, occupatus; aliud *destrictus*, hoc est e vagina extractus. Vide et quæ amplissimus et mei studiosissimus vir Gisbertus Cuperus lib. IV. Observat. de harum vocum discrimine docte notavit. GRÆV.

Ut hic noster] J. Cæsar, in senatu tribus et viginti vulneribus confossus. ERASMUS.

Demetrium] Poliorceten. Vide Plutarch. in vita Pyrrhi et Demetrii, et Justin. XVI. 2. GRÆV.

Spectatoresque se otiosos præbuerunt Leuctricæ calamitatis] Vide C. Nep. vita Epaminondæ XV. 7. IDEM.

Cap. 8. *Quamdiu imperium populi Romani beneficiis tenebatur*] Hoc vero factum esse docuit quoque Sallustius in Catilin. cap. 9. ubi cum dixisset, audacia in bello, et ubi pax evenerat, æquitate veteres illos remp. curasse, de pacis documentis sic ait: *in pace vero quod beneficiis magis, quam metu imperium agitabant, et accepta injuria, ignoscere quam persequi malebant*. Quod Scipio quoque testatur apud Livium lib. XXVI. ubi obsides bonum animum habere jussit, addita ratione hac: *venisse eos in populi Romani potestatem, qui beneficio, quam metu obligare homines mālit, exterasque gentes fide ac societate junctas habere, quam tristi subjectas servitio*. IDEM.

Aut mites] Vide Grot. III. de Jure Belli et Pacis cap. 11. §. 6. et 7. et in primis totum caput 15. ejusdem libri. IDEM.

Aut necessarii] Nimirum cum ratio reipublicæ postularet, ut urbes exscinderentur, gentes vastarentur, aut victi durius haberentur, cumque pax infida et incerta esset, nisi hostes illi delerentur. Propter quam causam Cato semper censebat, Carthaginem esse delendam. Sed quod temperamentum circa vastationem et similia sit tenendum, vide Grot. III. de Jure Belli et Pacis cap. 12. IDEM.

Regum, populorum, nationum portus erat et refugium senatus] Salutare fuisse Romanum imperium toti orbi terrarum, multifariam veteres testantur. Magnifice Plutarch. libro de virtute et fortuna Romanorum, Romam vocat πᾶσιν ἀνθρώποις ἑστίαν ἱερὰν, &c. *Omnibus mortalibus focum vere sacrum atque almum, retinaculum firmum, elementum æternum, rebus mundi salo atque errore fluctuantibus stationem ad jaciendam ancoram*, ut recte hunc locum vertit Isaacus Casaub. Plinius lib. III. cap. 6. de Italia: *Numine deum electa, quæ cœlum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia, ritusque molliret: et tot populorum discordes ferasque linguas, sermonis commercio contraheret: colloquia, et humanitatem homini daret: breviterque, una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret*. IDEM.

Secuta est honestam causam non honesta victoria] Causam probat belli, quia Sylla partes optimatum fovebat et tuebatur contra populares: victoriam improbat, quia erat crudelis, sæva et cruenta. IDEM.

Ad exemplum amissi imperii] Eversæ reipublicæ, cum de hostibus, non de sociis triumphari soleret. MAN.

Massiliam] Urbem populi Romani amicam, cujus imago in triumpho Cæsaris. ERAS.

Quam P. Sylla cum vibrasset, dicta-

tore propinquo suo] P. Syllæ, pro quo ipsius extat oratio, avaritiam notat; qui L. Sylla dictatore proscriptionibus præfuerit; quibus velut imbutus, sexto et tricesimo postea anno, C. Cæsaris partes secutus sit, non multo humaniorem in remp. animum præ se ferentis. Suetonius sane scribit suspicionem fuisse, quod Cæsar ante quam ædilitatem iniret, cum M. Crasso, P. Sylla et L. Autronio conspirasset. Langius. *Dictatore propinquo suo*] L. Cornelius Sylla dictator fuit patruus P. Syllæ: nam Ser. Cornelii Syllæ fratris L. Syllæ filius fuit P. Sylla, ut Sallustius in Catilin. ostendit. Fabrit.

Alter autem, qui in illa dictatura scriba fuerat, in hac fuit quæstor urbanus] In Syllæ dictatura fuit Cornelius, de quo Lepidus apud Sallustium, in Fragm. *Scilicet, quia non aliter salvi, satisque tuti in imperio eritis, nisi Vettius Picens, et scriba Cornelius aliena bene parta prodegerint.* Quod cum Franc. Maturantius et Petrus Marsus patrum nostrorum memoria in suis commentariis admonuerint, miror esse nunc homines bene doctos, qui scribant, non satis constare, quis hic sit intelligendus. Idem.

Ad cujusque vitam instituendam accommodandum] Excerpta Pithoei, undecim libri Manutii, editio princeps longe rectius: *ad cujusque vitam institutam accommodandum.* Hoc est, ad illud vitæ genus, quod quis sequendum sibi statuit, et legit, est referendum, num multis opus habeat an paucis amicis. Græv.

Nostra mirantium] Qui nos colant, et observent: quod faciunt, qui alicujus res, et bona præsertim animi mirantur. Matur.

Cap. 9. *Qui inscribitur Lælius*] Vix est, ut hoc a Cicerone, non a magistro quodam sit. Guliel. Et alii animadverterunt, et nos certo certius habemus, verba hæc addita ab aliquo Grammatico fuisse. Facc.

Nostri libri] Memorat volumen de Gloria etiam ad Atticum lib. XV. epist. 27. et lib. XVI. epist. 2. et Gellius lib. XV. cap. 6. Nunc quidem desideratur. Idem.

Beneficiis capitur] In opt. libro, *carpitur*, scriptum est. *Carpere fructus*, in Paradox. *carpere corpus*, alibi: sic *carpere* lanam mulieres dicimus. Lang.

Et fidis] Insititium est. Incidit enim in battologiam, qui dicit fidis haberi fidem. Facc.

Id est, bonis] Ita in Partition. Orator. c. 22. justitia appellatur bonitas. De hac *viri boni* significatione vide lib. III. cap. 15. Idem.

Quo enim quis versutior, hoc invisior et suspectior] Exemplo sit, ne de aliis dicam, Alcibiades, versutissimus mortalium. Cum classis Atheniensium ei commissa funderetur; non fortuna belli, sed fraude imperatoris cladem hanc se credebant accepisse: quia, ut Justinus ait, *omnia credibilia in Alcibiade vigor ingenii et morum luxuria faciebat.* Græv.

Justitia sine prudentia, &c.] Verba hæc usque ad *Sed* irrepsere ex libri margine in contextum, ut cuilibet consideranti patebit. Facc.

Cap. 10. *Eos contemnunt quidem neutiquam*] Sic Langius et Lambinus ediderunt: eodemque modo in uno ex manuscriptis nostris legitur. Cæteri cum vulgatis habent, *Haud eos contemnunt quidem, sed de iis*, &c. *Neutiquam* est nullo modo, ut de Senectute: *Mihi vero et Flacco neutiquam probari potuit.* Fabr.

Nec alteri, ut dicitur] Man. *nec alteri prosunt, ut dicitur.*

Nec sibi, nec alteri] Ita fere proverbiales sententiæ afferuntur, quasi vulgo vel a primo verbo notæ. Langius.

Admiratione autem afficiunt *ii*] Sic legendum libris omnibus invitis, non, ut vulgo, *admiratione afficiuntur*. Nam *admiratione affici* dicuntur, qui admirantur alterum; *admiratione afficere* autem, ii, qui sunt aliis admirabiles, propter aliquam præstantiam, ut hic. Lamb. Minime gentium librorum præstantium scriptura est movenda. Nam *admiratione afficiuntur* qui tales

se præbent, ut eos homines admirentur et colant. Sic *honore affici* dicuntur, qui honorantur, *præmio affici*, in quos præmium confertur. Græv.

Tum quis] Quis horum fortitudinem non admiretur? Adverte ἀνακόλουθον. Facc.

Hunc igni spectatum] Vict. Man. *hunc dignum spectatu.*

Cap. 11. *Hunc igni spectatum arbitrantur*] Hanc veterem scripturam primus, quod equidem sciam, Petrus Balduinus in lucem protulit, ac simili Platonis loco ex VI. de Republ. confirmavit. Igni vero aurum optime probari, in vulgus notum est. Hoc Plato etiam lib. III. de Rep. χρυσὸν ἐν πυρὶ βασανίζειν, dicit. Ovidius, *Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum.* Hanc igitur lectionem Carolus Langius in tribus libris antiquis inventam, ut ipse fatetur, immerito repudiavit: Lambinus vero et Turnebus lib. XIX. Advers. cap. 1. recte probant, et vulgatam illam, *Hunc dignum spectatu arbitrantur*, improbant. At enim Cicero *virum spectatum* sæpe dicit. Recte: *dignum* vero *spectatu* ubi unquam dixit? Quem autem pecunia non moveri sit perspectum, eum non jam dignum spectatu, sed satis spectatum et cognitum dixeris. Est igitur retinenda vetus lectio, in qua inest translatio ab auro optimo, perfectissimo, et purissimo: quæ verecundior fiet, si legas, *Hunc tanquam igni spectatum*, idque Lambino placere intelligo. Fabrit.

Solitario] Solitarius homo, et qui in agro vitam agit, sumuntur hic pro duobus generibus hominum. Aliter non regerent verba pluralis numeri, quæ proxime sequuntur. Facc.

Injusti habebuntur] Duo hæc verba, ipsi quoque Manutio supervacua visa sunt, et percommode omitti possunt. Idem.

Bardylis] Conjectura non omnino inani, ut puto, adducor, ut suspicer, hunc esse *Bardylin* Illyrium, quem Theopompus opes regias apud Illyrios habuisse, atque a Philippo Amyntæ filio victum oppidis nominis Macedonici cessisse, in Philippicis scriptum reliquerit. Lege Diodorum Siculum lib. XVI. Fabrit. Hujus Bardylios filiam Bircennam uxorem duxit Pyrrhus, teste Plutarch. in ejus vita.

Viriatus] Ex pastore venator, ex venatore latro, mox vasti quoque exercitus dux factus, tandem a proditoribus, Servilii Cæpionis consilio, interemptus est. Vide Florum, Patercul. &c.

Cap. 12. *Premeretur inops multitudo*] Vict. Man. Lamb. *premeretur initio multitudo.*

Adjuncto vero] Locutio elegans et usitata. Sallust. lib. V. Historiarum apud Priscian. *At Lucullus, audito Marcium regem procos. per Lycaoniam cum tribus legionibus in Ciliciam tendere.* Et iterum: *Legiones Valerianæ comperto, lege Gabinia Bithyniam et Pontum consuli datum, missos esse.* Lang.

Hanc viam ad gloriam proximam et quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut qualis haberi vellet, talis esset] Vide de hoc loco, et unde hauserit Cicero hoc apophthegma Socratis, disputantem P. Victorium Var. Lect. libro V. cap. 11. Græv.

Cap. 13. *Si quis ab ineunte ætate habet causam celebritatis et nominis, aut a patre acceptam*] Si quis claris parentibus est natus. Hinc nobilitatem vocat blandam conciliatriculam Cic. pro Sext. c. 9. *Erat hominum opinioni nobilitate ipsa, blanda conciliatricula, commendatus.* Senec. IV. de Benef. 30. *Non sine ratione sacra est magnarum virtutum memoria: et esse plures bonos juvat, si gratia bonorum non cum ipsis cadat. Ciceronem filium quæ res consulem fecit, nisi pater? Cinnam nuper quæ res ad consulatum recepit ex hostium castris? Quæ Sextum Pompeium, aliosque Pompeios, nisi unius viri magnitudo? tanta quidem, ut satis alte omnes suos etiam ruina ejus attolleret. Quid nuper Fabium Persicum, cujus osculum etiam impuri vitabant, sacerdotem non in uno colle-*

gio fecit, nisi Verrucosi, et Allobrogici, et illi trecenti, qui hostium incursioni pro rep. unam domum objecerant? Hoc debemus virtutibus, ut non præsentes solum illas, sed etiam ablatas e conspectu colamus. Græv.

Aut aliquo casu] Qualis fuit Æmilius Lepidus, *qui puer etiam tum progressus in aciem, hostem interemit, civem servavit; cujus tam memorabilis operis index est in Capitolio statua bullata, et incincta prætexta S. C. posita. Iniquum enim putavit, eum honori nondum tempestivum videri, qui jam virtuti maturus fuisset.* Ut litteris prodidit Valer. Max. III. 1. ubi vide plura eorum exempla, quos casus adolescentia illustravit. Idem.

Alæ alteri præfecisset] Alæ tum temporis dicebantur equitum turmæ ex provincialibus conscriptæ, quas in legionariarum xxx. turmarum locum, quæ olim legebantur ex equestri ordine, addebantur tum legionibus. Erant autem nonnunquam quinquagenariæ, nonnunquam milliariæ, sub primis certe imperatoribus, ut pluribus disputat vir genere et ingenio summus Herm. Rhabodus Schelius in accuratissimis dissertationibus ad Hyginum et Polybium de castris Romanorum. Vides autem non primum fuisse Augustum, qui liberis senatorum militiam auspicantibus, cum tribunatum legionis, tum præfecturas alarum dederit, ut Suetonius notat in ejus vita, sed hoc jam fecisse Pompeium. Sed quæ est illa *altera ala?* Singulæ legioni una tantum ala addebatur? Vereor ne τὸ *alteri* natum sit vitio librarii oscitantis ex voce *alæ* forte bis repetitæ, ideoque delendum, et scribendum *cum te Pompeius alæ præfecisset.* Nam licet duæ alæ legioni adjicerentur, aut plures essent in exercitu, et loquerentur de alis sociorum; quis tamen intelligeret, quæ esset ala altera, si non legionis nomen adscribatur? Sed hæc omnia sunt absurda iis, qui militiam Romanorum norunt. Itaque persuasissimum habeo τὸ *alteri* expungendum esse. Idem.

Graviores sunt] Vict. Man. Lamb. *graviores.*

Tum pietate] Duæ particulæ *tum* inserviunt conjunctioni, non ordini. Ait igitur, primam et potissimam commendationem oriri a modestia et pietate in parentes, et in suos benevolentia. Facc.

P. Rutilii adolescentiam] Recensetur etiam inter discipulos P. Mutii a Pomponio de Orig. Jur. §. 40. Ejus adolescentis familiaritate delectatus est C. Lælius sapiens. *Cic. in Læl.* Bello Numantino tribunus militum sub Scipione militavit, cujus historiam postea litteris mandavit. *Appian. in Iberic.* Tribunus plebis C. Hostilium Mancinum consularem a patre patrato Numantinis deditum, et non receptum, cum Romam rediisset, in senatum venire non dubitantem, e senatu jussit educi, quod eum civem negaret esse. *Cic. I. de Orat.* 40. Consulatum gessit A. U. 648. collega Cn. Manlio, vel Manlio Cn. F. Maximo, ut est in nummo aureo apud Golz. Post consulatum Q. Mucio P. L. P. M. Scævolæ Asiæ proconsuli legatus fuit. *Epit. Liv.* 70. De scriptis ejus vide Cujacium II. Observ. 27. et Torrent. ad Suet. Aug. 89. Rupert.

P. Mucii] Hic est P. Mucius P. F. Q. N. P. pron. Scævola. Consul fuit A. U. 620. collega L. Calpurnio Pisone Frugi. Pontificatum maximum adeptus est occiso fratre P. Licinio Crasso Muciano ab Aristonico in Asia. Tertius ejus frater fuit Q. Mucius Scævola augur. Omnes tres æque virtutis ac integritatis ac jurisprudentiæ laudibus floruerunt. P. Mucium pontificem Cicero in Bruto vocat jurisconsultorum disertissimum. Sed et filius ejus Q. Mucius Scævola juris fuit peritissimus. Vide de his Muciis Rupertum ad Pompon. de Orig. Juris. §. 39. et 41.

L. Crassus] Annos natus unum et viginti, ut Cicero testatur III. de Orat. sed secundum auctorem Dialogi de causis corruptæ eloquentiæ, quem Quintilianum esse nullus du-

bito, c. 34. annos natus undeviginti, C. Carbonem accusavit, et damnavit. GRÆV.

Cap. 14. *Orationis majorem vim habeat ad gloriam*] Vict. *orationis plurimum valeat, et majorem....* Lamb. *orationis plus possit, majoremque vim habeat, et ad gratiam, et ad gloriam.*

Animos hominum] Et in meo codice et in editione prima deest *hominum.* FACC.

Tamen etiam accusatio probata persæpe] Plerique olim adolescentes famam captabant accusatione. Plutarchus in Lucullo, cum scripsisset admodum juvenem accusasse patris sui accusatorem Servilium augurem, eamque rem probasse populum Romanum, tanquam excelsi animi, et decoris plenam, subjicit hæc verba: ἐδόκει δὲ καὶ ἄλλως αὐτοῖς, &c. *Videbatur alioquin Romanis, vel nulla causa justa suppetente, res non pudenda accusatio, sed delectabantur juvenibus improbos consectantibus ad instar canum generosorum, qui feras persequuntur.* GRÆV.

M. Antonius] Avus M. Antonii triumviri. Accusavit Cn. Papirium Carbonem. MANUT.

Duo Luculli] L. et M. admodum adolescentes paternas inimicitias magna cum gloria sunt persecuti, et patris sui accusatorem Servilium augurem accusarunt. Cic. et Plut. in Lucullo. FABRIT.

Pro Sardis, Julius] In vulgatis libris omnibus, consentientibus manuscriptis legitur, (præter Lambinum, quem nos hic sequimur) *pro Sardis, pro M. Albucio Julius,* quod perspicue mendosum et falsum est. Nam constat ex Divinatione in Verrem, C. Julium Cæsarem rogatum a Sardis T. Albucium accusasse, non defendisse. Quocirca Doletus, Manutius, Corradus, et Langius hic legendum putarunt, *pro Sardis in,* vel *contra Albucium Julius.* Sigonius in Fragmentis Ciceronis legit, *pro Sardis vero M. Albucium Julius Cæsar.* Lambinus totum illud, *pro M. Albucio,* non Ciceronis esse, verum ex annotatione natum putat. Itaque sustulit. FABRIT. Locum mendosum esse vere viderunt docti viri, sed non ausus tamen sum contra librorum omnium fidem aliquid immutare cum Paulo Manutio, Langio, et Lambino. Puto autem nomen hic excidisse accusatoris Albutii, quod nobis servavit Apuleius in Apologia, qui, ut claro patet, hæc verba Ciceronis, in quibus agit de juvenibus, qui laudem invenerunt et gloriam accusationibus, respicit. Verba ejus sunt: *Neque autem gloriæ causa me accusat, ut M. Antonius Cn. Carbonem, C. Mutius A. Albucium, P. Sulpitius Cn. Norbanum, C. Furius M. Aquilium, C. Curio Q. Metellum.* Vides hic omnes eos commemorari, quorum Cicero hic meminit, et C. Mucium vocari accusatorem *T. Albucii*: male enim in Apuleio scribi *A.* pro *T.* docti monuerunt dudum. Nec dubito *Mucium* quoque hic fuisse lectum olim, et ex hoc loco id nomen, ut cætera, haustum ab Apuleio. Sed cum librariorum incuria, aut alio quodam casu plures hujus vocis *Mucius* periissent litteræ, habitum fuit a scribis, ac lectoribus pro prænomine Albucii; et quia nemo reperiebatur, qui aut pro aut contra Albucium steterat, nomen Julii fuit loco suo motum, et huc male translatum. Videtur sane mihi Cicero scripsisse: *P. Sulpicii eloquentiam accusatio illustravit, cum seditiosum et inutilem civem C. Norbanum in judicium vocavit. Sed hoc quidem non est sæpe faciendum, nec unquam nisi aut reip. causa, ut ii quos ante dixi, aut ulciscendi, ut duo Luculli, aut patrocinio, ut nos pro Siculis, pro Sardis Julius; Mucius Albucium,* sc. reip. causa in judicium vocavit, sive accusavit. Nam Q. Mucium augurem diem T. Albucio dixisse de repetundis Cicero in Bruto quoque prodidit: *Mucius augur quod opus erat per se ipse dicebat: ut de pecuniis repetundis contra T. Albucium.* GRÆV.

M'. Aquilio] Vide Corradi annot. ad Bruti cap. 62.

M. Bruto] De quo locus insignis

est in eandem sententiam in Bruto de claris orat. cap. 34. Idem.

Judicio capitis arcessas] In prima editione legitur *in judicio capitis arcessas*, sed satis apparet duo hæc verba addita fuisse ab aliquo Interprete. Alii remedium attulere deleta particula *in*; sed legere malim *innocentem capitis arcessas*. Facc.

Modo ne nefarium] Vulgati omnes, si Grævium excipias, omittunt hanc vocem, *modo*, quam ille auctoritate sui codicis pervetusti addidit. "Hæc "verissima, inquit, hujus loci scrip- "tura præcidit omnes Ciceronem im- "pugnantium, quasi impia hic do- "cuisset, cum nefarios et impios de- "fendi posse statuisset, cavillationes, "et nos eum tuendi munere levat."

Cap. 15. *Sæpe idoneis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum*] Ambiguitate vocis *idoneis* inductus, injuria Lactantius invadit in hæc verba. Lactantii ævo, sicut et apud JCtos, *idonei* homines haud alii fere, quam boni et locupletes dicebantur: ideo tanquam astutum et ἐπικούρειον hoc præceptum reprehendit, quasi illis solum foret impertiendum, qui restituere possent, lib. VI. cap. 11. Et persuasit, quod mirum, Turnebo lib. III. Advers. c. 16. Sed *idoneos indigentes* omnino dicit Cicero probos homines paupertate oppressos: ut in Cæcilium: *ut homines idonei atque integri causam reip. legumque susciperent.* Et Cornific. IV. ad Herennium: *Populi officium est res optimas et homines idoneos maxime suis sententiis eligere et probare.* J. F. Gronov. IV. Observ. c. 9.

Sed diligenter] Recte Langius exponit *diligenter* cum dilectu, non cuivis promiscue, sed dignis et idoneis indigentibus. Sic *diligenter scribere* ep. Cic. est eleganter, magno verborum dilectu adhibito. In eodem sensu *diligentia* in Orat. pro Planc. *Non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia.* Hoc est, populus agit omnia temere, inconsulte, nullo rerum hominumve dilectu habito, et discrimine. Sic et *elegantia.* In Orat. pro Sylla: *Vos qui cum summa elegantia atque integritate vixistis.* Hoc est, adhibito judicio in omnibus rebus. Sunt ejusdem originis. Nam sicut a *diligo* est *diligens*, sic ab *eligo elegans* et *elegantia.* Qui sine dilectu donant, eos lepide Socrates Gratias virgines tanquam scorta prostituere dixit apud Stobæum: Σωκράτης ἰδὼν τινα προχείρως πᾶσι χαριζόμενον, &c. *Socrates, cum facile quendam omnibus gratificari, nulloque delectu suppeditare animadvertisset:* Male pereat, *inquit*, quia Gratias virgines prostituit. Græv.

Rapinæ] Præclare locum hunc explicatum habes apud Aristotelem in lib. 4. Ethic. c. 1. Facc.

Cap. 16. *Gladiatorum muneribus*] Meus optimus: *gladiatoriis muneribus*, quem sequor. Græv.

Aut æs alienum suscipiunt amicorum] Tales erant in Atheniensium republica ἐρανισταί. Dicebantur autem ἐρανισταὶ, qui amicorum æs alienum, collecta stipe ab aliis amicis, dissolvebant. Fuit enim apud Athenienses mos plenus pietatis et humanitatis, ut, qui adversa fortuna suis bonis erant evoluti, implorarent amicorum opem, ut eorum pecunia, quam quilibet pro facultatum modo, aut lubitu conferebat, levarentur anhelante inopia, hac tamen lege, ut, si quando quis in re lautiore cœpisset esse, et emersisset ex illa gravissima paupertate, singulis amicis, quod tum contulerant, restitueret. Hæc pecunia quæ conferebatur, dicebatur ἔρανος, et fuit medium quoddam inter δάνειον creditumque proprie dictum, et stipem quæ mendico datur, quam Græci ἐλεημοσύνην vocant. Qui illam conferebant, dicuntur ἐρανίζειν τινὶ, et qui accipiebant ἐρανίζεσθαι. De quo plura vide, quibus hæc debentur, apud Is. Casaubonum in notis ad Theophrasti Characteres περὶ αὐθαδείας, apud Salmas. de Usuris cap. 3. et Observationibus ad jus Atticum cap. 1. et seq. Idem.

Aristoteles] Alii legere malunt *Aristo*, qui philosophus fuit inter Stoi-

eos non postremus; quod videlicet nihil tale in Aristotelis operibus, quæ extant, inveniatur. Facc.

Verius nos reprehendit, qui has pecuniarum effusiones non admiremur] Sententia est hæc: Aristoteles graviter reprehendit nos scilicet omnes, qui non admiremur reperiri homines tam fatuos, qui tantum effundant pecuniæ in ludos, et munera, brevis temporis oblectationem; eos vero miremur, qui mina in obsessa urbe sextarium aquæ emerint. Hoc verbis sequentibus sic explicat: *sed cum attenderint* nimirum animum homines, *veniam necessitati dare*, hoc est, ignoscere hominibus tam caro aquam ementibus, nec id mirari: *in his immanibus jacturis infinitisque sumptibus*, qui scilicet fiunt in munera, *nihil nos magnopere mirari*, sed omnes judicare recte et bene illos impendi. Quæ maxime firmant lectionem verborum illorum, *nos reprehendit, qui pecuniarum effusiones non admiremur*, quæ et doctorum virorum conjecturæ, et nonnulli libri convellebant. Sed iis fraudi fuit personarum immutatio veteribus non infrequens, quod modo Cicero dicat, *nobis videri*, statim *cum attenderint*, cum videretur dicendum fuisse, *si attenderimus*. Sed Cicero sententiam respicit: per *nos* enim intelliguntur omnes ii qui hæc vane mirabantur: inter quos sane Cicero non erat. Porro *jacturæ* hic sunt sumptus, donationes, prodigæ largitiones, ut sæpe apud Ciceronem. Pro Cluent. *Primum illum judicem pecunia corrupit, deinde ipsum Aurium, non magna jactura facta, tollendum curavit.* Pro Flacco: *quæ jacturæ, quanta largitio?* Pro Milone: *qui annona levanda, jacturisque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in suspicionem incidit regni appetendi*, hoc est, largiendi de suo. Quæ loca debemus τῷ πάνυ Gronovio, qui plura congessit IV. de Pec. Vet. contra virum magnum, qui pro *jacturas* reponi volebat *pacturas*. Eum vide. Græv.

At ii] Vel adde, vel subaudi, *inquit*. Sunt enim verba Aristotelis. Si addis adde post *obsidentur*. Facc.

Aquæ sextarium mina] Sextam congii partem, id est libram unam et semissem, drachmis centum. Id.

Eaque a levissimo quoque] In codice Ms. Petri Delphini legitur *eaque a levissimo quoque animo*. Mihi hæc prorsus tollenda videntur. Addita fortasse margini fuerant ad id notandum, quod sequitur post verbum *colligit*. Itaque verba, *in quo tamen*, referenda puto ad tempus. Id ipsum animadvertit Heumannus in Arte Critic. n. XXXI. Id.

Luculli] Sic recte emendarunt viri docti: constat enim duos Lucullos fratres L. et M. eodem anno ædilitatem gessisse, de qua Plutarch. et Plin. lib. VIII. cap. 7. Fabr.

Magnificentissima] Produxit in arenam leones quingentos, pantheras sexcentas, et elephantos viginti. Fac.

Cap. 17. *Decumæ nomine*] Fructuum decumas primum regibus, deinde vero Diis præstari consuevisse, scribit Aurelius Victor de Origine Gentis Romanæ. Itaque narrat Suetonius in Caligula c. 26. *Scenicis ludis decumas datas;* hoc est, dona populo sparsa, si placet, in honorem Deorum. Id.

M. Seio] De quo Plinius, H. N. initio libri XV.

Gladiatoribus emptis] Cum Clodius magnam manum armatorum hominum comparasset, qua utebatur ad turbandam rempublicam, ad leges et judicia evertenda, ei ut resisteret Milo, et ipse gladiatores emit, et vim vi repulit. Vide Dionem lib. XXXI. ad annum U. C. 697. et Cic. II. ad Q. Fratrem ep. 6. Græv.

Principem Græciæ] Ex primariis Græciæ viris, ut Regulus dicitur lib. 3. c. 20. princeps populi Romani, et Cimon princeps Atheniensium a Nepote. Facc.

In præclara illa propylæa] Hæc erant arcis quæ Cecropia dicebatur, vestibula, lapide albo tecta, quibus exstruendis Pericles annos quinque, et bis mille ac duodecim talenta impendit, hoc est, nostra pecunia, duo-

decies centies mille, et septies mille ducenti coronati, teste Suida et Harpocratione in πρoπύλαια. Per solas horum vestibulorum portas quinque patebant aditus in arcem. Illarum claves archontes singuli singulis diebus tantum, ne tyrannidem affectare unquam possent, asservabant, quoque eas die habebant, dicebantur Ἐπιστάται. J. Meursius in Cecropia cap. 6. Græv.

Et tum] Particula *et* vacat. Irrepsit autem ab aliquo Grammatico, ut explicaret particulam *tum*. Aliqui legerunt *et tamen*, quod duas illas particulas concoquere non possent. Facc.

Cap. 18. *Restricti omnino*] Eo reposui *animo* ex meo codice, pro omnino: quæ particula quamvis sit in vulgatis omnibus, certe redundat, et abest ab editione prima. Id.

Deterrenda] Deterrent liberales viros ingrati, proindeque hostes habentur tenuiorum. Alii *deterenda*, hoc est minuenda. Id.

In suos Curiales] Male Manutius φράτορες exponit: sunt δημόται, ejusdem pagi homines. Curiales Latine vocavit Cicero, petito ex sua rep. vocabulo, quo Græcum expressit. Quis nescit populum Romanum divisum fuisse in triginta curias, quæ cum convenirent publice, curiata habebantur comitia? ejusdem vero curiæ homines dicebantur curiales. Populus vero Atticus erat descriptus in pagos, quos ipsi δήμους vocant; ejusdem vero pagi homines δημόται appellabantur. De Λακιά pago, e quo erat Cimon, vide Meursium in libro de δήμοις Atticis. Græv.

Cap. 19. *In jure cavere*] Est hominis juris prudentis, qui consultori suo rationem præscribit, formulamque dictitat paciscendi aut contrahendi, et monitis consilioque instruit, ne conditionem deteriorem faciat. Budæus.

Cum is esset] Ser. Sulpicium significari, recte Lambinus admonet. Atque ita Corradus quoque in Commentario doctissimo in Brutum Ciceronis hunc locum interpretatur: quem docti quidam inepte de Julio Cæsare intelligunt. Fabr.

Et gratior] Duo hæc verba redundare videntur Heumanno in Arte Crit. n. xxvii. Facc.

Patriis est moribus] Ad patrios mores accessit postea lex Cincia, quæ vetabat, ne quis ob causam orandam sibi pecuniam pacisceretur, vel munera acciperet. Innuit idem etiam in Paradoxo VI. Id.

Beneficia petentem] Quartus hic casus, additus verbo *licet*, animadvertendus. Habet et Plautus in Pseudolo sc. I. v. 14. Id.

Cap. 20. *Pecuniam qui habeat*] Vide Ant. Julianum de hac sententia disputantem apud Gell. I. 4. Græv.

Patrocinio vero] Alii addunt *tuo*. Si quid addendum, ego libenter adderem *dici*. Ita enim naturalis loquendi ratio poscit. Facc.

Utentior] Vict. Man. *potentior*. Lamb. *opulentior*.

Utentior] Vide Turneb. Advers. XIX. 1. qui tuetur antiqui libri scripturam, et *opulentior* a semidoctis hominibus proseminatum esse contendit. Sane meus quoque liber antiquissimus *utentior* probat. Eleganter utique. Nam *utentior* est qui plus impendit in cultum vitæ, qui pluribus utitur ad vitam tuendam, qui majores sumptus in se tuendo facit. Uti enim est sustinere impendia, se tueri, sustentare, ut docuit Gronovius lib. II. de Pecunia Vetere cap. 7. Græv.

Modo ne adjuvent] Modo ne propter divitias divitem juvemus, si vir non est bonus, sed propter bonitatem. Idem. Hæc tria verba Heumannus in Arte Critica n. xxvii. tollenda putat. Facc.

Cap. 21. *Utrisque*] Ita vulgo legitur, quæ vox, nec ipsa per se hoc loco ferenda videtur, nec recte cohæret cum duabus, quæ proxime sequuntur, particulis. Legendum *ut universis*. Id.

M. Octavii] *Cn. Octavius, M. filius, tantum auctoritate dicendoque valuit,*

ut legem Semproniam frumentariam populi frequentis suffragiis abrogaverit. Cic. in Bruto c. 62. Ex iis autem Tullii verbis, quibus in hoc loco Octavii laudat moderatam largitionem, fere colligere est, non totam Gracchi frumentariam legem abrogasse M. Octavium, sed nova lege sua quodam modo moderasse, rempublicam, et ærarium intolerabili damno sublevasse. Verum qua ratione hoc præstiterit, cum nullum istius extet caput, obscurum est. Videtur tamen statuisse vel majus pretium in singulos modios secundum annonæ caritatem, vel uti triente atque semisse minus, quam emptus esse, civibus modius venderetur. Tale quid Apuleia sequens lex frumentaria videtur insinuare, quæ modios denuo ad trientes atque semisses Semproniæ legis, hac Octavia abrogata, non sine tumultu redegit. Pig.

Philippus] L. Marcius Q. F. Q. N. Philippus, tribunus plebis fuit anno U. C. DCXLIX. Id.

Pontius] Samnitium imperator, qui Romanos ad furcas Caudinas sub jugum misit. Pronuntiavit autem hoc apophthegma, cum M. Curius ejus aurum contempsisset. Eras.

Tantum Italicum bellum propter judiciorum metum excitatum] Ex multis causis unam affert, tanquam solam et præcipuam Cicero. Nam in legibus Liviis fuerat, ut causam dicere cogerentur, qui suspecti essent corruptelæ munerum. Cum autem senatus illis legibus resisteret, Italicum seu sociale bellum motum est. J. Fr. Gron.

Cap. 22. *Copiosissimam urbem*] Corinthum, quam statuis, et picturis spoliavit, quibus ornaret Italiam. Erat autem Mummius ita rudis et incuriosus harum rerum, ut cum tabulas ac statuas in Italiam portandas locasset, jusserit, conducentibus prædici, si eas perdidissent, novas reddituros. Vell. Patercul. lib. I. cap. 13. Facc.

Civitatis atque urbis] Prima voce homines intelligit eodem jure viventes, eaque interdum ita late patet, ut multa oppida complectatur; altera locum mœnibus septum. Idem.

Cap. 23. *Lysandrum ephorum*] Non fuit hic Lysander Aristaclyti filius, qui vicit ad Ægos potamos, ut plerique interpretes existimant, sed Lysander Lybyos filius, ephorus, de quo Plutarchum in Agide vide. Græv.

Tyranni existerent] Machanidas et Nabis. De quibus Polybius et Livius. J. F. Gron.

Optimates exterminarentur] Vide Plutarchum in vita Cleomenis.

Africani nepotes] Cornelia Africani majoris filia nupsit Tib. Graccho, et ex eo peperit Caium, et Tiberium, si non bonos viros, certe magnos, ut ait Seneca. Facc.

Aratus Sicyonius] Cujus vitam scripsit Plutarchus.

Quinquaginta annorum possessiones movere] Quamvis vulgata non sit improbanda, rectius tamen meus primus: *possessiones moveri.* Græv.

Civium non divellere] Vict. Man. *civium defendere, non divellere.*

Habitant gratis, &c.] Ante verba hæc putat Heumannus deesse aliquid. De Arte Critica n. XVII. Facc.

Aliud, aliis] Vict. *aliud, quam.* Man. *aliud, nisi.*

Tabulæ novæ] Cum pristina debita supremi magistratus decreto abolentur. De quibus exstat erudita dissertatio Joannis Schefferi. Græv.

Cap. 24. *Non, si fuerit*] Hic locus elegantissimus pessime fuerat attrectatus. Hoc autem dicit: Vivendum in primis ne sit æs alienum, quod reip. officiat. Sin vero jam sit contractum, non per leges agrarias, non per novas tabulas, quærenda ratio ejus dissolvendi; ut scilicet creditores, quia locupletes sint, suum non consequantur; debitores, quia inopes, lucrentur alienum: hanc enim viam esse iniquam, tum etiam reip. damnosam. Ita enim futurum ut societas omnis tollatur, si rerum contrahendarum nulla fides sit: in summa, alieni rapiendi, sui perdendi libido augeatur desidiosis et improbis. Lan.

Armis et Castris] Modus proverbialis; quemadmodum dicitur, *velis remisque*. Facc.

At vero hic noster victor, tum quidem victus] Libri omnes manuscripti, *At vero hic nunc victor, tunc quidem victus, quæ cogitarat, tum ea perfecit, cum ejus jam nihil interesset.* Sic et Moguntiacensis, nisi quod pro *nunc*, habet *noster*, et contra pro *tunc*, habet *nunc*. C. Cæsar paucos dies ante quam iniret ædilitatem, in suspicionem venit conjurationis cum P. Sylla, M. Crasso, L. Autronio. Quod Plutarch. et Sueton. aperte referunt; Cicero hic indicat, ut supra monui. Salse igitur *hic noster victor*, et invidiose in mortuum; *tunc quidem victus*, nempe detecta conjuratione, et auctoribus partim cæsis, partim spe sua frustratis. Nam æs alienum causa fuit et illius, et Catilinariæ conspirationis, ut ex Sallustio patet. Refertur autem a Sueton. et Plutarch. Cæsarem anno post Catilinarios motus in Hispaniam procos. profecturum, a creditoribus fuisse retentum; ac M. Crassum DCCC. XV. talentorum pro eo spopondisse. Idem.

Ea perfecit] Non recte hæc cepit Langius de agris publicis, quos egentibus largitus est. Intelligenda sunt de æstimationibus possessionum, per quas quarta parte crediti creditores sunt fraudati. *Sueton.* Jul. XLII. *Cæsar* III. de Bell. Civ. I. Sequentia quoque *cum ejus nihil interesset*, respiciunt illa tempora, quibus Cæsar, spoliata Gallia, ære alieno, quo laboraverat maxime, liberatus erat. *Sueton.* in ejus vita cap. 18. J. Fr. Gronov.

Antipater Tyrius, Stoicus] Hic alius est ab illo Antipatro Tyrio, qui æqualis fuit Carneadi, quem scriptis oppugnavit, cum coram non auderet cum illo congredi, unde dictus est καλαμοβόας, quasi qui calamo clamaret, et auctor est Plutarchus de garrulitate. Dicebatur etiam Antipater Sidonius, ab aliis Tarsensis. Sed hic longè recentior est, æqualis Ciceroni et Catoni Uticensi. Græv.

Sed valetudo] Particula *sed* gratis addita ab aliquo Grammatico videtur. Interdum servit transitioni. Sed hic vacat. Facc.

Et observatione, quæ res] Familiare est Ciceroni nominibus constructionem verbi sui dare. Sic supra: *Spe, sibi id utile futurum.* Langius.

Cap. 25. *Locus erat quartus*] Primus locus: Honestum-ne sit, an non. Secundus: Utile sit, an non. Tertius: ex duobus Honestis utrum Honestius. Quartus: ex duobus Utilibus utrum Utilius. Facc.

Comparationis] Vox hæc redundat, ut recte monet Heumannus de Arte Critica n. XVIII. Idem.

Bene pascere] Rem pecuniariam amplissimam habere, magnosque pecoris greges, et lecta jumentorum armenta. J. Fr. Gron.

Satis bene pascere] Mediocriter, vel minus quam omnino bene. Idem. Cato de R. R. 137. *In loco bono parte octava corbi dividat, satis bono septima, tertio loco sexta.* Cic. I. ad Att. 19. *Videor mihi nostrum illum consularem exercitum, bonorum omnium, et satis bonorum habere firmissimum.* III. de Orat. 22. *Quare si jam me vultis esse oratorem, si etiam sat bonum, si bonum denique, non repugnabo.* J. Fr. Gronov.

Male pascere] Vict. Man. et Lambinus, *bene vestire*. Suffridus quoque Petri et Gifanius (adde Salmasium de Usuris p. 543. qui *bene vestire* defendit, et eo significari contendit servitiorum multitudinem) hic jactant suum *vestire*, aut *vitire*, sine omni venere et gratia. *Male pascere* repositum oportuit: quod diserte extat in Palatino nostro primo, meminitque Columella lib. VI. de Re Rustica, ipsa præfatione, his verbis: *Cæterum de tam sapiente viro piget dicere, quod cum quidam auctores commemorant, quidnam quærenti cuidam tertium in agricolatione quæstuosum esset, asseverasse, si quis vel male pasceret, &c.* Nimirum quod homines non assequerentur, quid esset *male pascere*, id Ciceronis fundo omnino eradicarunt,

At vult Cato, tantum esse utilitatis in pecore pascendo, ut quamvis maligne pascatur, sive male curatum pecus habeat paterfamilias, superet tamen fructus omnes arationis, reliquæque adeo agriculturæ. GRUTER.

Optimis viris] Optimos viros εἰρωνικῶς dictum est: nec aliter licebat ea ætate etiam principibus civitatis foenori operam navantibus. LANGIUS. Fœneratores *optimi viri* dicuntur non εἰρωνικῶς, ut ait Langius, sed quod illorum maxime intersit sentire cum bonis, hoc est cum iis, qui pacem, otium, remp. tranquillam et salvam velint. J. FR. GRONOVIUS, quem vide lib. IV. Observ. cap. 9.

Ad medium Janum] Vicus hoc nomine Romæ fuit, ubi pecunia fœnori dabatur. Prima vici pars, summus Janus; media, medius; ultima, imus vocabatur. Unde Horatius:

O cives, cives, quærenda pecunia primum est:
Virtus post nummos. Hæc Janus summus ab imo
Perdocet. MANUT.

DE OFFICIIS,

LIBER TERTIUS.

Cap. 1. *Non illo quidem*] Particula *quidem* post *non* sententiam fere suspendit. In meo codice nihil est prorsus: ex quo apparet, particulam hanc in codicibus antiquis per notas scriptam fuisse, quæ non facile intelligerentur: et fortasse legendum est *tamen*. FACC.

Cap. 2. *Suscepisti onus præterea grave et Athenarum*] *Onus* vocat illam expectationem, quam de se concitavit propter profectionem Atheniensem, et magistratum præstantissimum, cui dat operam. Sic pompam lictorum, et nomen imperii onus vocat Cic. II. ad Fam. 16. *Accedit etiam molesta hæc pompa lictorum meorum, nomenque imperii, quo appellor. Eo si onere carerem, quamvis parvis Italiæ latebris contentus essem.* GRÆV.

Inanem redire turpissimum est] Alludit, ut opinor, ad Homericum versum in lib. I. Iliad. Αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν, κενεόν τ' ἀπονέεσθαι. URSIN.

Deliberare homines, et consultare] Synonyma sunt. Ita capite sequenti *deliberatio* pro consultatione ponitur. FACC.

Sed relictum] Error igitur Panætii fuit, non in relinquendo, si consulto reliquit, sed in suscipiendo quod relinqueret. Alii legunt *derelictum*. Ego retinui *relictum;* quia vocem hanc eodem ferme sensu usurpat in fine Tusc. I. *Habes epilogum, ne quid prætermissum, aut relictum putes.* ID.

Quæ Panætius prætermisisset, et non perfecisset] Quibus in verbis sæpe admiratus eram, cur additum esset illud, *et non perfecisset*. Certe enim quæ prætermiserat Panætius, ea non modo non perfecerat, sed ne inchoaverat quidem. Sed veteres libri admirationem sustulerunt, quorum in plerisque postrema ejus comprehensionis pars ita legitur: *Sic ea quæ Panætius prætermisisset, propter eorum quæ perfecisset præstantiam, neminem persecutum.* MURET. Var. Lect. XV. 9.

Cap. 3. *Momenti instar*] Sumpta a libra similitudine, ut Critolaus loqui solebat, de quo in Tuscul. V. cap. 17. FACC.

Vel indolentia metiuntur] Grecorum vocem ἀναλγησία, Cicero ficto a se verbo *indolentia* expressit. De qua multis disputat Cic. II. de Fin. 4. et sequentibus. GRÆV.

Convenienter naturæ vivere] Quid sit congruenter naturæ vivere: seu secundum naturam vivere, in quo beatam vitam positam esse docebant non soli Stoici, sed plerique philosophi, et quanta fuerit sententiarum diversitas de hoc capite, vide apud Lips. Manud. ad Stoicam Philosophiam lib. II. cap. 14. et sequentibus. Idem.

Cum virtute congruere] Quia virtus nihil est aliud, ut dicitur in lib. I. de Legib. cap. 8. *quam in se perfecta, et ad summum perducta natura.* Itaque *congruenter naturæ vivere* idem est, ac vivere ex hominis natura undique perfecta, ut Cicero ipse interpretatur in lib. V. de Finib. cap. 9. Vide Senecæ epist. 76. Facc.

Ita legere] Sic infra, *legere voluptates.* Et IV. de Finibus, *Illa autem; morbum, egestatem, dolorem, non appello mala; sed, si lubet, rejectanea. Itaque illa non dico me expetere, sed legere; nec optare, sed sumere; contraria autem non fugere, sed quasi secernere.* Diversum est *negligere*, hoc est prætermittere. Quod vel data opera fit: ut in Adelph. (Prolog. 14.) *Qui præteritus negligentia est*, id est, volente, sciente auctore. Lang.

Illud quidem honestum, quod proprie vereque dicitur] Quod κατόρθωμα Græci vocant. Vide lib. I. cap. 3. et quæ ibi notantur. Græv.

Id in sapientibus est solis] Sapientibus scilicet Stoicis, qui nusquam gentium terrarumque sunt, neque fuerunt, nec erunt, quamvis hoc ultimum negent. Vide Senec. de Constant. Sap. cap. 7. et Lipsium Manuduct. ad Stoicam Philosoph. lib. II. cap. 8. Idem.

In iis autem, in quibus sapientia perfecta non est] Quos vocant viros bonos. Senec. ep. 42. *Scis quem nunc virum bonum dicam? hujus secundæ notæ. Nam ille alter fortasse tanquam phœnix semel anno quingentesimo nascitur.* Idem.

Media Stoici appellant] τὰ καθήκοντα, qualia etiam esse illa præcepta Epicteti, quæ in enchiridion Arrianus contulit, non perfectis, qui, vita rationi consentanea non contenti, diis quasi velint pares esse, tradita, sed illis viris bonis, qui convenienter naturæ seu rationi velint vivere, et corpore pro instrumento uti. Vide Simplicii proœmium Commentarii in Enchiridion Epicteti. Idem.

Cap. 4. *M. Cato et C. Lælius sapientes fuerunt*] Sic Socratem, Diogenem, aliosque nonnullos longe quidem processisse in via virtutis, ad ipsum sapientiæ culmen nondum pervenisse, quamvis non longe ab illo abfuerint, Posidonius affirmat apud Diogenem Laertium in Zenone. Hi dicebantur, proficientes, studiosi, sectatores sapientiæ. Vide Senecam epist. 71. et 75. et Lipsium Manuduct. ad Stoic. Philos. lib. II. cap. 9. Grævius.

Cum utilitatis repugnantia] Petrus Nannius scribit in vetusto libro esse, *Cum utilitatis ratione.* Fabr.

Aliter enim teneri non potest] Non possumus aliter in sapientiæ via consistere: excidemus etiam plane sapientiæ sectatorum numero: actum est cum iis, qui sapientiæ sunt studiosi, si, cum jam profecerunt, proposita utilitatis et emolumenti spe, a recte agendo, et officio colendo avocari se patiuntur; si avertuntur ab officii et honesti cultu utilitate. *Teneri non potest* est tali loquendi genus, quale id, quod sæpe apud Livium occurrit, *sisti non potest:* quod est, respublica salva esse non potest, periit, actum est de republica: de quo vide quæ ἐπάνω Gronovius notat ad Livii lib. IV. cap. 12. Nam qui putant jungenda esse, *teneri progressio non potest*, falluntur. Hoc enim loquendi genus *tenere progressionem* non fert Latinæ linguæ genius. Græv.

Vicit ergo utilitas honestatem: imo vero honestas] Ubi de Cæsaris cæde, etsi eum non nominat, loquitur. In vetustioribus quanto melius? *Vicit igitur utilitas honestatem? imo vero honestatem utilitas consecuta est.* Significat enim factum illud honestum fuisse per se, utile κατὰ συμβεβηκός. Mu-

RETUS, Var. Lect. XV. 9. Huic lectioni calculum adjicio. Nam honestas præire debet tamquam causa: quo modo locutus est Cicero etiam de Amicitia c. 14. *Non utilitatem amicitia, sed utilitas amicitiam consecuta est.* FACC.

Et a Peripateticis vestris, qui quondam iidem erant, qui Academici] Iidem fuerunt Academici et Peripatetici, vivente Platone, cujus discipuli Aristoteles Peripateticorum auctor, Xenocrates Academicorum parens fuit, teste Cicerone III. de Orat. 17. J. F. GRONOV. Vulgo additur, *qui Academici:* scilicet ab aliquo explanatore. Quomodo autem iidem essent dictum est in Procemio, lib. I. FACC.

Nostra Academia] Cicero ex novæ Academiæ placitis id sequitur, quod in loco et tempore maxime probat. Idcirco placuit illi hac in re Stoicum agere. IDEM.

Cap. 5. *Ut si unumquodque membrum sensum hunc haberet*] Nota est fabula, de membrorum humanorum ventris inertiæ succensentium discordia, qua Menenius Agrippa plebem, quæ irata patribus secesserat, ad obsequium et officium revocavit apud Liv. lib. II. 32. Sed dudum ante Socrates apud Xenophontem usus est hac similitudine ad duos fratres discordes libro II. Ἀπομνημονευμάτων, quem vide. GRÆV.

Natura, id est, jure gentium] Sic et alibi *jus gentium* vocat *jus naturæ*. In Tusculana I. *Omni in re consensio omnium gentium lex naturæ putanda est.* Sic et JCti sæpe. Nec aliter Aristot. Nicom. V. 10. Sed tamen falso jus gentium dici jus naturæ, jamdudum viri docti multis ostenderunt. Vide Sam. Pufendorfii de Jure Naturæ et Gentium lib. II. cap. 3. IDEM.

Exigit] Vict. Lamb. *efficit*.

Naturæ ratio, quæ est lex divina et humana] Naturæ nimirum humanæ seu socialis ratio, quæ ostendit et præcipit, nihil committendum esse, quod istam societatem lædat ac violet. Lædit autem qui insonti nocet, ut sibi prosit, ut suis serviat commodis. Hanc naturam omnibus hominibus insevit Deus, qui est naturæ parens et auctor: ideo lex ex hac natura humana profluens, nulli nocendum esse, est divina. Sed præterea præcipiunt hoc ipsum quoque, quod ex natura hausimus et didicimus, leges humanæ cum civiles, tum gentium. Hæc est hujus loci sententia. IDEM.

Etenim multo magis, &c.] Omnia hæc usque ad periodum, *Ex quo efficitur, &c.* videntur inserta. Nec tamen tollere ausim, sunt enim pleraque ad Ciceronis ingenium satis eleganter expressa. Si retinenda sunt, disputatur a contrariis, ita ferme: Prodesse homini secundum naturam est: nocere igitur contra naturam. Si absint, rectius cohærebit orationis contextus, seriesque rerum. FACC.

Excelsitas] Alii *celsitas*. Ego secutus sum Nonium, qui ita scribit de mutata declin. *M. Tullius de Offic. lib. III. Etenim magis est secundum naturam excelsitas animi et magnitudo.* Itaque si totus hic locus insitivus dici debet, insitio antiquior est Nonio. Si verba Nonii germana sunt, cætera tamen suspicione laborant. IDEM.

Comitas] Man. Lamb. *communitas*.

Detrahere autem] Tota ista periodus mihi suspecta est, tanquam repetita a sciolo de capitis hujus principio. Palatini tantum nostri habent *detrahere autem de altero*, quod et in Fabritii, et plurimis Aldi exemplaribus. GRUT.

Ut excellas etiam pulchritudine, et viribus] Cui bono *pulchritudo* viventi in solitudine? cui bono vires? Quia tamen Peripatetici inter felicitatis adjumenta pulchritudinem viresque censebant, idcirco hæc quoque adjiciuntur. FACC.

Quo circa optimo, &c.] Non videtur opus esse ingenio tanto ad hæc cognoscenda, et posthabendam vitam solitariam, quæ ne vita quidem dici potest, ut disseruit in lib. I. cap. 45.

Attamen ita loquitur, quicumque sit, propter eos, qui philosophiæ opinionem et famam ex solitudine quærebant. IDEM.

Ex quo efficitur, hominem naturæ, &c.] Verba hæc afferuntur a Lactantio lib. VI. cap. 2. Nequaquam satis recte habent, nisi forte collocentur ante illa omnia, quæ diximus inserta videri. IDEM.

Aut nihil se existimat contra naturam facere] Quasi scilicet natura unumquodque animal maxime conciliet sibi, et ideo qui sibi serviat ac prosit, utcumque cum alterius damno, nihil facere contra naturam. J. F. GRONOV.

Aut magis fugiendam censet mortem, paupertatem] Hoc est genus modestioris malitiæ in illis, qui non quidem commodi sui persequendi, sed incommodi vitandi causa, nocere se jure posse alteri fas putant. IDEM.

Amissionem etiam liberorum, propinquorum, amicorum] Hæc addita videntur ab explanatore aliquo. FACC.

Cap. 6. *Consortio*] Hæc est constans omnium librorum veterum lectio, ut Balduinus, Langius, Lambinus, et alii mecum testantur. Hujus quoque loci testimonio utitur Nonius, ubi docet, *consortium* genere neutro, et *consortionem* genere fœminino dici. Libri tamen Manutiani, et alii quidam vulgati habent, *consociatio*. FABR.

Aliam rationem] Quidam præmittunt *sed*. Isti admittunt societatem familiæ, non civitatis, nec humani generis. FACC.

Quæ vacent justitia] Locus perobscurus. Quæ sunt enim illa animi commoda, quæ vacent justitia? aut quæ horum verborum vis, ac sententia est? Plane res est inexplicabilis. Ego, ne lectorem morer, membrum unum hic deesse puto, a scriptore librario errante, atque oscitante, propter vocum similitudinem, præteritum. Sic igitur legendum auguror, *magis arbitrari esse contra naturam, hominem homini detrahere sui commodi causa, quam omnia incommoda subire vel externa, vel corporis, vel animi: et rursus, magis esse secundum naturam, hominem, si modo sine incommodo suo facere possit, homini consulere, ac prodesse, quam omnia commoda vel externa, vel corporis, vel etiam ipsius animi, percipere, quæ vacent justitia. Hæc enim*, &c. LAMBIN. Hic locus in libris præclari illius correctoris (Lambini) ita depravatus est, ut ipsius sententiæ aliquot vocum temere additarum congestu obrutæ, vix, quasi per nebulam, tenue quoddam vestigium appareat. Et fuit ea illius consuetudo, ut non tam quæreret interdum, quid dixisset Cicero, quam quid ipse eum dicere oportuisse censeret. Sed tota res mihi paulo altius repetenda est, &c. MURETUS, quem vide *Var. Lect.* XV. 9. Sententiam loci deprehendit Muretus, omnia incommoda subeunda esse, dummodo ne violet justitiam. Sed mitius consuletur verbis, si scribamus *ne vacet justitia*. Jubet enim subire hominem omnia incommoda, ne vacet vel careat justitia. J. F. GRONOV.

Minime vero] Aliter sentit H. Grotius lib. II. de Jure Belli et Pacis cap. 2. qui censet in gravissima necessitate reviviscere jus illud pristinum rebus utendi, tanquam si communes mansissent, quia in omnibus legibus humanis, ac proinde et in lege dominii, summa illa necessitas videtur excepta. Sed vide quæ pluribus de hac re disputat ibi, et quidnam observandum tali tempore, ne peccemus. Vide et qui illa discussit Samuel. Pufendorfium lib. II. de Jure Naturæ et Gentium, cap. 6. IDEM.

Si quid ab homine ad nullam partem utili] Lamb. *si quid homini homo ad nullam rem utilis*.

Sin autem is tu sis] Qui in Cicerone reprehendunt hanc distinctionem, non cogitant, illum loqui de perfecto sapiente, qui novit quid cuique sit tribuendum, et in omnibus respicit cum utilitatem communem societatis humanæ, tum illius, in qua vivit reipublicæ, cujus salutem, dignitatem, et commoda suis præfert. Itaque si sciat talem se esse, non propter se,

sed propter remp. detrahet in extrema necessitate alteri, minus utili civi, ut servetur aliquid. GRÆV.

Ob eam causam] Publicam nimirum utilitatem, non privatam. IDEM.

Non igitur, &c.] Igitur non ipsa per se detractio et appetitio alieni est contra naturam, sed cum per eam derelinquitur communis utilitas, quæ derelictio, quippe injusta, contra naturam est. Verba porro, *magis quam morbus, aut egestas, aut quid hujusmodi*, ex capite superiore sumpta, et margini adscripta, postea in contextum migrarunt, ut mihi videtur. FAC.

Ad sapientem, bonum, fortemque virum] Propter utilitatem reipublicæ, quam quilibet bonus suæ præfert. Hinc Seneca lib. I. de Clem. 4. *Principes, regesque, et quicunque alio nomine sunt tutores status publici, non est mirum amari ultra privatas etiam necessitudines. Nam si sanis hominibus publica privatis potiora sunt, sequitur ut is quoque carior sit, in quem se convertit respublica.* Et verissima est sententia, si recte perpendatur. Quæ alia causa est, cur recte non solum pro boni regis, principis, imperatoris, sed et sapientis et utilis civis salute et vita, suam vitam exponant multi periculo? Sic viginti millia civium pro ipso Tullio contra Clodium erant dimicaturi, si Tullius permisisset. Erant quidem et aliæ causæ, sed hæc potissima. GRÆV.

Hanc causam habeat ad injuriam] Modo ne φιλαυτία nos decipiat, et elatius de nobis ipsi sentientes, quam revera sumus, alios afficiamus injuria propter nos, non propter utilitatem publicam. IDEM.

Ita semper officio fungetur] In P. Delphini Ms. *Itaque semper officio fungetur.* FACC.

Et ipsa sanguine] Duæ voces *et ipsa* redundant; pro *sanguine* reposui *languere* ex meo codice. Sed et vulgaris lectio *sanguine* non contemnenda. IDEM.

A communi tanquam humanitate corporis segreganda] Quid est *humanitas corporis?* Aut legendum: *a communi tanquam humanitatis corpore*, aut est hypallage, ut apud Justin. XII. 2. *antiquitatis fata veneratur* pro *fatorum antiquitatem*, et XIV. 1. *fidei sacramento* pro *sacramenti fidei.* Sed prius placere quoque Mureto postea cognovi. GRÆV.

In quibus ex tempore officium exquiritur] Hujusmodi quæstiones variam dubitationem consequuntur ex περιστάσει temporum. Hinc Aristoteles argute loquitur 3. Nicom. I. §. 10. τὸ τέλος τῆς πράξεως μετὰ τὸν καιρόν ἐστι. Quæ verba ita exprimit vetus Paraphrastes: *Uniuscujusque actionis finis talis aut talis est pro tempore; et respectu temporis aut bonus fit, aut malus.* RACHEL.

Cap. 7. *Ut geometræ solent non omnia docere*] De hoc geometrarum more Cicero quoque Tusc. V. cap. 7. *Mathematicorum iste mos est, non philosophorum. Nam geometræ cum aliquid docere volunt, si quid ad rem pertinet eorum, quæ ante docuerunt, id sumunt pro concesso, et probato: illud modo explicant, de quo ante nihil scriptum est.* Hinc Senec. ep. 88. *Mathematica, ut ita dicam, superficiaria est, in alieno ædificat, aliena accipit principia, quorum beneficio ad altiora perveniat.* GRÆV.

Cap. 8. *Commoveri necesse est. Sed si, cum animum attenderis*] Videtur τὸ *animum* suo loco motum, et pertinere ad verba præcedentia; sicque Ciceronem scripsisse: *Cum igitur aliqua species utilitatis objecta est, commoveri necesse est animum. Sed si, cum attenderis, turpitudinem videas adjunctam ei rei.* J. F. GRONOV. Ego reposui *commoveare:* nam et in fine cap. II. ubi concludit, quod nunc proponit, *cum id*, inquit, *quod utile esse putes, adipiscare.* FACC.

Tunc non utilitas relinquenda est] Hoc significat Cicero: Si cum species utilitatis objecta est, re attente considerata, videas turpitudinem adjunctam ei rei, quæ speciem utilitatis objecerit: non est ita statuendum, utilitatem propter illam turpitudinis adjunctionem, relinquere, id est, re-

pudiare, atque aspernari oportere, sed intelligendum, ac sciendum est, ubicunque insit aliqua turpitudo, ibi utilitatem esse non posse. Lambinus. Alii legunt *non utilitas requirenda:* id est non debet requiri utilitas, ubi non est nisi species ejus. Facc.

Itemque si, &c.] En sorites: Si honestum est, secundum naturam est: si secundum naturam est, expetendum est: si expetendum est, bonum est: si bonum est, utile est: ergo si honestum est, utile est. Et quia utile, ut dixit, est secundum naturam, conclusio reciprocatur. Idem.

Quidquid honestum, id utile] Attendenda est argumentatio, quæ multos decepit. Neque enim hinc sequitur dumtaxat, quod honestum est, idem esse utile: sed etiam, quod utile est, idem esse honestum: quod utrumque secundum naturam sit: unde tota vis argumenti oritur. Idem.

Exsistunt] Verbum minime necessarium, et adscriptitium. Idem.

Quas sæpe perrumpunt] Vet. omnes, *quam sæpe perrumpunt:* ut ad *pœnam* spectet, quam nunc gratia, nunc muneribus, nunc vi effugiant. Sed quia ad vetus illud respicere videtur, Aranearum telis leges esse similes, et in I. de Legibus, *leges perrumpere dixit*, nihil immutavi. Lang.

Ergo ea deliberanda, &c.] Videtur adventitia conclusio hæc. Facc.

Cap. 9. *Gyges inducitur a Platone*] Lib. II. de Rep.

Ut ferunt fabulæ] Hæc tria verba a quopiam nugatore sunt addita. Sunt enim adulterina, quamvis in omnibus libris reperiantur. Lang.

In locum] Est annuli locus, ut pala extra palmam sit, atque emineat. Itaque Plato dicit, στρέψαι ἔξω τὴν σφενδόνην, id est, *palam annuli extra convertere.* Fabrit. D. Ambrosius eamdem fabulam narrans ait: Est autem annuli locus, ut pala extra manum sit. Manutius legit, *in lucem.* Sed contra antiquos libros, ut ipse ultro fatetur. Facc.

Nihilo plus] Alii *nihil plus:* sed perperam. Post autem *putet* addunt *peccare:* quæ vox procul dubio irrepsit in contextum ex aliquo interprete. Idem.

Omisit hic] Romulus omisit pietatem, dum desæviit in fratrem: humanitatem, dum hominem tam levi de causa interfecit. Idem.

Quanquam potest id quidem] In libris veteribus *quanquam non potest id quidem.* Sententia autem hæc est; Negant fieri posse, ut id diis, hominibusque semper ignotum futurum sit: atque hoc pacto, exemplum hoc Platonicum eludunt, atque inane esse dicunt: sed pueriliter, et rustice faciunt, quanquam fateor ita rem esse, ut dicunt: hoc est, fieri non posse, ut facinus aliquod, diis hominibusque semper ignotum futurum sit. Lamb. Sic tamen omnes vet. edit. sic omnes cod. scripti, neque immittenda negatio, ut placuit Lambino, et Aldo Nepoti. Dubitanter de providentia et natura divina loquitur, ut Academicus. Guliel.

Cap. 10. *Id erat ita honestum, ut etiam ipsi Collatino placere deberet*] Damnat id factum tamen Augustinus II. de Civit. Dei, cap. 17. et lib. III. cap. 16. et Albericus Gentilis I. de armis Roman. cap. 4. Sed merito cum Cicerone Brutum defendit idem Albericus Gentilis lib. II. de armis Roman. cap. 4. et Rupertus in notis ad Flor. lib. I. cap. 9. Græv.

Pace vel Quirini, vel Romuli] Ex ritu supplicantium; ne in nomine errarent, plura solent enuntiare. Horat.

> *Sive tu Lucina probas vocari, seu Genitalis.*

Et illud:

> *Luna deum quæ sola vides perjuria volgi,*
> *Seu Cretæa magis, seu tu Dictynna vocaris.*

Post mortem *Quirinus* dictus est Romulus. Lang. Vide supra, pag. 152. Turnebi annotationem ad lib. I. Leg. cap. 1. n. 12.

Manu depellere] Nonius in verbo *supplanto* habet *manu pellere:* et sane fortasse rectius. Facc.

De ipso amico] Verba hæc mihi suspecta sunt. IDEM.

Ponit enim personam amici] Quod non fecit Chilon, qui amicum, in quem judex sedebat, damnavit quidem ipse, sed aliis judicibus persuasit, ut eum absolverent. Vide Gellium I. 3. GRÆV.

Jurato sententia dicenda] In singulis causis apud Romanos judices jurabant, se pronuntiaturos ex animi sententia, secundum legem. Vide Sigon. de Judiciis lib. I. cap. 10. IDEM.

Si eum teneremus] Si quis attendat accurate, hæc verba hic aliena esse cognoscet. Quis non tenet morem hunc judices rogandi, quem ait a majoribus se accepisse? Nunquam illum abrogatum esse, aut exolevisse sponte constat, nec est credibile. Quis enim nisi impudentissimus, aut stultissimus, aut improbissimus aliter judicem rogaret? Excerpta Pithœi: *si ea rogaremus.* Quod probo. Hoc est, si quid tale rogaremus a judice, ut nostræ causæ faveat, quod salva fide facere possit. IDEM. Recte Grævius putat, verba hæc irrepsisse in contextum. Non enim credibile est, morem hunc Ciceronis ætate obsolevisse. FACC.

Commendandorum] Ad sua commendanda. Locum corruptum Manutius putat, et legendum *commonendorum.* Neutrum placet. IDEM.

Cap. 11. *Ut Pennus*] M. Junius Pennus trib. pleb. Lepido et Oreste coss. hoc est, anno post U.C. DCXXVII. legem de peregrinis tulit: de qua Festus in *respublicas. C. Gracchus,* inquit, *in ea quam scripsit de lege Penni de peregrinis.* Quibus verbis Cicero explicatur in Bruto: *C. Gracchum tuus gentilis,* inquit, *M. Pennus facete agitavit in tribunatu, paulum ætate antecedens;* ita Cicero. Certe C. Gracchus eo anno quæstor fuit, Cotta et Torquato coss. id est biennio ante Ciceronem cos. Jacente Junia, lex alia a C. Papio trib. pleb. lata est, Ne quis omnino peregrinus in urbe habitaret, exceptis iis qui eam quæ dicitur Italia, incolerent: ut refert Dion. Meminit Cicero et pro Archia, et alibi. L. vero Licinius Crassus et Q. Scævola coss. legem rogarunt, ut quisque in suæ civitatis jus redigeretur; quæ dicta est, *Mucia Licinia:* multi enim cum cives non essent, pro civibus se gerebant; quæ lex, indignantibus principibus populi Italici, causa fuit belli Italici. *Junia* igitur Penni et *Papia* hæc, de urbe fuerunt. *Mucia Licinia,* de civitate. Quanquam et alia Papia de civitate multo antiquior fuisse videtur, qua M. Perpennam damnatum refert Valerius: quam fortassis Cicero in Corneliana intellexit. De urbe etiam peregrinos Lycurgus lege ejecit, ut refert Thucydides: caute; ne externis se moribus oblineret populus, id quod et Pennum movisse opinor, illo seculo; vel certe ob pericula factionum, tot infra moenia receptis, quibus susque deque esset, bene an male res irent. Nos in hac repub. non modo peregrinos non exterminamus, sed a religione nostra aversos, hoc est, hostes publicos, Judæos, perjurii damnatos, monetarios, etiam civitate impertimur (Grævius *impertiebamur*): adeo, si diis placet, Spartanis Romanisque sumus humaniores. LANG.

Papius] A quo lex Papia, de qua dicetur ubi de cæteris legibus.

Cannensi] Vide Livium lib. XXIII. cap. 14. ubi tamen dicitur *honesta utilibus cessisse,* quod servorum delectus esset habitus: sed quædam, quæ honesta ipsa per se non sunt, temporibus honesta fiunt. FACC.

Cyrsilum quendam] Sic appellatur a Demosthene περὶ στεφάνου. Qui hoc plus dicit, uxorem ejus a mulieribus Atheniensium fuisse trucidatam. Alii Licidam vocant. LANG.

Qui piratas, immunes] Piratas Cilices, maritimum genus, in agris mediterraneis Pompeius collocavit, colonosque fecit, assignata urbe, quam Pompeiopolim vocarunt, cum antea Soli diceretur. FACC.

Socios, vectigales habemus] Videntur hic intelligi Massilienses, de qui-

bus supra, et Deiotarus rex Gallogræciæ, aliique, qui cum Pompeio senserant, et a Cæsare victore aut libertate privati, aut tributo onerati erant. J. F. Gronov.

Cap. 12. *Rhodum magnum frumenti numerum advexerit*] In contractibus, natura æqualitatem imperat, et ita quidem, ut ex inæqualitate jus oriatur minus habenti. Hæc æqualitas partim consistit in actibus, partim in eo de quo agitur: et in actibus, tum præcedaneis, tum principalibus. Ad præcedaneos actus pertinet, quod is qui cum aliquo contrahit, vitia sibi nota rei de qua agitur significare debet: quod non civilibus tantum legibus constitui solet, sed naturæ quoque congruit. Nam inter contrahentes propior quædam est societas, quam quæ communis est hominum. Atque hoc modo solvitur, quod dicebat Diogenes Babylonius, hoc tractans argumentum, non celari omnia quæ tacentur: nec quidquid tibi audire utile est, idem mihi dicere necesse esse, ut de rebus coelestibus. Nam contractus natura utilitatis causa reperta propius quiddam exigit. *Hæc cum verbis Ambrosii et Lactantii illustrasset, ita pergit:* At non idem dicendum est de his, quæ rem non contingunt. Ut si quis sciat multas naves in cursu esse, quæ frumentum advehunt. Nam tale quid indicare, est quidem officiosum ac laudabile, sæpe adeo ut omitti nequeat, nisi ut charitatis regula violetur: non tamen injustum, id est, non pugnans cum jure ejus, quicum negotium est: ita ut locum hic habere possit illud, quod idem ille Diogenes non incommode dicebat, referente M. Tullio: *Advexi, exposui: vendo meum, non pluris quam cæteri: fortasse etiam minoris, cum major est copia. Cui fit injuria?* Non ergo generaliter sequendum illud ejusdem Ciceronis, Celare esse, cum tu, quod scias, id ignorare, emolumenti tui causa, velis eos quorum intersit scire: sed tum demum id locum habet, cum de iis agitur, quæ rem subjectam per se contingunt, ut si domus sit pestilens, si a magistratu dejici jussa, quæ exempla ibidem videas. At vitia ei, qui, cum agas, nota, aut servitutem ædium, quas M. Marius Gratidianus C. Sergio Oratæ vendebat ab ipso prius emptas, dici nihil attinet. Scientia enim utrinque par pares facit contrahentes. Horatius:

Ille feret pretium pœnæ securus, opinor:

(hoc est, ejus quod interest)

Prudens emisti vitiosum.

Quod notatum et Platoni XI. de Leg. Grotius II. de Jure Belli et Pacis, cap. 12. vide et S. Pufendorf. de J. N. et G. V. 3. Græv.

Cum major est copia] Non facile apparet, quorsum addita sint verba hæc. Mihi insititia videntur. Desunt certe apud D. Ambrosium; qui locum hunc imitatus est his verbis in l. 3. cap. 6. *Vendo frumentum, non alienum, sed meum; non pluris quam cæteri, imo etiam minori pretio.* Facc.

Tritici utilitas] Ita vulgati. Sed ex conjectura Passeratus, *vilitas.* Quæ vox quidem Ciceroniana est, et cum sententia non male congruit.

Cap. 13. *Vendat ædes*] Hujus quoque quæstionis decisionem jam ex Grotio percepimus, non esse reticenda vitia rei emptæ inhærentia, si latere merito emptorem possint. Non igitur hic locum habet illud Diogenis: *Num te emere coegit, qui ne hortatus quidem est? ille quod non placebat, proscripsit,* hoc est, palam ac publice proposito libello significavit. Potior itaque hic est sententia Antipatri, quam etiam jurisconsultorum auctoritas confirmat. Rachel. Vide Pufendorf. lib. V. de Jure Naturæ et Gentium c. 3.

Apparere serpentes] Id fere accidit in ima ædium parte, si locus sit insalubris. Potest etiam fieri, ut simile aliquid appareat, quale *in pestilenti domo*, de qua Plinius lib. 7. epist. 27. quam vide. Facc.

Sancitum est] Legere malim *sanctum est.* Athenienses exsecrationum publicarum poenam in eos sanxerunt, qui erranti viam non monstrarent.

Isti enim *μισάνθρωποι* sunt, et naturam ipsam lædunt, ut significat Aristoteles in lib. Ethic. 8. c. 1. Idem.

Certe non aperti, non simplicis] Igitur Antipatri sententiam probat Cicero, qui mercatoris dissimulationem tam graviter accusat. Et tamen *in pretio emptionis et venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire* Pomponius statuit lib. XVI. §. ult. ff. de minoribus. Quem locum eleganter exponit Grotius II. de Jure Belli et Pacis cap. 12. et illius explicationem asserit Pufendorfius lib. V. de Jure Nat. et Gent. cap. 8. In capite vero præcedente docet, mercatorem injuste non fecisse, cum Rhodiis non indicasset naves plures in cursu esse. Justitiam enim hoc tantum requirere, ut ea indicentur, quæ rei subjectæ inhæreant: verbi causa, si domus pestilens, si a magistratu jam dejici jussa, quæ mox Tullius exempla subjicit. Sed hic nihil tale dissimulatum. Frumenti bonitatem expositam, et omnium oculis et probationi fuisse objectam: et tunc, quando venale proponebatur, revera tanti fuisse, quanti fuerit venditum, etsi paulo post minoris esset futurum. Nec jus proprie dictum Rhodiis fuisse, ut ex mercatore hoc scirent, quippe qui cum de ea re nunquam cum eo pacti essent. Addit quoque, se dubitare num contra legem beneficentiæ et humanitatis fecerit. Ut enim ad beneficium alteri dandum, humanitate obstringamur, requiri, ut ipse illo gratuito valde indigeat. Sed Rhodios opus habuisse frumento, non pecunia, qua abundarint, quippe quarum opes apud antiquos multis celebrentur. Sed neque tunc ad beneficium in alium conferendum nos obligari, quando per id danti plus decedat, quam accipienti accedat. Atqui plus lucri decessurum fuisse mercatori, si classem sequi indicasset, quam frumenti emptoribus fuisset accessurum. Nam cum inter plures id distraheretur, singulis parum decessisse soluto antiquo pretio. Præterea Ciceronem a doli mali crimine videri eundem liberare, cum paulo post dolum malum esse dicat, *quando aliud est simulatum, aliud actum.* Quod huic casui non conveniat. Rachel. Cicero hanc quæstionem decidit secundum Stoicorum dogmata, sed illum rigorem a communi vitæ consuetudine alienum esse non uno loco ait, præsertim cum paulo ante ostenderit, se media hic officia persequi, non perfecta. Græv.

Cap. 14. *Argentarius*] Apud argentarios enim pecunia perscribebatur, auctiones, et alii contractus fiebant, et tabulæ condebantur. Facc.

Emit instructos] Hortuli instructi: Ital. *casino fornito.* Idem.

Nomina facit] Salmasius *ὁ πάνυ* in libro de Usuris, cap. 6. allato hoc loco ex oratione pro Roscio comœdo: *Quod si ille suas proferet tabulas, proferet suas quoque Roscius. Erit in illius tabulis hoc nomen, at in hujus non erit. Cur potius illius, quam hujus creditur? Scripsisset ille, si non jussu hujus expensum tulisset? Non scripsisset hic, quod sibi expensum ferri jussisset? Nam quemadmodum turpe est scribere, quod non debeatur, sic improbum est non referre quod debeas. Æque enim tabulæ commendantur, hujus qui verum non retulit, et ejus qui falsum perscripsit.* Ex his, inquit vir maximus, perspici clare potest creditorem, cum nomen faceret, hoc est, pecuniam alicui crederet, nomen debitoris in tabulis suis scripsisse, et summam debiti, quam *expensam ferre* dicebatur, quia expendebat. Expensum sibi ferre jubebat creditor debitorem, qui in tabulas suas referebat, quod acceperat ac debebat. Hinc *tabulæ accepti et expensi* ab utraque parte conficiebantur. Ab illo more referendi nomina debitorum, quibus aliquid credidissent, in tabulis *nomen facere*, et *nomen locare* dicebatur creditor, qui pecuniam credebat. Contra debitor cum creditum solveret, *nomen dissolvere, expedire, expungere,* quia expungebatur nomen ejus e tabulis creditoris, ubi solvisset. Hæc Salmasius, qui id pluribus exemplis

antiquorum scriptorum firmat, uti et ex Ulpiano lib. II. D. de Proxeneticis, quique ibi quoque docet, quid sit apud Justinianum obligatio scripturæ, quæ nominibus fiebat. Verissima sunt quæ ibi tradit, nisi quod in his ei assentiri non possimus, quod existimet *nomen facere* dici tantum de illis creditoribus, qui pecuniam mutuam dent sine usuris, quod non videtur vero esse consentaneum. Usurpatur de pecunia tam quæ sine usuris, quam quæ cum usuris mutua datur. Cum igitur debitoris sit facere nomina, J. F. Gronovius censet hic legendum esse *Pythius nomina facit.* Nam Canius secundum consuetudinem Latine loquentium, qui non præsente pecunia emebat hos hortos, sed summam, quæ convenerat, jubebat aut in Pythii tabulas expensi et accepti referri, aut in alius, qui pecuniam hanc ei credebat, *nomen locabat;* Pythius autem aut amicus ei credens, *nomen faciebat.* Conjecturam Gronovii adstruunt sequentia statim verba: *invitat Canius postridie familiares suos.* Non opus fuisset repetitione nominis *Canius*, si ad eundem hominem pertinerent præcedentia. GRÆV.

Quod eos nullos videret] Pith. excerpta: *eo quod nullos videret.* Equidem *eos nullos* ferit aures. Sed Cicero videtur scripsisse: *quod eos nullus videret.* Hoc est, non videret. XI. ad Att. epist. 24. *Philotimus nullus venit.* Et alibi, præsertim apud comicos, crebra sunt exempla. ID. Legendum puto *quod eos non.* Statim enim sequitur *nullæ*, et proxime *nulli.* Facile autem fuit veteres codices describentibus in hujusmodi voculis falli. Alii legunt *eo quod nullos.* FACC.

Stomachari Canius] *Stomachari* pro irasci, ut infra *stomachus* pro ira. ID.

Aquilius collega et familiaris meus] Fuit Ciceronis collega in prætura, vir jurisprudentia insignis, Q. Mucii discipulus, quem Cicero multis in locis prædicat, ut et Valer. Max. VIII. 2. 15. Invenit actionem de dolo malo, Cic. III. de Nat. Deor. 30. GRÆV.

Cap. 15. *Ut* tutela *duodecim tabulis*] Non recte (si quid veri video) dicitur *tutelam* esse vindicatam, hoc est, punitam, duodecim tabulis, quæ, si eam solam spectes, nihil mali in se continere invenietur. Potius legamus, *ut* tutelæ *duodecim tabulis*, scilicet ut dolus malus tutelæ vindicatus erat XII. istis tabulis. PEARC.

Lege Lætoria] Sueton. *Lætoria*, inquit, *quæ vetat minores* XXV. *annis stipulari:* ubi *stipulari* passive poni Priscianus notat, lib. VIII. LANG.

Et sine lege, judiciis] Lambinus ideo distinxit, ut tolleretur error eorum qui judicium sine lege, arbitrium esse putant. Ciceronis sententia est, dolum malum ante Aquilium non modo legibus, sed et judiciis bonæ fidei vindicatum fuisse. FABR. Male ultima distinguit cum Lambino Fabritius. *Sine lege judicia* sunt, quæ non descendunt ex XII. tab. aut lege per populum lata, sed in quibus prætor supplet, quod deest juri civili. Justinian. Institut. lib. IV. tit. 6. de actionibus. §. 30. 31. J. F. GRON.

Ex fide bona] Convenientissime hanc formulam interpretatur Paulus, quando dicit bonam fidem esse contrariam fraudi et dolo. Notandum hic, actionum bonæ fidei tres fuisse formulas: unam, quæ contractibus bonæ fidei accommodabatur, cum his verbis, *Ex bona fide:* alteram, quæ in fiduciis usurpabatur, cum his: *Ut inter bonos bene agier oportet, et sine fraudatione:* tertiam, rei uxoriæ propriam, cum his: *Quantum æquius, melius.* De quibus etiam videri meretur Sigonius, lib. I. de Judic. c. 21. sub fin. RACHEL.

In arbitrio rei uxoriæ] Vide Topica, cap. 17.

In fiducia] Fiducia veteribus jurisconsultis fuit et pignus, et hypotheca, et potius hypotheca, longe diversa a fiducia et Isidori et Boetii, quæ et ipsæ differunt, ut contra recentiores jurisconsultos multis ostendit vir maximus Claud. Salmasius et in libro

de Usuris cap. 4. et de Modo Usurarum cap. 14. copiosissime. GRÆV.

Nec qui contra se liceatur] Quibus in verbis memini ab eruditis hominibus dubitatum esse, cur diceretur emptor neminem, qui contra se liceretur, appositurus. Certe enim solent interdum venditores in auctionibus licitatorem aliquem apponere, qui se emere velle simulet: et pluris liceatur ea quæ venum exposita sunt, quam quanti sunt: ut eo modo cæteri emptores inducantur. Atque hoc sæpe fieri vidimus. Emptor autem cur, quæso, quemquam, qui contra se liceatur, apponat? Id enim si faciat, obstabit sibi: neque hoc dubium est, quin qui emere aliquid vult, illud potius optare debeat, ut nemo, qui contra liceri velit, reperiatur. Quare si qui contra se liceatur apponat, non sibi consulet, sed venditori. Quid igitur est? Multa ab istis παρα-διορθώταις allata sunt, quæ qui accurate refellere velit, ridiculus sit: ita sunt ridicula ipsa et levia. Peccatum hic est, ut et in aliis libris sæpe, et in Pandectis Florentinis sæpissime, ut semel tantum positæ sint litteræ, quas geminari oportebat. Legendum enim est, *qui contra asse liceatur*. Ut enim venditor dolose apponit, qui pluris liceantur, ita emptor qui minoris: ut sibi facilius res addicatur. Assem autem pro minimo pretio veteres sæpe dicebant: eoque nomine in rebus extenuandis, et abjiciendis utebantur. Socrates apud Varronem: *Asse vinum, asse pulmentarium*. Cato: *Quod non opus est, asse carum est*. In ludicro poemate: *Non assis faciunt, euntque recta*. Catullus: *Omnes unius æstimemus assis*. Horatius: *In triviis fixum qui se demittit ob assem*. Persius: *Et centum Græcos curto centusse licetur*. *Asse* igitur *liceri*, est pretium rei extenuare et abjicere; quod qui faciat, si emptor apponat, improbe eum facturum Cicero putat. MURET. *Var. Lect.* XIV. 3. Hæc Muretus, quæ sunt certissima. Emptoris est liceri, si quis apponitur qui licetur contra emptorem, aut est licitator qui servit venditori, et pretium rei auget, aut ipse cupit illam sibi addici. Dumnorix apud Cæsarem I. de Bello Gallico per plures annos portoria, reliquaque omnia Æduorum vectigalia parvo pretio redempta habuisse dicitur, *propterea, quod illo licente, contra liceri nemo audeat*. Ergo qui contra licentur, augent pretium, et efficiunt, ut carius vendatur aut conducatur. Sed emptor cum apponit in auctione, qui rem a venditore indicatam vilissimo pretio liceatur, tanquam res esset parvi æstimanda, is sane sæpe causa est, ut minore pretio quid vendatur, cum multi persuadeantur, non tanti rem esse, quia tam vile pro ea pretium offeratur. GRÆV. Sustineri tamen vulgata lectio potest. Nam qui apponit falsum emptorem, certe contra se apponit, quamvis reipsa non sit contra se. FACC.

Uterque, si ad eloquendum venerit, non plus quam semel eloquetur] Id est: Venditor quam minimum rei pretium statuat, quod ille partim ex ipsa re, partim ex labore, sumptu aut periculo, quæ accesserunt, candide, sine fuco et fraude æstimabit. Emptor quoque, si illa indiguerit, in dictum pretium, cæteris paribus, consentiat, nec ambagibus, aut tergiversationibus, aut illusionibus venditorem circumscribere studeat. RACHEL.

Ut si minoris, quam potuisset, vendidisset] Sententiam horum verborum non capio, nec ut conveniant iis, quæ præcedunt, video. Quis minoris vendit suum, quam potest, si in ejus manu ac potestate est vendendi facultas? Cicero hic loquitur de sapiente, hoc est suorum commodorum studioso emptore, non qualis erat Scævola, qui quidem vir bonus fuerit, sed secundum opinionem non vulgi modo, sed et plerorumque etiam doctorum minime sapiens, qui non tam parvo fundum illum emerit pretio, quo potuisset. Hoc sane sententia Ciceronis postulat. In antiquis membranis nihil est opis hoc loco. Censeo autem Ciceronem scrip-

sisse: *ut minoris quidem, si potuisset, emisset.* Negant, inquit, sapientis emptoris esse plus dare, quam indicarat venditor: sed contra sapientis emptoris, hoc est ad rem suam attenti, esse, etiam minoris emere fundum, si possit, quam erat indicatus. Hoc certe sensit Cicero. *Emisset* ex antiquis editionibus reposui. Reliqua propter consensum scriptorum et editorum librorum immutare non sustinui. GRÆV.

Qui sibi ipse prodesse non quiret] Sic Ennium locutum esse Petrus Victorius Variarum Lect. lib. XVI. cap. 8. admonet. Versus integer est ep. 6. lib. VII. ad Fam. *Qui ipse sibi sapiens prodesse non quit, ne quicquam sapit.* Græcus extat, epist. 15. lib. XIII. μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. FABRIT.

Sapientis esse nihil contra mores, leges, instituta facientem] Recte Cicero hoc Hecatonis dictum reprehendit tanquam quod adversetur sanctitati Stoicæ doctrinæ, quæ præcipiat, sapientem sibi ipsi legem esse. Non facit quidem quæ sunt contra leges, sed plura facit sapiens et vir bonus, quam legibus præscribitur, nec tamen negligit rem familiarem. Per leges licet mihi emere illo pretio, quo a venditore res indicatur. Vir bonus vero videns, emptorem pretium rei non nosse, ei significabit rem istam majoris esse pretii, et carius vendendam, ut fecit Scævola, quod sapiens Hecatonis non fecisset. Et hoc est quod in Hecatonis sententia Cicero improbat. Alioqui non est ut improbetur. GRÆV.

Tantum se negat facturum, compendii sui causa] Quasi dicat eum dolum, quem leges non vindicant, licere interponere. Sed *angusta innocentia est, ad legem bonum esse,* ut Seneca II. de Ira 27. ait. J. F. GRON.

Cap. 16. *Nuncupata*] Quæ lingua essent expressa. Festus ex XII. Tabulis *uti lingua nuncupassit,* et ut veteres scribebant, *utei lincua nuncupasit.* Volebant igitur XII. Tabulæ, ea præstari, quæ quis ab emptore interrogatus, lingua expressisset. Quod siquid inficiatus malitia esset, dupli damnabatur, id est duplum pretii restituere cogebatur. FACC.

Reticentiæ pœna] *Actio redhibitoria* hodie appellatur D. de ædilitio edicto. Sane vitia cum prædiorum, tum rerum aliarum in contractu reticenda non sunt. Sed extra contractum nulla humanitatis lege sum obstrictus, ad aperiendam alii aut rerum mearum conditionem, aut id, unde lucro aliquo fruar. Vide Hug. Grot. lib. II. cap. 8. §. 7. et Sam. Pufendorfium, lib. V. de Jure Naturæ et Gentium cap. 3. §. 3. GRÆV.

In arce] Intelligit arcem Capitolinam, in qua solebant augures auguria captare. IDEM.

Demoliri eas, quarum] Ita Manutius et Gruterus: sed male, ni fallor: non enim ædes demoliri, inquit Fabritius, sed altitudinem ædium summittere Claudium augures jusserunt. Victorius igitur et Lambinus, *ea, quorum.* Typographi quidem Parisienses sic dederant, cum eorum pericula nos primum vidimus: sed in typographia est qui amet dici πρῶτος, eademque iterum pericula recognoscens, nos pro suo jure, ut sibi videtur, emendat nonnunquam. Quod hic fecit, cum ad Gruterum recurreret, a quo discedere tum maxime volueramus. OLIVET.

Proscripsit insulam] Domum, proposito libello, vendendam significavit. *Insulæ* primum dicebantur urbanæ domus, quæ essent ab aliis separatæ, proindeque ab incendiis tutiores: postea nomen ad eas quoque translatum est, quæ cum vicinis conjungerentur. FACC.

Arbitrum illum adegit] Vetus locutio *adigere arbitrum,* pro *agere ad arbitrum,* et similis est significatio, quæ illius, *agere in judicium,* vel *ad judicium.* HOTOMAN. in Orat. pro Q. Roscio, cap. 9.

M. Marius Gratidianus] De quo in Bruto.

Cap. 17. *Manutenere*] Leges tollunt astutias apertas, certaque fraude

admissas. Philosophi damnant eas quoque, quæ acute excogitatæ sunt, ad leges eludendas, vel, quæ ita leves sunt, ut eo lex non pertingat. Philosophia respicit hominem ut esse debet, lex ut est. FACC.

Ratio igitur] Malim legere *ratio autem*. Alii codices habent *ergo*. Amanuenses enim compendiariis non recte perceptis, periodi sequentis particulam sumpsere. IDEM.

Gentis] Alii *generis*. Significat enim societatem augustiorem, quam sit hominis cum homine, sed latiorem, quam sit civis cum cive, v. g. inter Christianas gentes. IDEM.

Uti ne propter te] Est formula, qua utebantur et sibi cavebant in stipulando. RACHEL.

In omnibus iis arbitriis] Hoc est, in actionibus illis arbitrariis, quæ ab arbitrio et potestate judicantis pendent, qui non ex natura rei, sed ex accidenti rem æstimat. GRÆV.

Fiduciis] Hoc est, pignoribus, seu hypothecis. Vide superius ad cap. 15. hujus libri. IDEM.

Mandatis] Paradoxon videtur mandati esse obligationem. Nam si mandatum nisi gratuitum nullum est, originemque ex officio atque amicitia trahit, neque quisquam invitus ad mandatum suscipiendum compelli potest, quia nemo ad benefaciendum invitus cogi potest, nisi forte obligationem faciat spontanea susceptio. Vide tit. mandati lib. XVII. D. et Platonis librum de Legibus XII. et Gellium lib. I. cap. 13. BETULEIUS.

Judicia contraria] In quibusdam contractibus utraque pars habet actionem directam; in aliis pars una directam, ut pupillus in tutorem, altera contrariam, ut tutor in pupillum: atque in his quidem magni judicis est statuere, quid præstandum ex fide bona. FACC.

Quid quemque cuique præstare] More jurisconsultorum hic loquitur Cicero, non minor jurisconsultus, quam orator, judicio Jac. Gothofredi ad L. XXIII. ff. de R. I. Præstare vero sensu jurisconsultorum est, quid cuipiam alius obstrictus sit, facere, luere, sarcire, si qua inæqualitas aut læsio inique contigerit. Unde etiam hac voce bis utitur Ulpianus d. l. 23. ff. de R. I. qua de præstationibus ex variis contractibus debitis agitur. RACHEL.

Præstat edicto ædilium] Vide Gellium lib. IV. cap. 2.

Heredum alia causa est] Hoc est, heredes in vendendis bonis defuncti, non coguntur sarcire aut præstare, si quid vitiosi sit in mancipiis aut aliis rebus, quas vendunt, quia creduntur ignorare vitia. GRÆV.

L. Minucii Basili] Male, *Basilii*, legebatur. Est enim *Basilus* cognomen Minuciorum, quod cum ex hoc loco, tum et Appiani lib. III. de Bello Civili apparet, ubi *Minucium Basilum* virum prætorium unum de Cæsaris interfectoribus numerat, qui sesquianno post Cæsarem interemptum a servo suo interfectus sit. Meminit et Florus lib. IV. et Dion. Videndum an hic ipse L. Basilus sit, quem Syllæ præfectum Plutarch. tradit fuisse, cum urbem occuparet. Extant et Ciceronis epistolæ ad Basilum lib. VI. Familiarium. Qui cum Bruto in Cæsarem conjuravit. LANGIUS.

Mihi quidem non videtur] Merito. Nam jus naturæ præcipit ut rem alienam, quam quis in sua potestate habet, reddat domino. Nec enim sine scelere retineri potest. Vide H. Grotium, II. de Jure Belli et Pacis cap. 10. §. 1. et ejusdem libri cap. 21. §. 1. GRÆV.

M. Satrium] Satria familia Romana est: quam T. Pomponium Atticum aliquo modo attigisse ex Suetonio satis liquet, libro de Grammaticis: ut fortassis hic Cicero non nihil privatim motus sit, quod hic ipse Satrius de Attici majoribus fuerit. Huc etiam forte spectet, quod primo ad Attic. scribitur Cæcilium Attici avunculum a Caninio Satrio in nescio qua hereditate fradatum. LANG.

Nomen suum ferre] Sic Suetonius in Augusto, *heredes instituit primos*

Tiberium ex parte dimidia et sextante, Liviam ex parte tertia: quos et ferre nomen suum jussit. Et in testamento antiquo L. Cuspidii, *Agros domumque relinquo consobrinis, et L. præcipue, quod is nomen ferat nostrum.* Fert igitur nomen, qui est διάδοχος τοῦ ὀνόματος, ut loquitur Dion initio libri XLV. FABRIT.

Hunc dico patronum agri Piceni et Sabini] Quidam libri habent, *hunc dico patronum;* alii, *hunc, ait, dico patronum:* quos secutus sum. Sunt enim verba ex Minucii testamento. LANGIUS. Hæc videntur esse verba in testamento Minucii Basili usurpata: quapropter legendum puto, *eumque fecisset heredem, hunc (aiens) dico patronum agri Piceni.* Quippe his verbis Basilus voluit Satrium suum heredem facere: at Crassus et Hortensius contendebant Basili rem ad se pertinere, solum nomen patroni agri Piceni et Sabini ad Satrium pervenire. PEARC.

Non veritate, sed simulatione] Fortasse hæc verba margini adscripta erant ad explicandas blanditias Officiorum. FACC.

Perviderit] Alii *providerit,* alii *prævideret.* Sed retinendum *perviderit,* quod significat planam perfectamque cognitionem et persuasionem. IDEM.

Cap. 19. *Ut si digitis concrepuerit*] Nihil hoc est aliud, quam nullo negotio, facillime. Pro quo paulo post dicit *digitorum percussione.* Sunt locutiones quæ nihil faciunt ad turpitudinem, aut ad honestatem. Sic dicebant *ad digiti crepitum præsto esse,* sive præsto sis ad rem bonam, sive ad malam, aut turpem. Sic et in sequentibus *saltaret in foro,* nil aliud est, quam faceret aliquid, quod se, aut quemvis gravem hominem aut pudentem maxime dedeceret. Nihil hoc quoque pertinet ad id quod est turpe sive natura, sive opinione. Neque hic agitur de perfecto sapiente Stoico, sed de viro bono, cui opponit Crassum hominem avarissimum, quem etiam perdidit avaritia. Is nihil, inquit, pensi haberet, et faceret palam etiam indignissima viro bono, et gravi, si modo possit augere suas facultates, et efficere quocumque modo supposititio ut heres scribatur hominis opulenti, sicuti ex testamento Minucii Basili contra jus et fas et officium viri boni partem bonorum acceperat. Hoc non tantum non faceret sapiens Stoicus, sed nec vir quilibet bonus. De talibus enim casibus loquitur hic Cicero. Non repudianda existimat legata hominum divitum, virtute parta; sive veras hereditates, ut loquitur capite præcedente; sed malitiosis blanditiis quæsitas. Hæc non notassem, nisi immerito barbam velli Tullio et hic et nonnunquam alibi viderem. GRÆV. In hereditatis aditione digitos (Romani) percutiebant, quod pluribus locis tradit Cujacius; idque videtur Cicero significare, cum ait lib. de Offic. *Si digitis concrepuerit,* &c. GRAVINA, Specimen Prisci Juris.

Animi sui complicatam notionem evolvere] Recte Manutius exponit, et clarius ὁ πάνυ Gronovius, id quod animo insitum est et innatum, etsi obscurius et involutum, meditando acuere et penitus recognoscere: id respicere, quod mens ipsa, si excutiatur, et conscientia dictitat. IV. Tuscul. 24. *Notionem nostram de fortitudine habemus omnes tectam et involutam.* Ex his notionibus quas evolverunt viri sapientes, nata est philosophia moralis. Apud gentes barbaras, qui eas non explicuerunt et excusserunt, manent etiam nunc complicatæ. GRÆV.

Nisi lacessitus injuria] Non ulciscendo, sed se defendendo, et arcendo injuriam. Quod viro bono licere nunquam infitiabitur Lactantius, qui perperam hic Tullium reprehendit. IDEM.

Quasi veneno] Quasi incantationibus et præstigiis. FACC.

Mices] Micare digitis, ludi genus populare satis notum. Ital. *la Mora.* IDEM.

Cum is responsionem fecisset] Qui petere vult, id est, qui litem facit, ut

Fortunatianus jurisconsultus loquitur, ante omnia sponsione provocat adversarium: is unde petitur, sic contendit, ex provocatione spondet, rursusque restipulatur a petitore, qui etiam vicissim respondere cogitur. Eugraphius in illud Terent. *Jusjurandum dabitur te esse indignum injuria hac. Quemadmodum sponsio ante judicium fieri solet, ita hic dixit, jusjurandum dabit, quod, &c.* Hujus sponsionis pignus legitimum est sacramentum, ut Isidorus ex quopiam meliore auctore scribit Etymol. V. Quamvis autem hujusmodi stipulationes sponsionesque mutuæ sint: proprie tamen qui provocat primum, *sacramento rogare*, *petere*, vel *quærere* dicitur: qui provocatur, *sacramento contendere*, quod ex eventu judicii justum injustumve dicitur, et pronuntiatur. Pecunia hæc ab utraque parte deponebatur apud pontificem, dicebaturque sacramentum. Victor suam recipiebat, victi in sacrorum usum retinebat pontifex. P. Pithœus Advers. I. 18. ubi vide plura: vide et H. Grotii florum sparsionem ad Jus Justinianeum p. 128. GRÆV.

Nec cogitare quidem] Itaque sapienter Alcæum reprehendit Sappho, apud Aristot. I. Rhet. 9. cum is dixisset:

Θέλω τί τ' εἰπεῖν, ἀλλά με κωλύει αἰδώς.
Dicere velim aliquid, sed me prohibet pudor.

Respondet Sappho:

Αἰ δ' ἦχε σ' ἐσλῶν ἵμερος ἢ καλῶν,
Καὶ μηδὲν εἰπῆ γλῶσσ' ἐκύκα κακόν·
Αἰδώς κεν οὐχί σ' εἶχεν ὄμματ'
'Αλλ' ἔλεγες περὶ τῶ δικαίω.

Hoc est, interprete Mureto,

Si quidquam honesti mens ferat ac boni,
Nec lingua quidquam turpe paret tua:
Nullo impedireris pudore,
Sed facile eloquerere honesta. IDEM.

Hereditates omnium posse converrere] Est tralatio a piscatoribus, qui genere quodam retis, quod everriculum appellant, magnam vim piscium corripiunt. Potest etiam dici tralationem esse ab iis servis aut ancillis, quæ scopis et verriculis quisquilias et sordes domus unum in locum converrunt, ut postea in unum acervum congestas parvo negotio auferant. Eadem tralatione usus est Horatius Sat. 4. lib. II. *Nec satis est cara pisces averrere mensa.* LAMB.

Cap. 20. *Adhibuissent*] *Adhibere*, Ciceroni hic est adhibere in consilium, consulere. GRÆV.

Jactabatur enim temporibus illis nummus] Hic inserta vulgo legitur sententia, *Jactabatur enim temporibus illis nummus, ita ut nemo sciret, quid haberet*, quam in omnibus exemplaribus cum antiquis, tum novis, eo modo reperi. Jovem tamen lapidem dejeraverim non esse ab homine Romano prolatam. A coquo potius aliquo Sorboniano. Itaque totam ad jus civitatis suæ, lege Mucia Licinia relego. Mille talia passim obvia sunt in bonis scriptoribus. LANG. Hæc Langius non putat esse Ciceronis: cui assentior. Ea tamen retinui, neque ausus sum tollere, quia in omnibus libris antiquis reperiuntur: tantum jussi dissimilibus litteris imprimi. LAMB.

Cum pœna atque judicio] Pro *judicio* legendum puto *indicio:* id est indicta pœna adversus peccantes, et mercede proposita indicantibus. Indicium enim sæpe sumitur pro mercede, quæ indici datur. FACC.

Descenderent] Utitur hoc verbo, quia proceres ex collibus, ubi habitabant, descendebant in forum. Victorius Variar. lect. l. 5. c. 3. contendit legendum esse *escenderent.* IDEM.

Cap. 21. *Parens nominetur?*] Cæsare defuncto, posita in foro columna est, addito titulo, *Parenti Patriæ*, ut scribit Suetonius in ejus vita c. 85. Sed et vivens *Pater Patriæ* vocitatus est, ut ibid. c. 76. IDEM.

Cujus autem, &c.] In edit. 1. *cujus autem vita ipsa potest utilitati esse?* Sed hæc explicatio quædam est. ID.

Cap. 22. *Utrum igitur*] Alii *visum igitur:* in fine autem periodi, *quam venenis.* IDEM.

Vel senatui nostro, qui nunquam utilitatem a dignitate sejunxit] Atqui

statim dicet Cicero, senatum in approbanda L. Philippi sententia dignitatem ab utilitate sejunxisse. Sed in aliis etiam locis hoc nomine reprehendit senatum, ut superius in c. 11. hujus libri: *Utilitatis specie in rep. sæpissime peccatur, ut in Corinthi disturbatione nostri;* nec enim aut Corinthus deleri, aut ab eversore Corinthi triumphari sine senatus decreto potuit. Nihil tamen Cicero his verbis, *nunquam utilitatem a dignitate sejunxit*, significat aliud, quam senatus hoc fuisse institutum, hanc rationem et disciplinam, a dignitate nunquam sejungere utilitatem; eamque rationem semper secutum esse, nisi cum interdum speciosis ac fucatis quibusdam disputationibus et argumentis se passus sit ab hac sententia dimoveri contra suum propositum. Nulla est repugnantia Ciceronis in his verbis: sed est loquendi genus omnibus linguis et scriptoribus commune, quo utuntur de eo quod plerumque et omni propemodum tempore sit, quasi nunquam non fieret. Ciceronem sane in hoc loco tantum flagitium in se admisisse, cujus nuperius insimulatus fuit, nemo credet, nisi qui, ut videatur sapere, cælum vituperat. Græviús.

Ex senatusconsulto liberavisset] Cum civitates has ex senatusconsulto immunes ac liberas esse jussisset Sylla, cur dubitemus recte reprehendi Q. Philippum, qui contra datam a senatu, penes quem dandi negandive talia potestas erat, fidem, vectigales illas civitates esse censuerit, nec pecuniam, qua redemerant libertatem, reddiderit: quæ quia senatu decernente erat accepta, ita aut in ærarium relata, aut in rempublicam impensa. Idem.

Nimis mihi præfracte] Vere damnat hic Cicero Catonis præfractum nimis vectigalia urgendi et a publicanis exigendi studium. Cum iis enim agendum tanquam cum colonis, quibus, si calamitas quædam fundum infestavit, et proventum perdidit, remittimus aliquid de pacta mercede, aut vectigali, quod annuum nobis pro usu soli pendunt: sic et publicanis, si animose nimis vectigalia publica conduxerunt, et inopinata mala intercesserunt, per quæ non possunt solvere, quantum ad reip. solvendum se obstrinxerunt, æquitas postulat ut non nihil pecuniæ debitæ remittatur. Quod cum Cato nollet facere, ordinem equestrem a senatu disjunxit, et fenestram aperuit Cæsari et Pompeio rempublicam opprimendi, uti queritur verissime Cicero non hic modo, sed in epistolis ad Atticum in libro primo ep. 17. et 18. et in libro secundo epist. 1. Fabrit.

Cum causam Transpadanorum] Qui petebant jus civitatis, de quibus Sueton. Jul. cap. 8. *Decedens ergo ante tempus, colonias Latinas de petenda civitate agitantes adiit.* Harum causam egisse videtur etiam Curio. Eorum etiam meminit Suetonius in capite sequente, ubi ait Lambranos et Transpadanos voluisse novas res moliri, nimirum ob civitatem, quam petebant, negatam. Græv.

Potius diceret non esse æquam, quia non esset utilis reip.] Præcedentia et sequentia verba postulant, ut vel invitis libris scribatur: *potius diceret non esse utilem reipublicæ, quia non esset æqua, quam, cum utilem esse diceret, non esse æquam fateretur.* Sic Victorius, et Gruterus: cum in vulgatis (Manutii, et Lambini) pessime et ineptissime legeretur, *æquam esse diceret, non esse utilem fateretur.* Clamabat Curio *Vincat utilitas*, quamvis adversaretur æquum, jus et fas. Cicero vero docet Curioni potius dicendum fuisse, *Vincat æquum*, licet aliud suadere videatur utilitas: sed quia ei repugnat æquitas, ideo utilitas est repudianda. Idem.

Cap. 23. *Accusabit*] Reprehendet, arguet, monebit. Est enim *accuso* interdum synonymum verbi *moneo.* Ita in Ep. 1. lib. I. ad Familiares, *hortari, et orare, etiam liberius accusare et monere.* Facc.

Vinum fugiens] Quod durare et ætatem ferre non potest, et cujus vis

exolescit brevi tempore. Alii *venenum*, sed male. Græv.

Controversa jura] Sunt controversa jura Stoicorum, ut Turnebus scribit, causæ et consultationes, de quibus Stoici inter se dissentiunt: quæ translatio sumpta est a jurisconsultis, apud quos jura controversa et dubia vocantur, de quibus inter jurisconsultos est dissensio, ut cum aliud videtur Mucio, aliud Bruto, aliud Manilio. Fabrit.

Si quis aurum, &c.] Exemplum hoc, et superiora de servo fugitivo, de tabula naufragii, de domo pestilenti memorat Lactantius lib. V. c. 16. ex Carneade, qui aiebat, virum bonum et justum, si suam utilitatem deserat, incidere in stultitiam. *Hinc Carneades*, inquit, *intelligi volebat, et eum, qui sit justus ac bonus, stultum esse; et eum, qui sapiens, malum.* Facc.

Cap. 25. *Illa promiseris*] Rectius alii *quibus promiseris*: vox enim *illa* ferri nequit. Idem.

Sed quoniam, &c.] Omnia hæc usque ad finem capitis insititia videntur. Nisi forte, primo membro servato, hinc incipiendum est caput proximum, atque ita legendum; *Sed quoniam a quatuor fontibus honestatis primo libro Officia duximus, reliquæ sunt partes duæ, quarum altera in animi*, &c. Idem.

Ac de prudentia, &c.] In codice a Petro Delphino descripto caput proximum incipit ab hac periodo. Recte, si duæ superiores tollantur. Idem.

In conformatione et moderatione continentiæ et temperantiæ] Quid est continentiæ et temperantiæ conformatio? quid moderatio? Ego legendum puto, *in decore, moderatione, continentia, temperantia. Ita initio cap.* 19. Idem.

Cap. 26. *Voluisse*] Vacat vox hæc, inducta ab illis, qui putarunt, infinitum *subterfugere* pendere ab *insimulant*. Sed hinc inconsequentia oritur nimis dura, minimeque necessaria. Qua enim lege constabit membrum primum, *Utile videbatur Ulyssi*. Id.

Quæ erat talis] Vulgo hæc tria verba adduntur inepte. Idem.

Cap. 27. *Num locupletiores quæris auctores?*] Scilicet, quam *magnitudo animi et fortitudo*. Hæc igitur conjuncta legi oportet. Quod idcirco lectorem admonitum esse volui, ne dubitandi ansam præbeat divisio Gruteriana.

Sententiam ne diceret, &c.] Noluit in Senatu sententiam dicere, quod adhuc captivus esset, ac proinde capite deminutus, et hostium servus. Id est noluit rogari ex formula, et sententiam dicere Senatoriam cum jure suffragii. Ital. *aver voce deliberativa.* Facc.

Vigilando] Recisis utrimque palpebris, ut oculis inconniventibus solem intueri cogeretur. Vide Gellium, IV. 4.

Cap. 28. *Fregisti fidem*] De hoc Accii loco disputat luculente Grotius II. de Jure Belli et Pacis, cap. 13. §. 16. et III. 19. §. 13.

Quicquid valde utile, &c.] Hac ratione qui bella gerunt ultro suscepta pro imperio, si qui forte sunt, et provincias prædantur, se tamen a prædonibus distingui putant, quod præda magnitudine ipsa fiat honesta. Facc.

Cap. 29. *Apta pinnis*] Plerisque simulacris deorum, ut Victoriæ, ut Famæ, affingebant alas: ut deos ubique præsto esse indicarent. *Apta* autem *pinnis* est πτερόεσσα. Apuleius Apologia: *Si verba, ita ut poetæ aiunt, pinnis apta vulgo volarent.* Expressit autem illud Homericum ἔπεα πτερόεντα. Muret. Fides in nummis conspicitur mulier sedens, avem manu tenens, sive is sit turtur, sive cornix, sive alia. Sed nunquam conspicitur alata. Horatius canit Fidem fuisse velatam albo panno, ideoque et *cana* dicitur Virgilio. Græv.

Jusjurandum Jovis] Jovi tribuitur κατ' ἐξοχὴν, quia Jupiter credebatur vindex esse jurisjurandi. Sil. Ital. I. 9. *Juratumque Jovi fœdus.* Gron. Hinc et ζεὺς ὅρκιος, et ζεὺς πίστιος Græcis. Jupiter juris jurandi vindex, et Jupiter Fidius. Græv.

Principem populi] Erat enim consularis, ideoque ex populi principibus: tunc vero, cum captus est, etiam consul. Facc.

Nervosius] Stoici. *Remissius*, Peripatetici. A. Manut.

Ne si juratus quidem] Ita Cicero ex regulis humanæ societatis. Attamen si, Christiane, prædoni juraveris, adverte, prædonem falli posse; Deum, quem testem adhibuisti, falli non posse. Facc.

Perduellium numero] Vulgati omnes, *ex perduellium numero*: sed Grævius, auctoritate Mss. et secundum excerpta Pithœi, omittit *ex*, ut ad τὸ *definitus* accommodetur oratio.

More nostro] Id est adhibitis verbis ex formula, more Romanorum, qui dicebant, *conceptis verbis jurare*, vel *conjurare*, id est simul jurare, propter præjurationes eorum, qui verba præibant. Facc.

Cum justo enim et legitimo hoste] Vide Grotium III. de Jure Belli et Pacis cap. 3. §. 1.

Cap. 30. *Injussu enim populi, senatusque fecerant*] Hinc habebatur magis a senatu pro sponsione, quam pro pactione, aut fœdere. Ideoque sponsores non locupletes dediderunt hostibus. Quod autem sit discrimen inter sponsionem, pactionem, et fœdus docet Grotius II. de Jure Belli et Pacis cap. 15. Græv.

At non debuit ratum esse, quod erat actum per vim] Sic sane sentiebant et philosophi et JCti. Negat hoc Grotius, et contendit vi aut metu extorta promissa ad præstandum promissum obligare, II. de Jure Belli et Pacis cap. 12. §. 7. sed refellitur a Pufendorfio III. de Jure Naturæ et Gentium cap. 6. §. 12. quem vide et libro IV. cap. 2. §. 8. Idem.

Cap. 31. *Indicant sacratæ*] Leges in monte Sacro latæ inter patricios, et plebeios tumultuantes.

Torque detracto] Alii *torque detracta*. Nam et Gellius fœmineo genere effert in lib. IX. cap. 13. ubi factum hoc narrat. Facc.

Cap. 32. *Decem illi*] Vide Livium lib. XXVII. 58. et sequentia, in primis cap. 61.—et Gellius l. 7. c. 18. qui paulo aliter rem narrat. Facc.

Cum id parva pecunia fieri posset] Poterant autem redimi tribus minis, vel H. S. CIↃ CC. ut scribit Polyb. lib. VI. in Fragmentis. Fabrit. Cicero Polybium secutus servit causæ quam tractat: cæterum Livius scribit l. 22. c. 61. pecuniæ quoque summam movisse Senatores, ne captivos redimerent. Facc.

Acilius autem, qui Græce scripsit historiam...omnibus ignominiis notatos.] Hæc sententia mihi (fateor) videtur locum non suum occupasse, et reponi debuisse ante verba, *Sed illud maximum, octo hominum millia tenebat Annibal...quæ videntur utilia, vincuntur.* Ratio in promptu est: hæc sententia plane est pars ejus historiæ, quam in initio capitis Cicero memorarat de iis decem captivis, quos juratos post pugnam Cannensem ad senatum misit Annibal. Quæ vero in proxime præcedente sententia de octo millibus hominum captis et a senatu non redemptis noster narrat, ex alia prorsus petuntur historia, et in medium prioris historiæ inconcinne introducta videntur. Pearc.

Quale fuisset] In hac rei totus conclusione post factum illud, quod maximum dixit, non erat, cur ad Regulum regrederetur. Itaque verba hæc parenthesi clausa, irrepsisse videntur ex margine, in quo Grammaticus aliquis, ut solent, scriptitaverat. Facc.

Cap. 33. *Adjutor auctorque*] Non semper auctor a Latinis dicitur qui invenit, sed etiam qui auctoritate favet et confirmat. Ita se Cicero dicit Pompeiani facti *prædicatorem et auctorem* in Orat. pro Balbo c. 2. Idem.

Cum his viris equisque] Vir, industriæ; equus, virium et celeritatis symbolum. Ad Q. fratrem lib. III. *Cursu corrigam tarditatem tuam cum equis, tum viris.* Philipp. VIII. *Armis, equis, viris D. Bruto subveniemus.* Utitur et ἐκλεκτικῶς epistola quadam

ad Varronem: *Nunc ubi confecta omnia, dubitandum non est, quin equis viris.* LANG.

Nam si non modo, &c.] Tota periodus hæc jure mihi suspecta est, et ex iis, quæ sunt in lib. II. de Finib. conflata. Si eam tollas omnia recte cohærent. FACC.

Ubi primum prudentiæ] Per hæc verba finem prudentiæ significat. Nisi forte loco *prudentiæ* Cicero scripsit *illi,* id est honestati et virtuti; interpres autem supra vocem *illi* posuit *prudentiæ,* ut fieri videmus in multis Mss. unde librarii error. IDEM.

Cap. 34. *Ut utilitatem nullam,* &c.] Vide, quid et quantum intersit inter duas has enuntiationes; Nulla est utilitas, quæ contraria sit honestati: Omnis voluptas contraria est honestati. Nomine *voluptatis* Epicurus intelligebat titillationem sensibus adhibitam, et quidem delicatam et obscœnam, ut est in lib. I. de Nat. Deor. c. 40. IDEM.

Condimenti] Honestam hominis vitam efficit voluptas, non meliorem, nec utiliorem, sed paullo fortasse jucundiorem; *quatenus est imitatrix boni,* ut dicitur in primo de Leg. cap. 17. Itaque virtus, ut ait Seneca de B. V. c. 9. *non quia delectat, placet, sed quia placet, delectat.* IDEM.

CATO MAJOR,

SEU

DE SENECTUTE.

DIALOGUS.

AD TITUM POMPONIUM ATTICUM.

Cap. 1. *Adjuro*] Sic nunc edendum curavi. Nam olim, *adjuero,* editum fuit: quod in plerisque libris manuscriptis reperitur: neque multum interest utro modo legatur, *adjuero,* an *adjuro.* Sic enim utrumque usurpatur a Latinis. Dictum autem *adjuro* pro *adjuvero.* Jam *levasso,* pro *levaro,* antiquum. Cujus generis multa sunt apud Plautum. LAMB.

Flamininum] *Flamininus,* quod hic recte habent manuscripti libri, Quinctiorum cognomen est, qui patricii erant. Flaminii familiæ nomen, sed plebeiæ et sine cognomine. LANG. Significatur T. Quinctius Flamininus, qui Philippum bello superavit: qui aliquot annis post ad Prusiam regem legatus missus, ab eo impetravit, ut Annibalem, quem ille penes se habebat, ut hospitem, aut supplicem, sibi proderet. Non venit tamen Annibal in Flaminini potestatem, sed cognito, se a Prusia esse proditum, et Flaminino condonatum, veneno sibi mortem conscivit. LAMB.

Ille vir] Ennius.

Aristo Chius] Fuit is Stoicus: Aristo Ceus vero Peripateticus Philosophus. Illum Panætius et Sosicrates apud Diogenem Laertium nihil præter epistolas scripsisse aiunt, cætera esse Aristonis Cei. Quod tamen negat Cicero, qui non solum ei tribuit hic librum de senectute, sed et multa alia lib. V. de Finibus cap. 5. GRÆV.

Cap. 2. *Cæterarum rerum sapientiam*] Est *cæterarum rerum* locutio imperfecta, quæ significat, quod ad cæteras res attinet. Ut in Bruto cap. 6. *Tum ille cæterarum rerum, inquit, istuc et doleo et dolendum puto.* Sed hæc dudum observarunt viri docti, in primis Hotomanus IV. Observat. 4. ut mirer in tanta luce hic impegisse nonnullos. IDEM.

Tanta est] Nihil certius lectione, quam ex suis codicibus expressit Langius: *tanta inest stultitiæ inconstantia atque perversitas.* Hoc est: tam inconstantes sunt homines stulti atque perversi, quibus nihil opis est in se ipsis ad bene beateque vivendum. Dogma enim Stoicorum, solum sapientem, qui sciat res omnes æstimare suo pretio, esse constantem. ID. Alii stultitiæ: quam vocem positam putant pro *stultis.* FACC.

Nostroque cognomine] Quod nobis imposuerunt homines, cum nos sapientes vocant. GRÆV. Cato dicitur a voce *catus*, quæ cautum et sapientem significat. FACC.

Extremum actum] Est enim hominis vita in partes ætatis, tamquam in actus scenicæ poeseos, divisa. IDEM.

Cap. 3. *Quæ C. Salinator*] *Quæ*, hic non tam ad nomen, *querelas*, quam ad sententiam respicit: quod Atticis est familiarius. Sunt autem quæ sequuntur pæne ad verbum, ex primo de Rep. Platonis. LANG.

Nec hercule, si ego Seriphius essem, nobilis] Seriphos una Sporadum perexigua, gente admodum ignobili, etiam proverbio tenus: de quo Aristoph. in Acharn. et alludit Cicero hic, et de Nat. Deorum I. Voluit itaque Themistocles non hominis modo ignobilitatem, sed totius gentis perstringere; quasi et ingenio et animo tam humiles sint, ut ne evadere quidem ex illis quis possit in virum clarum. IDEM. Platonis locus in I. Pol. unde Ciceronem hæc sumpsisse manifestum est. URSIN.

Cap. 4. *Q. Maximum*] Hic est Q. Fabius Maximus, Verrucosus, qui anno U. C. 544. Tarentum proditione recepit. GRÆV.

Ad Capuam] Id est ad exercitum, qui erat ad Capuam. Sic infra *ad Tarentum.* In aliquo tamen codice deest particula *ad.* FACC.

Tarentum quæstor: deinde ædilis, quadriennio post factus sum prætor: quem magistratum gessi consulibus Tuditano, et Cethego, cum quidem] Lamb. *Tarentum: deinde quæstor, quem magistratum gessi consulibus Tuditano et Cethego: deinde ædilis: quadriennio post factus sum prætor, cum quidem.*

Quintoque anno post ad Tarentum quæstor] Locus iste fuit mendosissimus, quod tamen hactenus a paucis observatum miror. Neque quidquam veteres libri adjuverunt. Eum qua ratione restituerim, ex Catonis historia palam faciam. M. Portius M. F. M. N. Cato natus est Postumio et Carvilio coss. anno U. C. DXIX. id quod hic ipse testatur. Militare cœpit Q. Fabio Maximo IV. M. Marcello III. coss. anno U. C. DXXXIX. quod hic quoque fatetur, et aperte Cor. Nepos in vita ipsius, natus annos plus XIX. quanquam in Nepote et Plutarcho legatur, anno ætatis octavo decimo militasse sub Fabio. Id quod ratio annorum, qui inter Fabii primum et quartum consulatum intercesserunt, non patitur. Quanquam non ignorem, tirocinia Romanos auspicari solitos anno septimodecimo, sumpta jam virili toga. Militavit iterum quinquennio post, sub Fabio V. cos. anno U. C. DXLIV. cum Tarentum ille reciperet, (id quod hic quoque dicit,) annos natus plus minus XXIV. quæ ætas quæsturæ nondum erat opportuna. Anno sequente trib. mil. in Sicilia fuit: atque inde reversus C. Claudii Neronis, ejus qui Asdrubalem fregit, castra secutus est, ut idem Nepos refert. Id accidit sub annum DXLVI. *Livius* lib. XXVII. Tertio postea anno (U. C. DXLIX.) quæstor obtigit P. Scipioni cos. ad bellum Africanum proficiscenti. Nepos et Livius lib. XXIX. Cicero in

Bruto. *At hic Cethegus,* inquit, *cos. cum P. Tuditano fuit bello Punico secundo, quæstorque his cos. M. Cato;* et infra hoc ipso dialogo, *sodalitates autem,* inquit Cato, *me quæstore constitutæ sunt, sacris Idæis magnæ matris acceptis.* Nam Cethego et Tuditano Coss. matrem deum ex Asia deportatam omnes tradunt. Quadriennio post (U. C. DLIV.) ædilis factus est cum C. Helvio. *Nepos, et Livius* XXXII. Anno sequente (U. C. DLV.) prætor cum eodem Helvio. *Livius* eodem loco et *Nepos.* Hæc omnia ut cum hoc Ciceronis loco comparari apte possint, pauca verba abjeceram: *dein ædilis, quadriennio post factus sum prætor:* quæ studiosum aliquem, cum omnes Catonis magistratus recensere vellet, ad marginem annotasse verisimile est, librarios deinde in contextum orationis inseruisse. Cato enim ea tantummodo hic vult enumerare, quæ ipsi sub Q. Maximo acciderunt, cujus laudes instituit. Quo modo vero se prætore Q. Maximum legem Cinciam rogasse dicat, qui quatuor annis ante Catonis præturam mortuus sit? utputa Ti. Claudio, M. Servilio Coss. U. C. DLI. quod Livius scribit lib. XXX. Hæc cum sic annotassem, accidit ut cum Stephano Pighio, viro omnis antiquitatis sine controversia doctissimo, hunc locum conferrem, quem is in suis annalibus ita emendasse ostendit: *quæstor deinde quadriennio post factus sum, quem magistratum,* &c. paucioribus tantum erasis verbis, quam ego. Quam emendationem ut tum maxime probavi, ita non dubito quin omnes studiosi laudaturi sint. LANG.

Cinciæ] A M. Cincio latæ, qua cavebatur, ne quis ob causam orandam munera acciperet. FACC.

Unus, &c.] Carmina hæc attulit etiam in lib. I. Offic. cap. 21. In tertio carmine pro *magisque,* alii legunt *postque:* Alii *post magis atque magis.* IDEM.

Salinatori] Præf. arcis Tarentinæ Polybius lib. VIII. C. Livium vocat; Livius Patavinus M. Livium: mirum sane est, quod eum Cicero appellat Salinatorem. Nam M. L[illegible] bis cos. et censor, qui Salinator cognominatus est, Tarento non præfuit. Secutus tamen est eum Plutarchus. LANG.

Sp. Carvilio collega quiescente, C. Flaminio tribuno pl. quoad potuit, restitit] Hic fuit annus DXXV. U. C. sicut Capitolinorum Fastorum auctores supputant. Citat Sosipater Carisius grammaticus Tullii locum istum, et addit Flaminio collegam adjutorem C. Carvilium Sp. Carvilii consulis, si non consanguineum, certe gentilem, hoc modo verba Tullii referens: *C. Carvilio et C. Flaminio tribunis plebis, quoad potuit, restitit, agrum Picentem et Gallicum contra senatus auctoritatem dividentibus.* Hinc profecto colligere possumus, quam variis modis post Carisii tempora corruperint et detruncarint Ciceronis exemplaria librarii scriptores, partim historiarum imperitia, partim supina quadam negligentia. Sed hic offensi videntur repetitione nominis Carvilii, et alterum idcirco sustulisse, vel negligenter præteriisse: cum tamen id ipsum declaret tacite, cur consul Carvilius quieverit, ne actionibus scilicet consanguinei, vel gentilis tribuni, et plebis utilitati plebeius ipse adversaretur. Supplerem igitur jam dictum Tullii locum male multatum ex ipso Sosipatris loco, in hunc modum: *Sp. Carvilio collega quiescente, C. Carvilio et C. Flaminio tribunis plebis, quoad potuit, restitit.* Polybius autem unum C. Flaminium tribunum plebis nominat, ut legislatorem, quem auctorem et principem ejus seditionis fuisse constat, et legem pertulisse, agrumque Gallicum divisisse tradit M. Lepido consule, octavo videlicet anno, antequam belli Gallici Cisalpini flamma coorta est. Sed in hoc dissentit Polybius a Cicerone, quod legem hanc agrariam non anno DXXV. sed DXXI. M. Lepido consule a Flaminio latam fuisse scribit, quæ causa Cisalpini belli Gallici mox orientis fuerit, ut prolixe narrat lib. II. PIGH.

Optimis auspiciis ea geri] Ad Homericum illud respexit, εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. URSIN.

Quæ contra remp. fierent, &c.] Sic habent nonnulli libri veteres. Alii, *quæ contra remp. ferrentur, contra auspicia ferri*. LAMB.

M. filii tulit] Cum prius legeretur M. F. prænomen M. erasi: primum, ut supervacuum; satis enim fuerat adjecisse, *consularis*, in historia non longe remota; deinde ut falsum. Nam Q. non M. prænomen ei fuisse omnes tradunt: quin oratio quoque ipsa hoc prænomine nescio quo modo retardatur. A Plutarcho est proditum, Maximum stantem in foro recitasse laudationem filii, eamque postea edidisse. Sic vocatur funebris commendatio, Græcis ἐπιτάφιος. Queritur Cicero in Bruto istiusmodi laudationibus historiam rerum Romanarum esse factam mendosiorem; *Multa enim*, inquit, *scripta in iis sunt, quæ facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, et a plebe transitiones, cum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus*. LANG.

Ut in homine Romano] Græcis enim litterarum laudem concedebant. FACC.

Cap. 5. *Vicit Olympia*] Victor fuit in ludis Olympicis, quemadmodum dixit Horatius lib. I. epist. 1. v. 50. *coronari Olympia*, hoc est in Olympiis. IDEM.

M'. Acilius] Manius Acilius Glabrio.

Cæpione et Philippo iterum consule] Sic scribendum esse aut *iterum cos.* non *iterum coss.* ex pluribus Mss. ostendit Manutius: et vere. Nam Philippus solus secundum consul fuit, non Cæpio. GRÆV.

Voconiam] Quam tulit Q. Voconius de coercendis mulierum hereditatibus anno U. C. DLXXXI. FACCIOLATI.

Cap. 6. *Dementes*, &c.] Alii *dementi sese flexere ruina*. Vide Columnam ad Ennii fragment. p. 59. ID.

Consulatum superiorem] Id est proximum. Sed fortasse legendum posteriorem. ID.

Similesque sunt, ut, si qui] Veram censeo fuisse scriptionem, quam in P. Danielis membranis reperit Lambinus, *similesque sunt iis, qui*, &c. Vulgatam sane non probaret Tullius, si revivisceret. GRÆV.

Cujus a morte hic tertius et tricesimus est annus] Hic *quintus et tricesimus est annus;* et paulo post, *decem annis*, pro *novem*, habet antiquus liber. URSIN. Glareanus hic putat legendum *quintus et tricesimus*. Et sic ex tribus Mss. legendum quoque censet Vincentius Contarenus Var. Lect. cap. 24. Sed Stephanus Pighius in Fastis anno U. C. DLXVIII. rectius scribi existimat *quartus et tricesimus*, quem vide. Pro vulgata tamen stant Palatini, Gulielmiani, Pithœani, et multi alii. GRUT.

Ut est in Nævii ludo] Nævii ἱεροπαιγνίων libros, quos Gellius et Carisius advocant, intelligit, opinor. LANG.

Nec sepulcra legens] Vulgo putabatur officere memoriæ, si quis legeret inscriptiones sepulcrorum. ERASMUS. Legendis enim multorum nominibus perturbatur, et confunditur memoria. A. MANUT. Nomina legebat Cato sepulchris inscripta, ad conficiendas Origines, de quibus in cap. 11. FACC.

Sophocles ad summam senectutem] Valer. Max. lib. VIII. cap. 7.

A filiis in judicium vocatus] Lucianus in Macrobiis Sophantem filium nominat, eumque lege talionis insaniæ judices damnasse memorat. Actio est Græcis τῆς παρανοίας. BETUL.

Rusticos Romanos] Olim proceres Romani in agris morabantur, et ubi consilium publicum desiderabatur, e villis arcessebantur in senatum: unde qui eos evocabant, *viatores* nominati. Inde honestum nomen plebeii ordinis *rustici Romani*. Cic. pro Sextio in optimatium, hoc est qui consilia sua optimo cuique probari vellent, secta collocat, *municipales rusticosque Romanos*. J. FR. GRON. IV. de Sestert. 9. ubi vide plura.

Cap. 8. *Quam illud*] Alii *quam illud*

idem, id est quam illud, quod idem Cæcilius scripsit in Plotio. Vide Nonium in verbo *advenire*. FACC.

Ædepol senectus] Et in Nonio et in vet. libris, hi versus leguntur per allocutionem ad senectam, in quorum tertio figurate persona mutatur. Hi sunt ex Plotio Cæcilii; illi ex ejusdem Hephestione. LANG.

Tum equidem, &c.] Hæc ipsa referuntur a Nonio in voce *senium*, sumpta ex Cæcilii Ephestione. FACC.

Solonem versibus] Solonis versus est,

Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος. URS.

Sextus Ælius] Vide Ciceronem in Bruto, cap. 19.

T. Coruncanius] De quo in Bruto, cap. 14.

P. Crassus] Fuit hic cum Scipione Africano seniore consul anno U. C. DXLVIII. Ejus etiam meminit III. de Orat. *Hæc fuit P. Crassi illius veteris, hæc T. Coruncanii, hæc proavi generi mei Scipionis prudentissimi hominis sapientia*. GRÆV. Vide Corradum ad Bruti cap. 19.

Quod] Lamb. *Quam*.

Non beati] Idem. *non boni*.

Cap. 10. *Tribunus militaris*] Memoriæ vitium in Cicerone deprehenditur. Legerat enim in Annalibus, Catonem non tribunum militum, sed legatum apud Thermopylas M'. Acilio consule depugnasse. Quod Livius lib. 36. perspicue docet. Neminem enim post consulatum tribunum militum fuisse constat. MANUT.

Tempestivitas] Apud Nonium legitur *tempestas*: quæ vox ex illa contracta est, idemque hoc loco significat. FACC.

Hospes tuus avitus] Africani majoris hospes fuit, ut ex Scipionis somnio licet videre. LANG.

Cap. 11. *Vacat ætas*] Interdum seniorum quoque delectus est habitus, ut apud Livium lib. 6. cap. 2. Nam summa pericula legibus non parcunt. FACC.

Ejus vitia diligentia compensanda] Diligenti cura valetudinis, inquit, sunt compensanda et resarcienda illa vitia, quibus obnoxia est senectus. *Diligentia* et paulo ante in hac notione usus est Tullius. Vires quas detrahit nobis quasi senectus, pensat diligentia: quæ illa sit, proxime secuturis verbis ostendit. GRÆV.

Menti atque animo multo magis] Sic habent omnes fere libri veteres: *Sed menti atque animo multo magis*. Sed fuit cum ita legendum putarem: *sed et menti, atque adeo multo magis*. Neque me hujus conjecturæ pœnitet. LAMB. Si hoc verum esset, scribendum etiam fuisset *extinguitur*. Atqui *extinguuntur* in omnibus editis et scriptis scilicet *animus*, et *mens*, de quarum vocum et rerum, secundum nonnullos veteres, discrimine alibi. GRÆV.

Comicos stultos senes] Vide lib. de Amicitia, cap. 26. Sic legendum est, non, *comicus*, neque, *coamicos*, &c. *Comici senes* autem dicuntur, quales introducuntur a poetis comicis, creduli, deliri, leves, amatores, stulti, qui facile decipiuntur a servis, ridiculi denique. LAMB.

Si nemini emancipata est] Fr. Gronov. ad Senec. ep. 45. rationem reddit, cur *emancipare* ponatur, ubi vulgus *mancipare* ponendum putat. *Mancipo*, inquit, est mancipio trado; *emancipo*, e potestate mea et mancipio dimitto. Liber homo est suæ potestatis: itaque cum se *emancipare* dicitur, intelligitur e potestate sua abire, non amplius suus esse, alienus fieri, desinere sui juris et mancipii esse, ut loquitur Brutus ad Ciceronem. Vide id multis eum exemplis confirmantem. GRÆV.

Si usque ad extremum spiritum dominatur in suos] Libri quidam veteres habent: *si usque ad ultimum spiritum vindicet jus suum*. LAMB. Sic et Pith. exc. nisi quod pro *jus suum* corrupte in iis scribatur *justum*. Male neglexerunt editores. Est certissima Ciceronis manus. *Vindicet suum jus*, est ut paulo ante dixit, *retineat jus suum*, seu auctoritatem et imperium in suos, metuant servi, vereantur liberi, nulli

sit emancipata: si non est sub tutela suorum liberorum, aut cognatorum. Sic *jure suo agere* dicuntur, qui libere agunt, nemine impediente. Florus I. 17. *Captisque superioribus jugis in subjectos suo jure detonuit.* Et lib. III. 17. *Equites Romani tanta potestate subnixi peculabantur suo jure rempublicam.* Sed et Ciceronem sic locutum esse dudum monuit J. Fr. Gronovius. *Dominatur in suos* est verborum illorum, quæ male ejecerunt, interpretatio, sed posteriorum temporum. *Dominari* enim *in suos* sub rep. libera tribuebatur tantum tyrannis, cum de hominibus loquerentur. Notum enim est quam invisum fuerit vocabulum *dominari* et *dominus* in libertate. Inde nec Augustus, nec Tiberius *domini* volebant salutari. GRÆVIUS. Scilicet tenet imperium in familiam suam: quæ lectio non est ita contemnenda, ut Grævio videtur. Ipse et alii legunt *vindicat jus suum.* Sed lectio hæc incidit in tautologiam, cum proxime dixerit, *jus suum retinet.* FACC.

Curricula mentis] Metaphora sumpta a ludis Circensibus, in quibus juvenes exercebantur. IDEM.

Ita sensim sine sensu] Παρόμοιον etiam vocalium allusione insigne; in quo decorum servat in Catonis persona. Nam seculum illud figuris hujusmodi delectabatur: quale est Ennii illud,

O Tite, tute Tati, tibi tanta tyranne tulisti.

et ejusdem ex Phœnice,

Stultus est qui cupida cupidus cupienter cupit.

et Plauti in Menæchmis,

Non potui paucis plura plane proloqui.

Simile ex Euripidis Medea affert Victor. lib. XXXVI. cap. 20. et Turnebus e Cicerone lib. VII. Advers. cap. 19. LANG.

Cap. 12. *Quis Deus*] Si vox *quis* Ciceronis est, referri ad Minervam debet. Mihi insititia videtur. In Paradox. I. c. 4. *Tu, cum tibi sive Deus, sive mater rerum omnium natura dederit animum,* &c. FACC.

In amicitia populi Romani permanserat] Antiqua formula: quæ in fragmento Thoriæ legis, cujus supra meminimus, ita reperitur: *Quei eorum in amicitia populi Romani bello Poinicio proximo manserunt.* Et in vetustissimo apud me senatus-consulto Græce scripto, quod M. Lepido, Q. Catulo coss. in æs incisum fuit, τῶν διὰ τέλους ἐν τῇ φιλίᾳ τοῦ δήμου τῶν ῥωμαίων μεμενηκυιῶν. URSIN.

Septem annis] *Octo annis* habet antiquus liber. IDEM.

Notandam] Alii *notandum.* Cato, cum Censor esset, ignominia L. Flamininum notavit, et Senatu movit. Causas refert Livius l. 39. cap. 42. et seq. FACC.

Flacco] L. Valerius Flaccus, qui M. Porcii Catonis collega erat. ID.

Cap. 13. *Cinea*] Qui fuit discipulus Demosthenis, in primis facundus, Pyrrho carus, ejusque nomine ad Populum Romanum Legatus, ut est apud Justinum lib. 18. cap. 2. ID.

Esse quendam] Epicurum, qui voluptatem vocabat extremum bonum. IDEM.

Insomniis] Libris omnibus invitis emendo, *insomnia.* *Insomniam* autem interpretor ἀϋπνίαν, id est, somni capiendi difficultatem, seu potius, somni privationem: quo nomine utitur et Terentius in Eunucho: *Nam aut jam revertere: aut mox noctu te adiget horsum insomnia.* Non est autem dubium, quin vinolentiæ, et cruditatis comes sit insomnia. Senes autem quamvis non sint admodum somnolenti, sed levisomni potius, ut loquitur Lucretius, dormiunt tamen facile, et tranquille propter continentiam, et moderationem, quam adhibent in cibo, et potione. Juvenes contra propter cruditates ex vinolentia, et edacitate natas, noctes insomnes, et doloris, ac molestiæ plenas traducunt. LAMBIN. Sed ego Langium et cæteros omnes tum Mss. tum excusos malo sequi, qui habent *insomniis.* Pri-

mum enim ἀϋπνία, vitium est senibus peculiare, a quo senectutem vindicare Cato non potest. Dein cum objecisset Cato, *caret senex epulis, exstructisque mensis, et frequentibus poculis*, nihil responderi poterat commodius, quam senem carere quoque incommodis, quæ illa commoda sequi solent. Caret ergo vinolentia, et cruditate, et insomniis. Neque enim vel in ebrietatis turpitudinem delabitur, vel ferculorum varietate valetudinem corrumpit, vel horribilibus insomniis infestatur. Arctiorem enim somnum insomnia consequi solent. Arctius autem dormire potos quam sobrios, nemo negat. Vulgo certe dici solet, Qui bene bibit, bene dormit. Suffridus Petrus. Insomnia ista Plinius vocat furiales somnos. Facc.

Modicis conviviis] Quidam tollunt vocem *conviviis* nec sine causa. Id.

Duillium] Al. *Duilium*, al. *Duelium*. Postea *Bellius* dictus est, ut scribit Cicero in Orat. cap. 45. Idem.

Crebro funali] Sic habent libri omnes manuscripti: et ita edidit Langius: cui assentior. Nam (ut ait idem) non dicit M. Tullius Duillium uno funali delectari solitum, sed multo et crebro. Si quis tamen malet legi, *cereo*, quod alii substituerunt, non pugnabo: testabor tamen hanc esse scripturam antiquam, et (ut arbitror) rectam et veram. Lambinus. Sed J. F. Gronovius, Observ. II. 6. *crebro*, interpretatur *denso*. De re ipsa vide Lipsium Cent. IV. miscell. epist. 3. et Casaubonum in Suetonii Cæsarem cap. 37. Græv.

Sodalitates autem me quæstore constitutæ sunt] M. Cato quæstor Africano fuit, Tuditano et Cethego coss. anno ab U. C. DXLIX. de qua re superius plura. *Sodalitates* vocat τὰ συσσίτια. Trogus lib. XXXVII. de Mithridate; *Hieme*, inquit, *deinde imminente, non in convivio, sed in campo; non in vacationibus, sed in exercitationibus; nec inter sodales, sed inter æquales, aut equo aut cursu aut viribus contendebat*. De *sodalitiis* et *sodalitiariis epulis* multa Aristoteles in Politicis. Langius. Vocabantur Græcis *sodales* θιασῶται. Collegium enim seu societas instituta in honorem alicujus dei, et ad sacra ejus celebranda vocabatur θίασος, vide Harpocrat. et θιασῶται societatis ejus consortes, Latinis *sodales* vulgo *confratriæ*. Differebant θιασῶται ἀσυσσίτοις. Hi semper una vescebantur, illi certis tantum diebus cum sacra facerent. Salmas. Observat. ad Jus Atticum et Rom. cap. 4. ubi vide plura.

Cap. 14. *Tempestivis conviviis*] Recte sic libri omnes. *Tempestiva convivia* sunt, quæ et ante legitimam conviviorum horam ineuntur, et in multam noctem protrahuntur, ut erudite ostendit maximus Salmasius in Vopiscum. Nihil certius, ut nihil falsius, quod huic opinioni rejiciendæ postea docti viri opposuerunt. Græv. *Tempestivis* ad modum temporis pertinet. Quæ nec ante inciperent, nec serius desinerent, quam opus erat. Man.

Quæ mihi sermonis aviditatem auxit] Plato, de Rep. Ὡς εὖ ἴσθι, &c. Id est: *Profecto quanto magis me corporis voluptates deficiunt, tanto cupiditas confabulandi, et voluptas quam ex ea re capio, augetur.* Hic est fons, unde ista hausit Cicero. Anaxandrides apud Stobæum:

Ἐσθλοῦ γὰρ ἀνδρὸς γῆρας εὐπροσήγορον.
Boni viri senectus facilis est in colloquio.

Quidam naturalis modus] Socrates docet apud Platonem in Protagora, usurpandam esse artem, quam μετρικὴν *dimetiendi* appellat, quæ ostendat quando molestia bona, et voluptas mala sit, et vice versa, hoc est quæ docet, ut Cicero hic dicit, qui sit *naturalis modus voluptatis*. De his pluribus disputat Gassendus, cui et hæc debentur, in libris de Philosophia morali Epicuri. Græv. *Modus* alii *Motus*. Recedit autem paullum a doctrina Stoica, si voluptatem modo aliquo admittit. Idcirco addit *fortasse*. Cæterum Stoicus voluptatibus abstinet, Peripateticus utitur, Epicureus fruitur. Facc.

Me vero et magisteria delectant] In

omni convivio legebatur plerumque sorte magister convivii, qui convivis cæteris leges ferebat bibendi. Varroni *modimperator*, Horatio *arbiter*, Plauto *dictator*, Græcis *συμποσιαρχὸν*, *βασιλεὺς*, vel *στρατηγὸς*, qua postrema voce usus est etiam Plautus Sticho:

Strategum te facio huic convivio.

Vulgatius *magister*. Lampridius in Elegabalo: *Præfectum urbicum sæpe post cœnam ad potandum vocabat, adhibitis et præfectis prætorio, ita ut si recusarent, magistri eos cogerent.* Lipsius.

A summo adhibetur in poculis] *A summo bibere* Græcis est *ἐν κύκλῳ πίνειν*, ab eo conviva videlicet, qui summus accumbit, ad imum. Mos hic solemnis in omni convivio Romanis fuit, cum paulo hilarius invitare se vellent. Plautus Persa:

Age puere
A summo septenis cyathis committe hos ludos.

Asinaria:

Da puere ab summo, age tu interibi ab infimo da suavium. Lipsius.

Rorantia] Quæ leviter irrorant convivas: ideoque parum vini capiunt. Facc.

Dii meliora] Locus est statim initio lib. I. de Rep. quem si interpretatum Ciceronem dicamus, *dic meliora*, non, *dii meliora*, legendum sit. Ut Græcum verbum *εὐφημεῖν* exprimatur, quod Latini dicunt *bona verba dicere*, aliquando *linguis favere*. Sed sic et locutus est Philipp. 10. *Ac permitto ut de tribus Antoniis eligas quem velis. Dii meliora, inquies.* Langius.

Parvulis fruitur rebus] Lamb. *pravis fruitur rebus.*

Turpione] Actore scenico, qui cum Roscio conjungitur in dialogo de Oratoribus c. 20. Facc.

Mori videbamus in studio dimetiendi pæne cæli] Aliter hæc verba locantur in meo codice: *videbamus in studio dimetiendi pæne mori cæli atque terræ.* Non dubito *pæne* suo excidisse loco. Pertinet ad *mori*, quod omnes norunt. Quam absurde autem, et contra rationem et usum Latine loquentium ponatur inter *dimetiendi* et *cæli* nemo non videt. Ciceronem credo scripsisse: *Mori pæne videbamus in studio dimetiendi cæli et terræ C. Gallum.* Sed hoc leve. Græv.

Sex annos] Man. *septem annis.*

Cap. 15. *Gremio mollito ac subacto*] Eadem tralatione utitur Virgilius II. Georg.

Vere tument terræ, et genitalia semina poscunt, &c. Idem.

Occæcatum] Sic in scriptis et excusis olim legitur. Theodorus Gaza vero legit *occatum*, quod et postea Faernus probavit, et multi editores posteriores. Sed Cicero originem vocis *occare* aperire, ac docere voluit unde *occatio* dicta esset. Nimirum *occare* factum esse per syncopen ab *occæcare*. Hanc opinionem Ciceronis fuisse ex aliorum quoque antiquorum testimonio intelligimus, in primis autem Sex. Pompeii eruditi scriptoris, qui inquit, *Occare et occationem Verrius putat ab occædendo, quod cædat grandes glebas terræ, cum Cicero venustissime dicat ab occæcando fruges satas.* Sed etiam Nonii Marcelli: *Occationem ab occæcatis seminibus, qua id efficitur, dici M. Tullius voluit de Senectute.* Est autem *occæcare* operire terra. Verrii etymologiam probat Varro I. de Re Rustica: *Vineas novellas fodere, aut arare, et postea occare, id est, comminuere, ne sit gleba, quod ita occidunt, occare dicunt.* Ille igitur dictum putat ab *occidendo*. P. Victorius Var. Lect. lib. II. cap. 23. et lib. XXIV. cap. 12.

Elicit] Quidam legere malunt *ejicit*, nec ratione carent. Facc.

Culmoque erecta geniculato] *Genicula* sunt nodi in caulibus, et culmis, quibus distinguuntur. Plin. XVIII. cap. 7. *Genicula sunt tritico quaterna, farri sena, hordeo octona.* In eodem capite: *Milium et panicum in culmum geniculatum, et concavum; sesamum vero in ferulaceum sc. fastigatur.* Sic *geniculatum incrementum* apud eun-

dem XVI. cap. 25. *Sic fit ut prima cacumina* (germinantium arborum) *impelli secutis appareat, geniculato incremento.* Hos nodos vocant etiam *articulos.* Columella II. cap. 12. *Cum seges in articulum ierit*, hoc est in nodum surgere cœperit. GRÆV.

Ex acino vinaceo] Negat Isaacus Casaubonus ὁ πάνυ ad Suetonii Augustum cap. 76. *acinum* notare Latinis veteribus, *nucleum*, qui Græcis dicatur τὸ γίγαρτον: acinum esse ipsam baccam sive granum uvæ, cujus partes sint folliculus, succus, caro, nucleus: nucleum autem non *acinum* appellari in uvis. Columellam et eum secutum Palladium nucleos etiam *vinacia* vocare nove, cum vinacia potius sint στέμφυλα. Acinum quidem pro nucleo usurpari quoque, sed mutata vetere Latinitate. Idque probat testimonio Hieronymi in Esaiæ caput primum. IDEM.

Aliorum immissio] Cum virga edita a matre sulco committitur, ut ait Columella de Arboribus cap. 7. FACC.

Stercorantem facit] Non stercorantem, ἀλλὰ λιστρεύοντα καὶ ἀμφιλαχαίνοντα τὸ φυτὸν, hoc est, *purgantem et ablaqueantem arbores*, inducit Laertem Odys. ώ. Memoriæ lapsus; nisi et seni et Catoni, ut illo seculo, rerum Græcanicarum ignorationem aliquam concedamus. Vel certe aliter in Homero lectum fuerit, quam nostra nunc habent exemplaria. LANGIUS. Vide de hoc loco disputantem Guilielmum Budæum lib. V. de Asse, Brodæum Miscellan. VI. 13. et Victorium XXVIII. Var. Lect. 4. qui Ciceronem tuetur.

Cap. 16. *Temporum disciplinam*] Hoc est, temporum illorum rationem, consuetudinem, et quasi legem, quæ ab omnibus servabatur. Hæc non fuissent annotata, nisi viris doctis aquam hic hæsisse constaret. GRÆV.

Occupatum interemit] *Occupare*, est præcipere, prævenire. III. de Rep. *Quid si vita ejus in periculum veniet, ut eum aliquando necesse sit, aut occupare, aut mori?* Hujusmodi etiam protrita video annotanda esse; quia hoc qui ignorabant, locum corruperunt. LANG.

An ulla vita *beatior*] Omittunt *vita* Langius, Gruterus, Grævius: apud quos *ulla miserior* refertur ad τὸ *senectus.* Utrumvis elige.

Supervacanei operis] Id est, cui servimus tempore quasi subcisivo, cum justo et legitimo sumus defuncti opere, seu labore, quem agri cultura poscit. GRÆV.

Brevi præcidam] Sic Academic. IV. *Præcide, inquit, statue aliquando quod lubet.* VIII. ad Att. *Nunquam reo cuiquam tam humili, tam sordido, tam nocenti, tam alieno, tam præcise negavi, quam hic mihi plane sine ulla exceptione præcidit.* Fortassis dictio, *brevi*, expungi possit, ut adulterina. LAN. Qui præmittunt *brevi*, non capiunt vim verbi *præcido.* Alii legunt *Breviter dicam;* alii *Brevi expediam:* quæ sunt Grammaticorum explicationes in contextum traductæ. FACC.

Sibi igitur habeant arma, sibi equos, &c. Hæc exercitationum genera omnibus intellectu facilia sunt, præterquam quod *clava* ista nobis caput obtundit, et cerebrum excutit. Sed militaris genus exercitationis commemorari existimo, quo se ad palum gravi clava numeros omnes armaturæ implentes exercebant. Itaque milites Romani servos clavigeros habebant, qui apud comicum Plautum in Rudente, act. III. sc. 5. et in Mercatore, act. V. sc. 2. *clavatores* appellantur. Illius exercitationis ita meminit lib. 1. cap. 11. Vegetius: Festus quoque lib. III. Hæc et plura TURN. Advers. XIII. 6.

Cap. 17. *Vir summæ virtutis*] Nepos non virtutem ejus laudat, sed felicitatem. Facit præterea avarum, perfidum, crudelem. FACC.

Comem erga Lysandrum atque humanum fuisse] Meus antiquissimus et Pithœan. *Communem erga Lysandrum atque humanum fuisse.* Nec dubito id in aliis quoque codicibus reperiri, sed neglectum ab eruditis fuisse, cum tamen nihil certius sit, hanc esse Tullii manum. *Communis*

enim est comis, humanus, benignus, facilis erga se inferiores. Suet. in Claud. cap. 21. *Neque ullo spectaculi genere communior aut remissior erat.* Et in Vespas. cap. 22. *super cœnam autem et semper alias communissimus multa joco transigebat.* Utroque in loco ex libris optimis hanc scripturam asseruit Casaubonus, cum in vulgatis sit *comior* et *comissimus*, allato etiam Servii loco: *communemque vocate deum, humanum, beneficum, φιλάνθρωπον, unde et communes homines diximus.* Cicero IV. ad Fam. 9. *Eum magis communem censemus in victoria futurum fuisse, quam incertis rebus fuisset.* Vide quæ ibi notavi. Nam et hunc locum sollicitarant viri eruditi. Sic et Græcis κοινός. Isocrates ad Demon. φιλόκαλός τε ἦν καὶ μεγαλοπρεπής, καὶ τοῖς φίλοις κοινός. *Erat elegans, et splendidus, et erga amicos communis.* GRÆV.

In quincuncem] Arbores quincunciali ordine dispositæ, undecumque spectentur, figuram referunt illius notæ, quæ apud Latinos quinque significat, V. Ordo hic in arboribus conserendis ab omnibus rei rusticæ scriptoribus summe laudatur. FACC.

Et nitorem corporis] Verba hæc abesse a veteri editione monet Manutius, neque legi in Xenophonte. Parum certe venustatis habent. ID.

Quoniam virtuti tuæ fortuna conjuncta est] Mallem, *quoniam fortunæ tuæ virtus conjuncta est.* Philosopho erit hæc sententia dignior. Ac mihi quidem sic dicendum videtur Tullio, si Græcum interpretari voluit. PASS.

Perduxisse] Vict. *vitam produxisse.*

M. quidem Valerium Corvum accepimus ad centesimum annum perduxisse] Possunt quærere qui in hac lectione non acquiescunt, quid hic tandem M. Valerius ad centesimum annum perduxerit. Facilis est responsio: Perduxit *agri colendi studia*, de quibus agitur. Nemini suborta esset vel mendi suspicio, vel cogitatio emendandi, si scripsisset Cicero: *illa perduxisse.* At enim pronomen si popularibus linguis assuetæ aures desiderant, sæpe boni latinitatis auctores prætermittunt. Quæ prætermissio multas peperit, ex intelligendi difficultate, et scribendi varietates, et emendandi. Etsi enim emendatores male de scriptoribus librariis sint soliti dicere, in eadem tamen utrique sunt navi, ut mutent quæ non intelligunt. Simillima hujus et gemina est phrasis, de Amicit. 10. *Atque earum rerum exemplum ex similitudine capiebat ineuntis ætatis, quod summi puerorum amores sæpe una cum prætexta ponerentur. Sin autem ad adolescentiam perduxissent: dirimi tamen interdum contentione,* &c. Quid enim *perduxissent?* amores. Quid *dirimi?* amores. Quæ vox ex antecedente phrasi est repetenda et intelligenda. OLIVET.

Sex et quadraginta] Lamb. *octo et quadraginta.*

Quantum spatium ætatis majores nostri ad senectutis initium esse voluerunt] Varro apud Censorinum de natali die: *In tertio gradu qui erant usque ad 45. annos, juvenes appellatos, eo quod remp. in re militari possunt juvare. In quarto autem ad usque sexagesimum annum, seniores esse vocitatos, quod tunc primum senescere corpus incipiat.* GRÆV.

In quem illud elogium unicum] *Unicum* est singulare elogium sive inscriptio. *Unicus magister* apud Sueton. in Valer. Catone, est singularis et præstantissimus, et *unicus imperator*, apud eundem in Vespas. et *unice amare* Ciceroni, mirifice, præ aliis singulariter amare. *Elogium* est quævis inscriptio sive tabulæ, sive statuæ, titulus sepulchralis, epigramma. Sic inferius cap. 20. *Solonis quidem sapientis elogium est.* Hoc est, Solonis sepulchri hæc est inscriptio. IDEM.

Cap. 18. *Ludis*] Panathenaicis. FACC.

Quanta in altero duritas] *Diritas*, ex Nonio reposui, LANGIUS. *Diritas* edendum curavit Langius, Nonium secutus: et item ego olim. Sed liceat mihi dejerare, me in novem codicibus veteribus plane reperisse scrip-

tum. *diritas:* idque mihi longe magis placet, quam, *diritas:* recteque opponitur *comitati:* non item, *diritas.* Præterea parciores et severiores in filios patres, duri et ferrei dicuntur, non, *diri.* LAMB. Non improbanda esset *diritas*, nisi abnuerent omnes fere Mss. paucissimis exceptis. Vide Victorium Var. Lect. lib. II. cap. ult. GRÆV.

Cap. 19. *Eo meliore*] Fortasse particula *eo* irrepsit: non tamen movere ausim. FACC.

Centum et viginti] Herodotus, Lucianus, et Silius Italicus numerum augent. IDEM.

Cap. 20. *Certus est terminus*] Habes ætatum omnium terminos, variasque de iis opiniones apud Censorinum c. 14. Senectuti assignari non potest, nisi tempus signetur quo moriendum est. IDEM.

Senectutis autem nullus] Olivetus et alii addunt, *certus est terminus:* quæ explicatio non est Ciceronis, sed alicujus interpretis. IDEM.

Cæterisque sensibus] Manutius et Lambinus ediderunt, *certisque.* Nos, *cæteris*, cum Victorio et Grutero. Nam si quis miretur hic *mentem* in *sensuum* numero haberi, meminerit hanc fuisse Stoicorum sententiam, ut patet ex Lucullo, cap. 10. *Mens ipsa, quæ sensuum fons est, atque etiam ipsa sensus est.* OLIVET.

Qui construxit] Hic vulgo adsuitur membrum: *sic hominem eadem optime, quæ conglutinavit, natura dissolvit.* Itaque et illud interpolatores sibi sumunt, ad recte omnia colliganda, ut post particulam *ut* addant *enim*, et *jam* vertant in *nam.* FACC.

Faxit] Columna in Fragm. p. 161. ex vetustissimo scribendi modo ita legit versum hunc: *Facsit, quur? volito vivo' per ora virum.* Vide Tuscul. I. cap. 15. IDEM.

Duos Decios] Duos facit etiam Valerius Max. in lib. V. cap. 16. et Cicero ipse in lib. III. Offic. cap. 4. et in Tuscul. I. cap. 46. Attamen in eadem Tuscul. I. cap. 37. in lib. II. de Finib. cap. 19. et alibi tres memorat, Patrem, Filium, et Nepotem. IDEM.

Cap. 21. *Incolas*] Incoluerunt enim magnam Græciam. IDEM.

Cumque semper agitetur animus] Ex Phædro Platonis hoc sumptum est. Hunc locum persequitur fusius sub finem Somnii Scipionis, et I. Tuscul. Vide Macrobium cap. 3. lib. II. in Somnium Scipionis, ubi hæc argumenta Platonis copiose declarat, Aristotelis contraria dissolvit argumenta. BALDUINUS.

Homines scire pleraque] Idem hoc docet fusius in Tusculana prima ex Menone et Phædone Platonis. ID.

Cap. 22. *Quo diutius memoriam sui teneremus*] Non videtur hæc Ciceronis manus esse. Illa scripsisset, *quo diutius memoriam eorum teneremus*, nimirum clarorum virorum, et quæ animi eorum efficiunt. In uno manuscripto codice Gulielmius invenit, *quo justius memoriam sui tuerentur.* Procul dubio *tuerentur* genuinum est. Elegantiam vocis non videntur interpolatores cepisse. Nihil tamen Ciceroni frequentius, quam *tueri* pro conservare. GRÆV.

Dormientium animi maxime declarant divinitatem suam] De his pluribus disputat I. de Divinat. IDEM.

Sic me colitote ut deum] Sapientissimus rex Cyrus, cum multa cum filiis suis de regni administratione egisset, eos ad perpetuam inter se pacem concordiamque cohortatus, tandem eos rogat, uti vel animum ipsius, tanquam immortalem reveriti, ea omnia quæ admonuerat observarent; et ut ad se etiam vita functum eam rem pertinere ostenderet, animorum immortalitatem ipsis conatur persuadere. Αἰδεῖσθαι autem, quo verbo usus est ibi Xenophon, *venerari* est, et *honore afficere.* Quis autem Cyro tribuat tam barbaram de se opinionem, ut se velit pro deo coli, atque eo loco esse, quo qui hominibus summa omnia dare potest? Sed hic ita Cicero locutus est ut in Somnio Scipionis: *Deum te igitur scito esse*, hoc est, immortalem. LANG.

Cap. 23. *Cernerent*] Iis, qui Latino sermoni dant operam, tempus hoc observandum est. Facc.

Tanquam Peliam recoxerit] Hoc vult Cato dicere: Non facile passurum se, ubi de vita migrandum sit, ut eum quisquam de via reprehendat atque reducat, etiam si juventutem redditum iri caverit; sed si etiam ad infantiam revocare quis velit, valde repugnaturum. *Tanquam*, pro quemadmodum, frequens est: ut in Lælio, *Ut tanquam in herbis non fallacibus* fructus appareat. Ergo tanquam *Peliam*, id est, quemadmodum Pelias fuit recoctus. Fabulam refert Diodorus lib. IV. Non admodum diversa est de Æsone Jasonis patre, quem Medea herbarum decocto juventuti reddidit. Ab his *recoctos* pro veteratoribus et callidis dicimus. Langius. Vide Muret. Var. Lect. VI. 10. Quidam accusant oblivionis Ciceronem, Plautum, Catullum, et Anthologiæ auctorem, quod Peliæ tribuant, quod alii de Æsone scribunt: quasi vero in fabula veritas quærenda sit. Facc.

LÆLIUS,

SIVE

DE AMICITIA.

DIALOGUS.

AD TITUM POMPONIUM ATTICUM.

Cap. I. *Q. Mucius*] Q. Mucius Scævola, de quo in Bruto, cap. 26.—Auguris sacerdotium erat perpetuum: idcirco additur tamquam cognomen. Est autem hic Q. Mucius Scævola qui fuit Consul anno U. C. DCXXXVII. Duxerat uxorem Læliam paternæ eloquentiæ æmulam. Facc.

C. Lælio socero suo] Duxerat enim ejus filiam Læliam, de qua Fabius et Cicero multis locis. Eam patris tinctam elegantia fuisse Cicero est auctor. Hæc fuit socrus Crassi oratoris, reddidisseque fertur paternam eloquentiam in dicendo elegantiorem, ut ait Faber. Roger.

Ad pontificem Scævolam] Fuit is jurisconsultus, pontifex maximus, et consul anno U. C. 658. Græv.

In hemicyclio] *Hemicyclia* dicebantur mensæ semicirculares, aut etiam sedes semirotundæ, plurium sellarum capaces, in quibus solebant sedere confabulantes, in primis seniores. Idem.

A. Q. Pompeio, qui tum erat consul] Cum L. Cornelio Sylla, anno U. C. DCLXV. Vide de hoc odio Velleium Paterculum lib. II. cap. 18. et 19. De ipso Sulpicio plura leges apud Plutarchum in Sylla, et Mario. Idem.

Memorabilem C. Lælii et P. Scipionis familiaritatem] Vide Cic. II. de Orat. VI. Valer. Max. VIII. 2. Vell. Paterc. II. 127. Horat. II. Sat. I. 72. Idem.

C. Fannius, &c.] Verba hæc usque ad *quam legens*, videntur addita argumenti loco. Postea, ut Ciceronis ea esse appareret, adjecta sunt illa quo-

que, *quam legens tu te ipse cognosces;* quæ quidem in nonnullis codicibus desunt, in aliis variant. FACC.

Cap. 2. *Melior vir*] Alii tollunt *vir*. IDEM.

Prudens] Adhiberi pro sciente solet, præsertim cum de rebus agitur, quarum est magis peritia quam scientia. IDEM.

Te autem, &c.] Pendet a superiori verbo *existimant*. Nam quæ interjiciuntur, sunt veluti parenthesi conclusa. Scioli verba alia suffecerunt. Sic legendum reor: *Te autem non solum natura et moribus, verum etiam studio et doctrina sapientem: nec sicut*, &c. IDEM.

In reliqua Græcia neminem] Hic mire variant codices. In quodam scriptum est *inveni in Græcia*. In aliis *reliqui in Græcia neminem:* quæ lectio aspernanda non videtur. Nam Fannius, ut tradit Cicero in Bruto, ex instituto Lælii soceri sui Panætium Athenis audierat. P. BALDUINUS. *Reliqua* non potest de magna Græcia dici, nec omnem, aut universam Græciam significare, quæ Rogerii est sententia. In Pithœano fuit: *qualem in tota Græcia reliqui neminem*. Est *reliqui* inculcatum a sciolo, qui nesciebat a præcedentibus *qualem* et *neminem* pendere. Inanibus sciolorum pannis, quos huic purpuræ intexuerunt recisis, lectionem optimi Pithœanei codicis (*qualem in tota Græcia neminem*) secutus sum. Nam quamvis Platoni aliisque sæpe Homerus, Sappho, Anacreon dicantur σοφοὶ, nulli tamen consensu totius populi hoc nomen peculiariter fuit datum, uti Lælio apud Romanos, aut nomen justi Aristidi apud Græcos. GRÆV.

His proximis Nonis] Cic. I. de Divinat. ait, augures Romæ commentandi, atque inter se colloquendi causa Nonis quondam congregari solitos. ROGER. Apparet, Augures nonis adesse in collegio consuevisse; ut de rebus ad id munus pertinentibus commentarentur, non tamen certum habuisse locum in quem convenirent. FACC.

D. Bruti] Videtur fuisse D. Brutus Callaicus a Gallæcis in Hispania victis cognominatus. Triumphavit enim e Gallæcia et Lusitania. GRÆV.

Invaletudinem causæ] Ita ex more loquendi Tulliano. Alii legunt *valetudinem causam*. FACC.

Sed hi in pueris: Cato] L. Paulus Æmilius Macedonicus cum duos filios haberet, prætextatos eos amisit, unum paucis diebus ante quam de Perse triumphavit, alterum paucioribus post. Refert Livius lib. XLV. et idem eorum mortem quanto animo tulerit. Eadem fere ætate C. Sulpicius Gallus, vir consularis et triumphalis, filio privatus est: ut hic indicat, et lib. IV. Epistolarum ad Ser. Sulpicium. *Nam et Q. Maximus*, inquit, *qui filium consularem clarum virum et magnis rebus gestis amisit; et L. Paulus, qui duos septem diebus; et noster Gallus et M. Cato, qui, summo ingenio, summa virtute filium perdidit; iis temporibus fuerunt, ut eos tum ipsorum dignitas consolaretur ea, quam ex rep. consequebantur*. Hic est Gallus, quem primo libro de Offic. astrologiæ studiosum tradidit. Fuit autem Lælii familiaris; et quidem natu major, ut postea videbitur, et expresse testatur Sueton. libro de Illustribus Poetis. Lælius igitur *Paulum* et *Gallum* hoc æquiore animo tulisse mortem filiorum interpretatur; quod etiam tum pueri essent, et ad remp. capessendam nondum utiles. Cato autem filium perdidit jam prætorem design. et maxima spe: cum etiam nobilissimi et fortissimi viri Pauli Macedonici filiam uxorem duxisset, in ipso videlicet limine honorum. LANG.

Cap. 3. *Qui summam spem civium, quam de eo jam puero habuerant*] Causa, cur tantam de illo spem conceperit populus Romanus, fuit, quod pudore, cum mores juventutis tum essent corruptissimi, omnes æquales superaret. Polybius in excerptis Peirescianis, quæ Hadrianus Valesius edidit et Latine vertit, lib. XXXI. cum descripsisset depravationem ju-

ventutis illius ætatis dicit: πλὴν ὅγε Σκιπίων, &c. Hoc est, vertente Henrico Valesio: *P. Scipio diversam vivendi rationem secutus, cunctisque cupiditatibus adversatus, atque in reliquo victu eundem tenorem servans, sibique ipse consentiens, pervulgatam apud omnes modestiæ et continentiæ laudem est adeptus priore illo quinquennio*, quo scilicet togam puram induerat. Græviυs.

Primum ante tempus] P. Cornel. Scipio juvenis avita virtute. primum in Africa trib. mil. deinde legatus in Hispania, egregium de se specimen ediderat. Itaque in oculis cœpit esse. Demum bello Punico tertio, ignavia imperatorum extracto, annum agens XXXVI. ædilitatem petens suo quidem tempore, consul factus est non suo. Nam curulem magistratum cum ante annum XXXVI. ætatis gerere lege annali non liceret, et gradatim magistratus peterentur, essetque necesse biennium inter singulos intercedere (quæ omnia ex oratione pro L. Manilia, et Philipp. V. colliguntur) etiam si tum ædilis factus esset, et triennio post prætor, non poterat ante annum XLII. consulatum petere. Contracta iterum per Mancini fœdus gravi populo Romano ignominia, dum quæstoriis comitiis suffragator Q. Fabio fratris sui filio, in campum descendisset, eum populus iterum cos. reduxit, inquit Valerius. Consul igitur factus est *bis, et quidem absens*, id est non candidatus: primum facta gratia ætatis: iterum *sibi quidem suo tempore*, hoc est sine ullo privilegio, interjectis plus XII. annis a priore consulatu. Nam cautum lege Cornelia erat, ne quis eundem magistratum ante annos decem caperet, de quo Livius lib. VII. *Reip. vero pene sero*, propter Numantinum dedecus. Hæc eo prolixius retuli, quod videam non modo hodie, sed ne olim quidem bene intellecta. De morte ejus vide Paterculum lib. II. et Jul. Maternum. Langius.

Pæne sero] Compescuit populum furentem ex cæde Gracchi. Sed si antea consul fuisset, poterat compescere Gracchum ipsum. Facc.

De pietate in matrem] Pietatem istam pulcherrime Polybius iisdem in excerptis memoriæ prodidit: πρῶτα αὐτῷ, &c. Id est: *Cum mater patris ipsius adoptivi excessisset e vita, quæ Æmilii naturalis patris soror, Scipionis autem Africani cognomento majoris conjux fuerat, ipse locupletissima ejus mulieris hereditate adita, primum animi sui specimen tum edere cœpit. Quippe ante dicta mulier maximo omnis generis apparatu, in solemni matronarum pompa uti solita erat, ut quæ in Scipionis Africani matrimonio et fortuna vixisset. Nam præter muliebrem mundum, pilentique ipsius ornatum, et canistra, et pocula, ac cætera ad sacrificium necessaria, partim aurea, partim argentea, in maximis solemnitatibus circumferebat; ancillarum quoque ac servorum comitatus haudquaquam dispar erat. Universum hunc apparatum statim ab obitu Æmiliæ, id enim nomen mulieri fuit, Scipio matri suæ donavit; quæ jampridem a L. Æmilio repudiata, arctiorem quam pro splendore generis rem familiarem habebat. Proinde cum antea a solemni pompa abesse consuevisset, tum forte publico ac celebri sacrificio progressa, cum apparatu Æmiliæ, iisdem pilento, bigis, ac mulionibus, reliquas mulieres advertit: quæ Scipionis pietatem, animique magnitudinem collaudantes, sublatis in cœlum manibus universæ P. Scipioni fausta omnia apprecabantur. Atque id cum ubique præclarum, tum Romæ admirabile videatur esse, qua in urbe nemo sponte alteri de suo quicquam donat.* Græv.

Liberalitate in sororis] Hanc quoque in eodem loco non passus est posteros ignorare idem scriptor præstantissimus: Μετήλλαξεν ἡ μήτηρ, &c. Id est: *Mater Scipionis decessit. Ex cujus bonis ille ea, quæ olim donaverat, de quibus superius dixi, non modo non recepit, sed et ea omnia, et universam matris hereditatem sororibus remisit, tametsi nulla pars hereditatis legibus ad eas pertineret. Proinde cum Sci-*

pionis sorores rursus cum ornatu paratuque Æmilia in solemni matronarum pompa procederent, iterum ejus in suos pietas ac magnitudo animi in memoriam famamque revocata est. His ab ineunte ætate studiis usus Scipio, modestiæ et elegantiæ famam est consecutus. Idem.

Bonitate in suos] Hujus bonitatis in Scipionis Africani majoris filias, patris adoptivi sorores, quarum altera Tiberio Graccho, altera Scipioni Nasicæ nupserat, ut et in Fabium fratrem, exempla vide ibidem perpulchra, et Scipione dignissima. Idem.

Quid igitur hunc paucorum annorum accessio juvare potuisset] Mortuus est anno ætatis quinquagesimo sexto, C. Sempronio Tuditano, et M. Aquilio coss. anno U. C. dcxxiv. Idem.

Suspicentur] Suspicabantur veneno sublatum, vel vi oppressum et necatum. Victor. cap. 58. Livii Epitome l. 59. Facc.

Ad superos videatur potius] Libri vet. omnes, *ad superos videatur deos potius, quam ad inferos pervenisse.* Langius. Sic et Pall. sex (nec non Pith.) Horat. I. Od. 10. de Mercurio: *Superis deorum Gratus et imis.* Gruterus.

Nuper disserere] Hujusmodi quæstiones per otium et luxuriam excitari solent. Ineunte autem sæculo U. C. septimo ad nimiam quamdam felicitatem Roma pervenerat, excisa Carthagine. Facc.

Cap. 4. *Qui mortuis tam religiosa jura*] Vide II. de Legibus.

Philus] Fuit is P. Furius Philus, qui cum S. Atilio Serrano consul fuit anno U. C. dcxvii. Græv.

Manilius] Fuit is M'. Manilius, jurisconsultus insignis, cujus meminit Pomponius de origine Juris. Consul fuit anno U. C. dciv. cum L. Marcio censorino. Idem.

Cujus disputationis] Fragmentum illud extat: cui titulus, *Somnium Scipionis*, hoc ipso tomo.

Cap. 5. *Æqualitas*] Id est æquabilitas; qua significatione est etiam apud Tacitum lib. 3. Ann. c. 26. Nisi forte legendum est *æquitas*, ut quidam malunt. Facc.

Accederet] Alii *adhæreret*. Id ego libentius acciperem, si illud quoque liceret, pro *proxime* legere *magis*. Idem.

Inter duos] Quæ a veteribus Græcis celebrantur amicitiæ, sunt inter duos tantum, Thesei et Pirithoi, Achillis et Patrocli, Orestis et Pyladis, Damonis et Pinthiæ, Pelopidæ et Epaminondæ. V. Plutarchum περὶ πολυφιλίας. Idem.

Cap. 7. *Quod bona spe prælucet in posterum*] Ita Vict. Man. et Grut. Sed Lambinus et Grævius, *Quod bonam spem prælucet*, ut sit translatum ab iis, qui lucem alicui præferunt, et ut Lucretius, I. 145. *præpandere lumina.*

Verum etiam] Pro *etiam* reponendum puto *enim*, quia redditur ratio cur amicus ab amico in posterum bene speret. Facc.

Agrigentinum] Vide Sextum Empiricum, lib. IX. adversus Physicos, cap. 1.

Carminibus Græcis] Extant apud Sextum Empiricum lib. I. adversus Physicos, cap. 1.

Stantes] Alii *stantes autem:* alii *flentes.* Significat animi corporisque commotionem: ideoque ad eum locum surgebant, standoque plaudebant. Facc.

Potuisse] Lamb. Grut. *potissime.*

Quoddam expetimus filum] Man. *quoddam expetimus filium.*—Deest in aliquo veteri codice verbum hoc, nec sane est necessarium: in aliis est *expectamus:* in aliis *petimus.* Facc.

Cap. 8. *Ratione*] Alii *rogatione.* Et fortasse melius atque urbanius: quia leges dicebantur *rogationes* a modo quo ferebantur. Idem.

Ut dandis recipiendisque] Glossema est quod ex margine migravit in contextum: legendum *ut quod quisque minus*, &c. Idem.

Amor enim, ex quo amicitia] Vide Cic. de Finibus, II. 24.

Quæ dirimi nisi detestabili scelere] Perduellionis, majestatis, ut Sp. Cassius pater filium, regni affectatorem

accusavit. Brutus filios, proditores patriæ, hostes judicavit. Orestes matrem occidit ob id, quod ipsa occiderat patrem. Siç Hippolytus a Phædra apud Theseum patrem, falso incestus delatus, in gravissimum patris odium venit. Sic Cluentii in matrem odium. Vide Ciceronis Orationem pro Cluentio. BETULEIUS.

Quos nunquam vidimus, quodam modo diligamus] Negat Aristoteles hoc esse amicitiam, nisi tacitam, quæ a nobis solum proficiscatur. Esse autem benevolentiam, quæ cito nascatur, principiumque esse amicitiæ. Hoc ipsum quoque sensit Cicero. Hinc dicit, *quodam modo diligimus.* GRÆV.

Sp. Cassium] Viscellinum, de quo infra cap. 11.

Sp. Mælium] Quem novis rebus studentem Q. Servilius Ahala occidit. De quo Cicero alias non semel.

Cap. 9. *Ut enim benefici*, &c.] Argumentum hoc a comparatione Amicitiæ cum liberalitate reprehenditur tamquam ambiguum apud Gellium l. 17. c. 5. et defenditur. FACC.

Ab iis, &c.] Vix colligi sententia aliqua potest. Legendum *At ii*, &c. *longe dissentiunt.* Ita restitui locum hunc ex duobus MSS. Floréntinis in Bibliotheca S. Mariæ Monach. Benedictinorum. IDEM.

Uxoriæ] Cupiditate ejusdem uxoris. Ante Turnebum legebatur, *vel luxuriæ, vel conditionis.* Fortasse ipsa quoque vox *uxoriæ* addita est ad explicandum. Nam *conditio* satis significat uxorem, ut est apud Plautum Trucul. 4. 3. 75. IDEM.

Cap. 10. *Eorum querela inveterata non modo familiaritates*] Quid est *querela inveterata?* Omnino legendum, quod in Palatino secundo invenitur, nec sibi displicere Gruterus ait, *inveteratas familiaritates*, hoc est longo usu firmatas et stabilitas. GRÆV.

Cap. 11. *Viscellinum*] Sp. Cassius Viscellinus post tertium consulatum affectati regni damnatus, de saxo Tarpeio datus est. LANGIUS. Varie scribitur hoc nomen: quo modo recte, quis dixerit? Nos sequimur Sigonium, et ita est in Fastis Cuspiniani. Vide ad an. CCLI.

Q. Tuberone] De quo in Bruto, cap. 30.

C. Blosius] Fuit Antipatri Tarsensis discipulus. Elapsus quæstiones de Tiberii Gracchi amicis habitas, ad Aristonicum Eumenis filium, Pergami regem fugit: cujus rebus afflictis, mortem sibi conscivit. Hic notandum Nasicæ attribui a Plutarcho, quod Lælius se narrat fecisse. Ciceronem Valer. sequitur libr. IV. LANG.

Ad hostes] Ad Aristonicum Regis Eumenis filium, cujus rebus afflictis, sibi ipse manum intulit. FACC.

Perfecta quidem sapientia sumus, si nihil habeat res vitii] Canterus libro VII. Novar. Lect. cap. 14. legit valde probabiliter, *si simus, nihil habeat.* Idque secuti sunt Suffridus ac Lambinus; arridebatque Guilielmio, sed contra omnes Mss. tamen; quos propugnat Aldus nepos. GRUT.

At vero Tib. Gracchum] Martialis Rogerius censet hæc verba hic non convenire, sed collocanda esse post *derelictum videbamus*, pag. 468. lin. 28. Itaque sic legit: *derelictum videbamus. Sequebantur C. Carbo, C. Cato, minime nunc quidem C. fratri, nunc idem acerrimus inimicus. At vero C. Blosius*, &c.

Minimus] Locus corruptus. Dant Vict. Man. et Lamb. *minime*, quod Grævius probat, et sic interpretatur. Caius, inquit Cicero, fratrem minime sequebatur tum, cum occideretur, (ut egregie ex antiquis monumentis docet Langius) ideoque in voculas populi incurrebat: sed nunc idem Caius est acerrimus partium fratris propugnator. Tribunus plebis factus est, ut etiam docet Langius, an. U. C. DCXXX. quo anno hic sermo habitus fingitur a Lælio. Gruterus vero edidit, *minimus*, hoc est, si Gulielmium audias, lenissimus, minime vehemens. Hic per ἐποχὴν comprobo. OLIVET. Gulielmium fefellerat ellipsis in locutione, quam Victorii habet editio.

Sic enim dedit Victorius: *et minime tunc quidem Caius frater, nunc idem acerrimus inimicus.* Hæc igitur sententia est: *Tib. Gracchum sequebantur C. Carbo, C. Cato, et Caius frater, tunc quidem minime inimicus* [reip.] *nunc idem inimicus acerrimus.* Quæ sententia nihil habet non apprime cum historica veritate consentiens. Fuit quidem Caius in triumviratu agraria lege constituto collega Tiberii; non tamen inimicus reipublicæ. *Obtinet crebra fama,* inquit Plutarchus in Gracchorum vita, ubi de Caio, *impotentem eum populi ducem, et longe Tiberio ad auram popularem captandam fuisse acriorem. Cæterum non ita se res habet. Imo apparet invitum potius incidisse in reip. tractationem, quam consilio. Siquidem Cicero est auctor, omnem honorem declinanti Caio, vitamque sectanti otiosam, oblatum in somnis fratrem.* Appianus, lib. I. B. C. narrat Caium post fratris necem quievisse diu, atque ad petitionem tribunatus venisse demum, postea quam se intellexit ab optimatibus et senatu negligi. Quievit sane *diu*, ut Græce dicit Appianus; non *aliquantisper*, ut Latinus reddidit interpres. Si quidem tribunatum petiit anno U. C. 629, cum Tiberius periisset 620. Dixi Caium, si triumvir fuit agris dividundis, non continuo fuisse hostem et inimicum reip. Legem enim agrariam Tiberius, ut omnes consentiunt historici, non suo ipse arbitrio conceperat, sed de sententia principum civitatis, qui sapientia et amore publicæ rei excellere credebantur. ODINUS. Quid si, omisso *inimicus*, legas? *nunc idem fraterrimus.* ANON.

Cap. 12. *Quid in P. Scipionem effecerint*] P. Cornelius Nasica Serapio privatus T. Gracchum occidit, et de sociis ejus quæsivit, si Plutarcho credimus: in vincula eo nomine conjectus est a P. Curiatio trib. pleb. *Cicero* in Bruto et III. de Legibus. Tandem, libera legatione in Asiam concessa, Pergami obiit. LANG.

Propter recentem pœnam Tib. Gracchi] Hoc est, ne plebs ex recente Gracchi interitu illius cæde nimium exasperaretur. GRÆV.

In tabella jam quanta sit facta labes] *Quis non sentit,* inquit III. de Leg. cap. 16. *auctoritatem omnem optimatium tabellariam legem abstulisse?* quod multis declarat, ibid. et cap. 16. IDEM.

Cap. 13. *Ne exspectemus*] Turbatum est aliquid in his membris: fortasse etiam unius aut alterius explicatio recepta est in contextum. FACC.

Dare] Joannes Clericus *dari.*

Cap. 14. *Immunis*] Expers munerum civilium, nihil conferens ad communem utilitatem. WOLFIUS. Significat: non est otiosa, et suis tantum commodis intenta, alios non curans; sed negotiosa est, et extenditur, hoc enim est *pertinet*, et late diffunditur ad totum populum. GRÆV. *Immunem* dixit, quod abhorreat a communi functione vitæ, quemadmodum olim philosophi, et hodie monachi quidam. ERASMUS.

Immunis] Lamb. *immanis.*

Nunquam consilio] Man. Lamb. *nunquam studio, nunquam consilio.*

Cap. 15. *Non ergo,* &c.] Periodus hæc, quæ incipit ut superior, conclusio quædam est veteris Grammatici margini adscripta, ut mihi videtur. FACC.

Indulgere novis] Ita Victorius et Gruterus. Erunt fortasse qui malint, quod est a Manutio et Lambino editum, *indulgeri novis.*

Cap. 16. *Quasi termini*] Excusat metaphoram; quæ fuit Latinæ linguæ Ciceronis ævo verecundia. FACC.

Biante] Gellius l. I. cap. 3. id tribuit Chiloni, qui ipse quoque unus ex septem habitus est. Sed multis tribuitur dictum hoc ex veteribus et Poetis et Philosophis. Refertur etiam ab Aristotele in l. Rhet. 2. IDEM.

Cap. 17. *Declinandum sit de via*] Sic Cicero declinavit de via, cum Milonem amicum suum defendit, quem sciebat ea voluntate fuisse, ut Clodium occideret, si se Lanuvium ituro in via offerret: eum tamen pro-

bavit insidias non fecisse. Sic M. Antonius orator C. Norbanum, qui tribunus plebis seditionem excitarat, contra P. Sulpicium, qui majestatis eum accusavit, defendit, quia amicus ejus erat. Vide et Ciceronem in Orat. pro Murena, cap. 3. copiose de hac amicitiæ lege et jure disputantem. GRÆV.

Modo ne summa turpitudo] Quid si non summa? Vide, ne Cicero nimio plus concedat. Gravius et verius in lib. III. Offic. cap. 10. de hac ipsa controversia. FACC.

Assentationibus] Alii *assentando*. Hac via colligere benevolentiam non licet, virtute licet: sed benevolentia virtute collecta melius dicitur caritas. IDEM.

Adhibere] Subaudi verbum *aiebat;* nisi vis infinitum hoc pendere a *querebatur*. Addo etiam, ab aliis legi *posse*, pro *posset:* qua ratione constructionis ordo et natura probabilior videtur. IDEM.

Quasi aquis tentatis] Vict. Man. *quasi aquis tentatis*. Grut. *equis temperatis*.

Equis tentatis] Inepte quidam, *aquis tentatis*, legunt. *Equum tentamus*, id est, ad cursum et alia summittimus: ut periclitemur si cursu valet, si sessorem patitur, si ore contumaci non est, si versuras faciles præbet, si valet cursu, si succussor non est, et alia ejusmodi, quibus cognitis eo vel utamur, vel ipsum repudiemus. Sic amicorum mores periclitandi. LANG. Theognides in sententiis, ubi de eadem re, de qua hic Cicero disputat, agit, eadem usus est translatione, ut nullus dubitandi locus sit, ex illo fonte Ciceronem hoc hausisse. GRÆV.

Periclitatis] *Probatis*. Sic restituo ex Codice Vaticano MDLXXIV. et duobus Florentinus. FACC.

Obscuratum iri se] Vict. Lamb. *excusatum iri*. Man. *excusari se*. Facc. Lege *excusatum*.

Obscuratum iri] Putant culpam neglectæ amicitiæ honores, magistratus, potentiam obscuratura esse, et infamiam illam extinctura, quia res magna sit, propter quam amicitiam negligi non habeatur indecorum. GRÆV.

Cap. 18. *Communem*] Itali dicunt *uomo alla mano, conversevole*. Nepos in Att. c. 3. *Communis infimis, par principibus*. FACC.

Cap. 20. *Aliter*] Nisi judicentur ingeniis confirmatis in quæ morum mutatio cadere nequeat. IDEM.

Trojam Neoptolemus] Quod de *Neoptolemo* Lælius ait, omnes de *Achille* narrant. Itaque vel errat per memoriam Cicero: vel, quod potius credo, de industria Lælio, ut illa ætate, Græcanicarum fabularum ignorationem concedit: quod etiam in Catone Majore factum videmus; tametsi iste jam senex Græcis litteris sedulam operam navaverit. Paulo post, *desiderium* significat absentiam: sed hoc protritum est. LANG.

Cap. 21. *A collega nostro Metello*] Q. Cæcilius Macedonicus cum Q. Pompeio Rufo inimicitias acerrimas gessit. Rebus itaque in Hispania pene a se confectis, cum audiisset Q. Pompeium successorem sibi mitti, victoriæ jam propemodum adeptæ palmam atque gloriam sibi præceptaturum, omnes commeatum missionemque petentes dimisit, nec causis excussis: horreis custodes ademit, arcus Cretenses frangi abjicique jussit, elephantis cibaria dari vetuit, inquit Valer. Id factum Scipionem, opinor, offendit studiosissimum reip. quod privatam simultatem in necem reip. derivasset. A Pompeii vero amicitia recessit Lælii gratia, ut hic dicitur. Cum esset enim Scipioni perfamiliaris, eique promisisset pro Lælio consulatus candidato prensaturum, pro se ipse prensavit. Refert Plutarch. in Apophthegm. Id Scipionem ægre habuit, ut est simile veri. *Collegam* autem et Scipionis et suum vocat *Metellum*, quia augur erat. LANG. Achilles cum filio Neoptolemo abductus est a Lycomede Ulyssis artibus. Sed fortasse scripsit Cicero *Neoptolemi p.* id est Neoptolemi pa-

ter. Id librarii non intelligentes ex *ip.* fecerunt *us.* Cæterum Neoptolemus dumtaxat inter cos fuit, qui Trojam cepere: nam Achilles antea perierat. FACC.

Dissidia] Alii discidia, ut sit a verbo discindo. IDEM.

Ut extinctæ] Res extinguuntur natura sua, opprimuntur vi. Similitudo ducitur ab igne; eaque usus est etiam in cap. 19. de senectute. IDEM.

Cap. 22. *Conjuncta et consociata*] Vulgo legitur *sociata.* Consociata autem non displicet, modo expellantur duæ illæ voces *cum altera.* IDEM.

In amicis] Malim *amicitiis.* Si Cicero *amicis* scripsisset, non addidisset *colendis.* IDEM.

Cap. 23. *Quanquam*] Minus recte. Reddit enim rationem cur dixerit unam esse amicitiam, de cujus utilitate omnes uno ore consentiunt. Legendum *Namque.* IDEM.

Ut non anquirat aliquem] Malo hic legi, *non acquirat,* seu *non adquirat,* quam, ut Langius edidit, *non anquirat.* Hoc enim significat, hominem quantumvis a societate, et congressu hominum abhorrentem, non passurum, ut non sibi aliquem conciliet, comparet, adjungat, asciscat, quicum omnia sua consilia conferat, et communicet. *Anquirere* autem aliud est: est enim undique et quoquo versus quærere. Quod minus ad hunc locum, atque ad hanc sententiam, meo quidem judicio, quadrat. LAMB. Recte sane hic sensit Langius: perinde enim est ac si dixisset, Is tamen pati seu durare non posset, ut non quærat aliquem, in quem evomat acerbitatis suæ virus. Pro quo dixit in cap. 21. *requirere et appetere aliquem,* et ibidem *alterum anquirit.* Sed *acquirere aliquem,* pro comparare, seu adjungere sibi aliquem, nemo Latine doctus dixerit, nedum Tullius. Omnino igitur legendum *anquirat,* quod vulgo minus tritum vocabulum ubique fere a librariis et sciolis mutatum est in *acquirat.* GRÆV.

Cap. 24. *Una illa sublevanda offensio est*] Illa offensio, quæ necessario suscipienda est in amicitia, cum liberius monendi sunt et objurgandi amici, qui monitiones tamen ferre non possunt, sed iis offenduntur, ut et utilitatem illam capiamus ex amicitia, quam nobis illa promittit, et ut fidi simus amici, non adulatores, est minuenda. Illa autem ut sublevanda et minuenda sit, docet non longe post, nimirum si *monitio acerbitate, objurgatio* careat *contumelia.* Cicero Orat. pro Cluentio: *Pater adolescentis, quem propter animi dolorem pertenuis suspicio potuisset ex illo loco testem in Aulum Cluentium constituere, is hunc suo testimonio sublevat.* Sic locus hic potest explicari. Ut tamen ingenue dicam, quid sentiam, videtur is non esse purus. Nam *sublevanda,* præsertim cum modo præcesserit *elevanda,* locum habere vix videtur, etsi commoda interpretatione quadam possit quasi molliri. Dein quæ est illa una offensio, quæ est sublevanda? Nusquam ejus mentio fit. In sequentibus rationem reddit, cur sit illa offensio sublevanda, uti patet ex subjecta particula *nam. Nam,* inquit, *et monendi amici sunt.* Vereor ne aliquid exciderit vitio librariorum, neve id sine meliorum codicum ope possit restitui. IDEM. Legendum *subeunda,* non *sublevanda,* quæ vox si retineri velit, sententia laborat. Nam cæteræ offensiones, inquit Cicero, vitandæ sunt; illa subeunda, quæ oritur ex veritate et fide. FACC.

Ut et utilitas in amicitia] Haud secus editiones omnes ante Lambinum, qui invitis libris substituit *veritas.* Non recte. Cæteræ, ait, offensiones vitandæ: una retinenda, quæ ex monitionibus suspicienda erit, ne fides et utilitas, quæ maxime hac in re consistunt, ab amicitia exsulent. Ea tamen sublevanda est, hoc est, mitiganda, et quod potest, lenienda comitate quadam. Hæc hujus loci sententia. GUILIELM. Rectius Lambinus, præsertim cum duo Aldi Manutii *veritas* quoque probent. Nam sine

veritate, ut in sequente capite ostendit, *amicitiæ nomen valere non potest*, quia simulatio est pestis amicitiæ veræ. *Tollit enim judicium veri, idque adulterat.* Simulamus vero, si laudamus amicum peccantem, cum aliter animus sentit de ejus factis, ac os præ se fert. GRÆV.

Obsequium] Sumitur fere pro indulgentia, *compiacenza.* Minus significat apud Latinos quam observantia. FACC.

Terentiano verbo libenter utimur] Reprehendit Tullium Donatus, quod id verbum tribuat Terentio, tanquam primo ejus auctori, cum ante Terentium eo usus sit Plautus et Nævius, quamvis in Ciceronis sententia, hoc loco inductus, sit quoque Quintilianus VIII. Institut. Orat. cap. 3. Sed recte Cicero defenditur a Joachimo Camerario in notis ad primam Tusculanam, et Parrhasio in epist. 58. GRÆV.

Catonis: Multo melius] Lamb. Grut. *Catonis, ut multa: Melius.*

Cap. 25. *Tam devium*] Cum hic de animo inconstante, et mutabili, qui cum quovis vento, ut velum, vertitur, loquatur Tullius, quid sibi velit *devius* non video. Qui interpretantur, tortum, multiplex, facile cuivis voci possunt quamvis affingere notionem. Mihi persuasi Ciceronem scripsisse: *Quid enim potest esse tam flexibile, tam tenerum, quam animus ejus, qui ad alterius non modo sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur?* Plane hanc meam opinionem firmat locus iste in Oratione pro Milone: *Nihil enim est tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quam voluntas erga nos, sensusque civium.* GRÆV.

Loco] Dignitate. MANUT. Natalibus, genere. GRÆV.

C. Papirius] Intelligit Cicero eam orationem quam Carbo habuit, C. Claudio, M. Perpenna coss. decem amplius annis ante suum consulatum, de qua sic in epitome Livii; *Cum C. Carbo tribun. pleb. rogationem tulisset, ut eundem tribun. pleb. quoties vellet, creari liceret, rogationem ejus P. Africanus gravissima oratione dissuasit: in qua dixit Tib. Gracchum jure cæsum. C. Gracchus contra suasit rogationem: sed Scipio tenuit.* Hujus orationis causa Africanum a Carbone occisum nocte sequente, opinio fuit. LANGIUS.

Ut facile ducem populi Romani, non comitem diceres] Pithœanus egregie, inducto imperitorum hominum glossemate: *ut facile ducem populi Romani diceres.* Quid enim est *comes populi Romani? Comites regum, imperatorum,* qui et *imperatorum amici dicebantur*, hoc est consiliarii, noti sunt, ut et post divisionem imperii Romani, variorum generum *comites*: sed qui sit populi Romani comes, fateor me non intelligere. Qui illum locum in hoc libello legit, *neque se comitem hujus furoris, sed ducem præbuit*, huc quoque transtulit hanc vocem, aut ex oratione pro Marcello, *hujus rei ipse dux est et comes:* sed invito Tullio. Assentior codici optimo, in quo hæc verba non habentur. GRÆV.

Lex de sacerdotiis] Cum ante sacerdotes omnes a suis collegiis cooptarentur, lege Licinia ad populi jus hoc beneficii transferebatur. Sed ea lex Lælio dissuadente antiquata est; donec Cn. Domitius, Mario iterum, et Fimbria coss. eam resuscitavit. *Paterculus et Sueton.* in Nerone. Hæc est Lælii oratio *de collegiis* inscripta, de qua Cicero in Bruto, cap. 21. Certe lex ista popularis non videbatur, sed omnino erat: multa videlicet in superbiam et tyrannidem nobilium sub specie sacerdotiorum auspicia omnia, atque ita universum rerum statum sibi vindicantium. ID.

Ad populi beneficium transferebatur] Hoc est, potestas eos creandi in comitiis populo committebatur. Hæc vis est in voce *beneficium.* Hinc magistratus dicitur *beneficium populi.* GRÆV.

Versus agere cum populo] Tributis et curiatis comitiis (nam centuriata in Campo habebantur) qui cum populo agebant, honoris ergo ad sena-

tum et comitium versus faciem convertere, spectareque consueverant. At Crassus trib. pl. ut popularis, ad forum et populum versus constitit: ita hic Ciceronis locus accipiendus. Plutarchus non C. Crassum, sed C. Gracchum id primum ausum scribit. Quod mihi fit verisimilius, qui tantum C. Licinii in senatum contemptum alibi non legerim. De C. Graccho palam est. Facilis et proclivis lapsus Ciceronis ex una littera vel altera. Nam certe librario hic imputari nihil debet. Cicero enim hic omnino de C. Crasso, Plutarchus de C. Graccho. LANGIUS. Sed erroris Tullium absolvit Steph. Pighius in Annalibus Romanorum. GRÆV. De hoc tribuno plebis C. Licinio Crasso, M. Varronem de Re Rust. lib. I. cap. 2. loqui existimo, cum maxime in annorum supputatione cum Capitolinis Fastis plane consentiat. Ejus verba sunt hæc, ubi de Liciniis loquitur: *Ejusdem gentis C. Licinius tribunus plebis cum esset post reges exactos anno* CCCLXV. *primus populum ad leges accipiendas in septem jugera forensia e Comitio adduxit.* Idem etenim omnino, quod Tullius, M. Varro memorat. Nam concionabantur leges suasuri, ante curiam in comitio sitam in Rostris, quod suggestum sive templum erat comitio ac Romano foro conterminum, et, ut vult Ascon. Pædianus, curiæ prope junctum, atque propinquum adeo, ut senatus in curia præsens facile intelligere orantes posset. Qui more majorum semper facie in curiam et comitium versi verba facientes, cum populo agebant tam in foro, quam comitio circum Rostra stante. Hic ergo primus C. Licinius popularem legem senatui ingratam perferri cupiens, contra morem majorum a comitio et senatu in Curia sedenti in forum versus verba fecit: eoque modo plebem audire volentem a curia avertit, et e comitio in forum, vel *septem jugera forensia* duxit, quemadmodum Varro de Re Rustica scribens, forum Romanum rustice vocare voluit, cujus ea tunc amplitudo vel mensura sane comitio fuisse videtur. Possum igitur difficulter pedibus in eorum sententiam ire, qui volunt Ciceronem errore, quod de C. Graccho legerat, de hoc C. Crasso tribuno plebis scripsisse, Plutarchi auctoritate in hanc opinionem ducti. An vero primus omnium Gracchus hoc fecerit, ac non potius fuerit arrogantis istius in senatum contumeliæ post Crassum imitator, videat Plutarchus, et penes ipsum hominem Græcum fides maneat. PIGHIUS.

Re magis] Pithœanus codex: *itaque rei veritate magis, quam summa auctoritate, causa illa defensa est.* Quod valde mihi arridet. *Rei veritas* est justitia causæ; qua magis, quam auctoritate virorum summorum ac in republica valde potentium, qui illam causam agebant, vicimus. Sane *rei veritate* legendum esse sequentia satis declarant. GRÆV.

Cap. 26. *Quod si in scena, id est, in concione*] Delevit Langius merito in editione sua, *id est, in concione*, quod absurdissimum est glossema, nisi malis fatue dicere, quemvis conventum populi, quacumque de causa, dici posse concionem. Nullus dubito verum vidisse Langium; sed tamen libris omnibus invitis, nihil ausus sum immutare. IDEM. Malim legere *in concione*, id est *in scena:* quasi dicat: quod si in concione, quæ est veluti scena, &c. FACC.

Nisi essent] Assentatores non viderentur faceti, nisi essent milites gloriosi, qui assentationi credulas præberent aures. IDEM.

Magis cavendum] Ego sustuli particulam *magis* tum ratione, tum ex fide trium MSS. IDEM.

In Epiclero] De comicis senibus vide P. Victor. Var. Lect. VIII. 12. Est autem *Epiclerus* Virgo dotalis, quam induxit in scenam Cæcilius. Hic ipse comœdiæ titulus est. Alii codices MSS. habent, *ut si hodie*, &c. atque ita legendum crediderim. Nam τὸ *in Epiclero* additum videtur ab aliquo enarratore. IDEM.

Epiclero] Cæcilii comœdia. De comicis senibus vide P. Vict. Var. Lect. VIII. 12.

Atque luseris] Ego censeo veram scripturam Pacuvii retinuisse Palatinum primum, *versaris, atque unxeris lautissime.* Utrumque verbum translatum est a piscibus, qui, cum assantur, versantur et unguntur. Accepit a Pacuvio Plautus, aut uterque potius e Græco comico. Hic sane in Asinar. I. 3. 26.

Quasi piscis, itidem est amator lenæ; nequam est, nisi recens.
Is habet succum, is suavitatem: eum quo vis pacto condias;
Vel patinarium, vel assum: verses, quo pacto lubet.

Exemplum senis, qui versatur et laute ungitur, est in Nicobulo, apud eundem comicum Bacchid. actu IV. idque illi ibidem in scena V. minatur servus:

Versabo ego illum hodie, si vivo, probe.
Tam frictum ego illum reddam, quam frictum est cicer.

Sicut a læna dicitur condiri amator et versari; senex a nequam servo *versari, et frigi;* sic hic a Pacuvio senes comici dicuntur *versari et laute ungi.* GRÆV.

Cap. 27. *Nulla indigentia*] Hæc duo verba addidere quidam ad explicationem eorum quæ sequuntur. FACC.

L. Paulum] Fuit is filius Pauli ejus qui consul in Cannensi ignominia periit. ROGER.

M. Catonem] Is est familiæ princeps, consularis et censorius vir, cujus collega fuit Flaccus. IDEM.

Gallum] C. Sulpicium Gallum, astrologum, qui consul fuit cum Marcello. IDEM.

Nasicam] P. Cornelium Scipionem Nasicam. Ejus filius fuit P. Cornelius Scipio Nasica, bis consul, ob sapientiam *Corculum* dictus. IDEM.

Tib. Gracchum] Fuit hic pater Gracchorum. Pater ejus bis consulatum gessit. Duxit Corneliam minorem Africani majoris filiam. IDEM.

Q. Tuberonis] Q. Ælius Q. F. Tubero, L. Pauli Macedonici ex filia nepos, vivo avo suo præturam petens, repulsam tulit: ut Cicero in Bruto et pro Murena testatur, et Valer. lib. VII. Debuit autem per legem annalem tum minimum triginta octo annorum esse. Paulus vero est mortuus anno post U. C. DXC. a quo anno usque in priorem C. Gracchi tribunatum, de quo hic sermo habetur, anni sunt XL. Quomodo igitur adolescens Q. Tubero? Viderit Cicero an exacte rationem temporum duxerit. Nam quem alium Q. Tuberonem intelligere possit, nondum deprehendi, nisi quis conjiciat hujus aliquem filium Quintum etiam fuisse, vel certe pro Q. hic L. legendum. L. enim Tubero hujus filius, Græcis et Latinis litteris eruditissimus, et antiquitatis peritus habitus est, ut ait Cicero in Bruto. Sed rursus obstat, quod supra *Q. Ælium Tuberonem Tib. Gracchi æqualem* fuisse dixerat. LANGIUS.

P. Rutilii Virginii] Vide Pighium in Fastis, ad anno DDXXXIV.

Ut possis] Olivetus et alii legunt *ut cum æqualibus,* quæ est explicatio totius sententiæ, primum margini adscripta, deinde in contextum recepta. FACC.

Ut ita virtutem locetis] *Locare mentem, operam, tempus in aliquid,* leguntur apud Tullium et alios. Sed *virtutem locare* non memini quenquam dixisse, nec quo sensu dici possit, nisi addatur res, in quam locetur virtus, video. Vereor ne ex litterarum trajectione labes orta sit, quæ hunc locum fœdavit. Legendum suspicor *ita virtutem colatis.* GRÆV. Ita sane est in margine codicis MS. Florentini apud Riccardos. FACC.

PARADOXA.

AD M. BRUTUM.

Cap. 1. *Catonem, avunculum tuum*] Servilia Bruti mater, Catonis minoris soror fuit, ut ait Asconius Pædianus. Scribit Plutarchus hunc Brutum referre genus paternum ad Brutum eum, qui Tarquinios ex urbe ejecit, et maternum ad Servilium Ahalam, quo magistro equitum Sp. Mælius occisus est. SYLVIUS.

Ut illa] Notanda generis variatio per figuram, quæ enallage dicitur. FACC.

Ea philosophia plus utimur, quæ peperit dicendi copiam] Academica scilicet, et Peripatetica. SYLVIUS.

Quæ non multum discrepant ab opinione vulgi] Peripatetici et Academici corporis et fortunæ bona esse dicunt: negant Stoici quicquam esse bonum præter virtutem. Vitia esse paria hi dicunt, illi negant. Aliaque innumerabilia sunt, de quibus non convenit inter Stoicos, et Academicos, et Peripateticos. In quibus hi (Peripatetici) dicunt ea, quæ non multum discrepant ab opinione populari. IDEM.

In ea est hæresi] Id est secta, Stoicorum scilicet. Hæresis accipitur in bonam partem pro secta philosophorum. Vide Luciani dialogum περὶ αἱρέσεων. GRÆV.

Et quasi punctis] Hoc est, rebus brevissimis. Punctum enim quod breve admodum est, dicitur a pungendo. Quia spinæ pungunt, orationis genus quo Stoici utuntur, spinosum appellat Cicero in V. de Finibus: et *dumeta*, in Lucullo. *Cum sit campus in quo exultare possit oratio, cur eam in tantas angustias, et Stoicorum dumeta compellimus?* SYLVIUS. Pith. rectius omissa copula, *minutis interrogatiunculis, quasi punctis.* Ipsas interrogationes puncta dicit, hoc est, acuta et brevia dicta. GRÆV. *Puncta* hic fœminino genere, pro *punctura* dicitur. TURNEBUS, Advers. XX. 20.

Oratoriis] Man. Lamb. *nullis oratoriis.*

Oratoriis ornamentis adhibitis] Plerique cusi præmittebant *nullis*, quod non visitur in melioribus membranis, mirorque agnoscere pro genuino auctoris Lambinum; cum id ipsum spernat ratio; et dicendi artem tribuat Catoni Tullius in Bruto cap. 31. GRUT.

Παράδοξα] Id est, *mirabilia, quæque sunt contra opinionem omnium.* Acad. II. 44. et lib. de fin. IV. 27.—Exponuntur a Cicerone ad quamdam veluti senilem declamationem, ut ipse eam vocat in Tuscul. I. c. 4. Itaque scribit Suetonius de Clar. Rhetor. c. 1. Ciceronem seniorem quoque declamasse. FACC.

Contractioribus noctibus] Æstate. Vide Mureti *Var. Lect.* XVIII. 13.

Θετικὰ] Sæpe audivi quæri, quæ dicerentur a Cicerone θετικὰ in præfatione Paradoxorum. Et Turnebus quidem (*Advers.* XX. 20.) interpretatur ea, quæ de toto aliquo genere disserantur, nullis circumscriptis personis, locis, temporibus. Notum est enim *theseon* nomine, quæstiones infinitas; *hypotheseon*, definitas in scholis rhetorum intelligi. Mihi tamen hoc quidem loco semper probabilius visum est, θετικὰ et παράδοξα eadem esse: ut hoc Cicero dicat, se ea ipsa quæ vix in scholis audiri solent, ita abhorrent ab opinione communi, tentasse numquid dicendo posset, efficere, ut in forenses ac senatorias orationes includerentur, et illic etiam ineruditis hominibus probarentur.

Thesis enim vocatur magni alicujus viri a communi hominum sententia discrepans opinio. Aristoteles primo Topicorum, et primo Physicorum. Ita tamen meam sententiam propono, ut eam Turnebi sententiæ non anteponam. MURETUS, *Var. Lect.* XVIII. 12.

In acceptum] Vict. Man. *in apertum.*

In acceptum] Quasi dicat: Tantulum est, ut acceptum ferre non debeas. De Minerva eborea Phidiæ Thucyd. lib. II. et Plutarch. in Pericle. LANG.

PARADOXON I.

Ὅτι μόνον ἀγαθὸν, τὸ καλὸν] In veteribus exemplaribus inscriptiones nullæ Latinæ extant. Sunt enim axiomata Stoica, quam sectam Græci condiderunt. LANG.

Cap. 1. *Poscit*] Vict. Lamb. *possit.* Man. *potest.*

Rebus his circumfluentibus] Lambinus et Gruterus, *circumfluentes:* sed neuter tamen antiqui codicis auctoritate sic scribi ait. Vereor ut Lambinus, aut eo antiquior ex ingenio hæc sic refinxerit. Nam Pithœan. et alius codex, cujus excerpta penes me sunt, nec non editiones emendatissimæ Langii et Victorii, *rebus his circumfluentibus,* quod est, in magna rerum istarum copia. Id invitis libris veteribus non est immutandum. Illi si addixerint, non refragabimur. Ad *desiderare* autem *istos* ἀπὸ κοινοῦ referendum ex præcedentibus: quod cum non intelligerent correctores, intrusere *homines.* Mirum autem quam in his Paradoxis grassati sint scioli, et interpolatores, quos centones undique assuerint, quia terebantur plurimorum manibus. qui pro captu ingenii et doctrinæ multa immutarunt, multa adjecerunt, quæ ipsis videbantur desiderari. GRÆV.

Imbecilla et commutabilia pecuniæ membra] Incertas istas possessiones rerum corporalium, quas fortunæ debemus, quæque facile, ut fortuna, mutari possunt. Pecuniæ nomine omnia intelliguntur, quæ in bonis sunt, præcipue corporalia, quorum multa sunt membra. IDEM.

Cap. 2. *Cum lentius*] Man. *cum sine appositione* (Lamb. *expositione) exemplorum, lentius.*

Aut auri, aut argenti ad avaritiam] *Aut auri* non haberi in quatuor Mss. melioribus, auctores sunt Guilielmius et Gruterus; nec habetur in Pithœano, jureque abest, quod a sciolo est insertum, qui nesciebat *argentum* apud antiquos usurpari pro omni pecunia, sive sit ærea, sive argentea, sive aurea. Terent. Heaut. II. 3. *Argentum, quod illi es pollicitus, inveniam.* Adelph. III. 4. *Non tu hoc argentum perdis, sed vitam tuam.* Exempla congerere putidum est. GRÆV.

Argenti] Hoc est pecuniæ. *Olivetus* et vulgo interpretes legunt *auri atque argenti:* veriti ne vox *argenti* satis significet. FACC.

Vultis a Romulo] Scilicet exemplum. Plerique, *Vultis incipiam a Romulo;* sed vocem secundam nesciunt Victorius, Grævius, &c.

Capedines] *Capis, capedo, capula, capeduncula,* dicitur vas ansatum ligneum, aut fictile, quo olim in sacris utebantur, auctore Varrone, lib. IV. de Lingua Latina, aliisque. GRÆV.

Filicatas, aliorum pateras] In quibusdam libris, *delicatas,* legitur: unde quidam, *Deliacas,* scriptum fuisse suspicantur; quorum vasorum mentio est pro Sextio, et in Verrem. Sed plures, *felicatas,* habent: quarum meminit Sex. Pompeius a felice herba, quæ et felix et felicula Catoni. LANG. Vide Ep. ad Att. VI. 1.

Cap. 3. *Corinthiis*] Ex ære Corinthio, de quo Muretus, Var. Lect. lib. III. cap. 5.

PARADOXON II.

Cap. 1. *Nec vero*] Fingit sibi adversarium pro eo, in quo erat, civitatis statu: et quasi in contentione media transit ad thesim exponendam. Cæterum Paradoxum hoc oritur a superiore, in qua conclusum est, sola animi bona, id est virtutem et honestatem esse vera bona. Qui ita se per philosophiam purgarit, Christiano proximus est. FACC.

Comitatu] Alii quidam addiderunt, *virtutis septus*. Vox prima nullum locum habet, secunda et habere potest, et in multis invenitur codicibus, non tamen necessaria est. IDEM.

Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese] Est hoc scitum Stoicum tritissimum: quod non hoc tantum loco Cicero præcipit; sed et in Tusc. V. cap. 12. *Cui viro ex se ipso apta sunt omnia, quæ ad beate vivendum ferunt, nec suspensa aliorum aut bono casu aut contrario, pendere ex alterius eventis, et errare coguntur; huic optime vivendi ratio comparata est*, &c. *quod semper in se ipso omnem spem reponat sui:* et ante ibidem cap. 10. *Clarissima voce profiteri* sc. sapientem, *se neque fortunæ impetu, nec multitudinis opinione, nec dolore, neque paupertate terreri, omniaque sibi in sese esse posita, neque esse quidquam extra suam potestatem, quod ducat in bonis.* Idem lib. V. ad Fam. 13. *Quam laudem sapientiæ statuo esse maximam, non aliunde pendere, nec extrinsecus aut bene aut male vivendi rationes suspensas habere.* Vide et lib. I. ep. 5. et Epicteti Enchiridion, I. 2. 3. GRÆV.

Istis mortis] Magnifica est illa vox Theodori Cyrenæi, qui Lysimacho regi sibi mortem minitanti, *enimvero*, inquit, *magnifica res tibi contigit, quia cantharidis vim assecutus es. Cumque hoc dicto iratior factus, cruci eum affigi jussisset, Terribilis hæc*, inquit, *sit purpuratis tuis: mea quidem nihil interest, humine an in sublimi putrefiam.* Auctor est Val. Maximus lib. VI. libere dictis. SYLVIUS. Vide Tuscul. I. 43.

Qui omnem orbem terrarum unam urbem esse ducunt] Ut Socrates, *qui cum interrogaretur, cujatem se esse diceret*, Mundanum, *dixit. Totius enim mundi se incolam et civem arbitrabatur.* Cic. Tusculana V. SYLVIUS. Eodem modo Diogenes Cynicus, apud Laert. in ejus vita, interrogatus, unde esset, respondit, Κοσμοπολίτης.

Cui nec sat est, quod est] Quia

Luxuriæ desunt multa, avaritiæ omnia,

ut ait P. Syrus. GRÆV.

Te conscientiæ stimulant maleficiorum tuorum] Cic. Orat. in Pisonem: *Nolite putare*, P. C. ut *in scena videtis, homines consceleratos, impulsu deorum, terreri furiarum tædis ardentibus: suaquemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat. Hæ sunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces.* Conscientiæ stimulus quantum hominem quiescere non sinat, Macrobius per fabulam eam de Tityo gigante, quæ est apud Virg. VI. Æn. significari dicit in lib. de Somnio Scipionis. SYLVIUS.

PARADOXON III.

Hoc paradoxum est Stoicorum. Hi enim peccata paria existimant, ut Chrysippus ait in quarto Naturalium Quæstionum, et Perseus et Zeno. Nam si verum vero majus non est, nec falsum falso majus erit. Ita nec fraus fraude, nec peccato peccatum. Nam et qui centum stadia abest a Canopo, et qui unum, æque in Canopo non sunt. Itaque et qui minus peccat, et qui amplius, æque in recto opere non sunt, auctore Cic. lib. de Finib. IV. cap. 27. Stoici *peccata paria* probantes, negant *honesto quicquam honestius, atque turpi turpius. Ut*, inquiunt, *in fidibus plurimis, si*

nulla earum ita contenta numeris sit, ut concentum servare possit, omnes æque incontentæ sunt: sic peccata, quia discrepant, æque discrepant: paria sunt igitur. Itemque: *Quoniam,* inquiunt, *omne peccatum imbecillitatis et inconstantiæ est: hæc autem vitia in omnibus stultis æque magna sunt, necesse est paria esse peccata.* Eodem auctore ibidem, *Stoici eos qui natura doctrinaque longe ad virtutem processissent, nisi eam plane consecuti essent, summe esse miseros dicunt, nec inter eorum vitam, ac improbissimorum quicquam omnino interesse. Ut Plato tantus ille vir, si sapiens non fuerit, nihilo melius, quam quivis improbissimus, nec beatius vixerit.* Idem Stoici dicunt, ut est apud eundem pro L. Murena, *non minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam eum qui patrem suffocaverit.* Item pro Milone, ut ad judicia hoc quoque Paradoxum pervenire cognoscas: *Non alio,* inquit, *facinore clari homines, alio obscuri necantur. Intersit inter vitæ dignitatem summorum atque infimorum: mors quidem illata per scelus iisdem pœnis teneatur.* SYLVIUS.

Cap. 1. *Tanquam transilire lineas*] Quod erat cursorum in stadio. Duæ erant in stadio lineæ. Altera erat in longum cavata in limine stadii, cui cursores insistebant, ut ex æquo limite progrederentur. Si qui ultra lineam vellent evagari, et limitem præcipere, voce præconis revocari solebant, βαλβίδ' ἀπόδος, θὲς πόδα παρὰ, *lineam redde, ad lineam pedem pone.* Inde illæ apud Tertullianum crebræ locutiones, *lineæ insistere, ad lineam dimicare, intra lineas gradum colligere,* et similes. Erat et alia linea in fine stadii, quæ dicebatur ultima linea, ad quam cursus finiebatur. SALMASIUS. Primam hic respicit Cicero, quam qui transilibat ante signum datum, peccabat. GRÆV.

Ad augendam transeundi culpam] Notat Gruterus in Pal. secundo non inveniri vocem *transeundi,* eamque esse otiosam: quod verissimum. GRÆV.

Id si] Alii *Id siquidem.* Sed in vulgatis libris tota periodus hæc pravis interpunctionibus contaminata est. FACC.

Si arguitur non licere] Id est, si ostenditur, non licere. Id autem licere non majus quidem est, nec minus: ut, non licet tibi magis occidere hominem alienum, quam alii patrem. SYLVIUS.

Quod si virtutes pares sunt inter se] Lipsius, Manuduct. ad Stoic. Philos. lib. III. dissert. 4. ubi vide plura de hoc argumento, quod luculente ibi exequitur. Et Seneca in epistola 66. GRÆV.

Nec bono viro meliorem] Scholæ Stoicæ pronunciant, omnes qui non sunt sapientes, esse stultos: nihil esse medium; peccata enim non distingui, sed esse æqualia. Sapientem autem nulla ex parte esse, nisi qui totus sapiat, quia virtutes se mutuo consequantur, ut qui unam habeat, omnes habere sit necesse, et qui una careat, omnibus nudatum esse necessario. Isaac. Casaubonus ad Sat. V. Persii. Vide ibi plura. IDEM.

Cap. 2. *Nuda*] Id est in thesi, sine loco, tempore, causa. FACC.

Saguntini] Vide Florum II. 6. Liv. XXI. 14. Polyb. III. 17.

Quæ quoniam (Manut. et Græv. *quando*) *utro acessit*] Locus hic turpissime erat maculatus, non tam a librariis, quam a sciolis istis; quod ignorarent, *uter,* pro *utervis* dici. LANG.

Propensius] Hoc est magis extensum. Sed legere malim *protensius.* FACC.

Rerum modum fingere non possumus] *Fingere,* omnes quidem habent libri: sed videri possit legendum, *figere.* Sic Horat. Od. 15. lib. III. *Tandem nequitiæ fige modum tuæ.* LAMB.

Si paulum se movit extra numerum] Hoc est, si non commode saltavit, aut in saltando peccavit contra leges saltationis. *Numeri* tam ad musicam pertinent, quam ad saltationem. De musicis Virgil. Eclog. IX. 45.

Numeros memini, si verba tenerem.

De saltationum numeris Persius Sat. V. 122.

———*nec cum sis cætera fossor,*
Tres tantum ad numeros satyri moveare Bathylli.

Sic enim hunc locum recte restituit Casaubonus, quem vide. *Moveri ad numerum* est saltare. Lucret. lib. II. 631.

Ludunt, in numerumque exultant sanguine læti. GRÆV.

Ut in syllaba peccare] Et hic acuti illi viri malam manum adhibuerant. Particula, *ut*, ibi, *ut in syllaba*, in nullo veteri libro extat: siquidem recte, *in syllaba peccare* figurate dictum sit, pro in aliqua vel minima particula ejus. Qui sensus tolerari possit. LANGIUS.

Si visa sint breviora, leviora videantur. Qui possint videri, &c.] Victorium sequimur: nam cæteri: *Quæ si visa sunt breviora, leviora qui possint videri*, &c. OLIVET. Verba sunt ejus, quem auctor fingit sibi respondere, et objicere. *Si visa sunt*, inquit, *breviora*, hoc est minora; judicentur etiam leviora. *Breve* pro exiguo, ubique obvium est. Quo vocabulo usus est propter institutam comparationem de syllabarum quantitate. LANG.

PARADOXON IV.

Hoc paradoxo quarto probaverat Cicero: *Solus sapiens sanus est: omnes autem stulti insaniunt.* Sed illud hodie non extat. Tantum principium ejus reliquum est hujusmodi: *Ego vero te non stultum, ut sæpe; non improbum, ut semper; sed dementem et insanum rebus* advincam *necessariis.* Reliqua, quæ sequuntur, nihil cum hoc paradoxo commune habent, sed aliud probare intendunt, *Solum* scilicet *sapientem esse civem; omnes autem stultos esse exules.* Mirum vero nec Lambino, nec Langio, nec ipsi denique Turnebo majorum gentium critico hoc suboluisse: nam in Manutio nihil hoc novi est: ariolari enim non didicit. Quare si quis locum illum supplere, et deperditorum jacturam sarcire velit, ea, quæ non longe a principio tertii Tusculanarum libri apud eundem Ciceronem leguntur, illinc assumere, et huc transferre debet. SCIOPPIUS. *Elementa Philosophiæ Stoicæ Moralis*, Cap. 129.

Cap. 1. *Ego vero te*] Invehitur hic in P. Clodium, ut secundo paradoxo in M. Antonium. LANGIUS.

Rebus vincam necessariis] Si quis locus est in Paradoxis corruptus, hic est: quem Langius (nam cæteros, qui huic ulceri manus admoverunt, omitto) sic emendare conatus est, *sed dementem et insanum, addicam necessariis. Addicam necessariis* autem, id est, mittam ad agnatos, inquit ille, ad quos mente captorum tutela pertinet. Sed ego hanc emendationem probare nullo modo possum. Nam primum in omnibus libris reperitur vox, *rebus*, quam Langius delet. Deinde si certum est, mente captum esse, non dubium quin ad agnatos mittendus sit: sin incertum, id demonstrandum est. Ego igitur conjectura ductus, sententiamque Ciceronis secutus, sic emendandum hunc locum puto: *Insanum esse rationibus evincam*, seu *advincam*, seu *vincam necessariis.* LAMB. Cum *vincam* reperit in quibusdam libris Manutius, in aliis cum ipse, tum Giffanius, Lambinus, Ursinus, *advincam*, cur non amplectimur certissimam et verissimam scripturam, *rebus vincam necessariis*, hoc est, evincam invictis argumentis. Nam *res* sæpe sunt rationes, argumenta. Hinc *res* et *ratio* tamquam synonyma junguntur Ciceroni, ut dudum observavit Giffanius. *Vincere* autem pro *evincere* tritissimum Ciceroni. Matius in lib. XI. ad Fam. ep. 28. *At debeo pro civili parte remp. velle salvam. Id quidem me cupere, nisi et ante acta vita, et reliqua mea spes, tacente me, probat, dicendo vincere me non postulo.* Superius in ead. epist. *perinde ac si jam vice-*

rint obitum ejus reip. fuisse utilem. Cic. pro Cluent. *Vince deinde virum bonum fuisse Oppianicum.* GRÆV.

Qui ne] Ita Olivetus et omnes legunt. Ego tamen legendum censeo *Quin ne.* Quoniam in veteribus MSS. unde hæc sumpta sunt, per unam fortasse eamdemque litteram *n* finiebatur vox prior, et inchoabatur posterior, nec id librarius advertit, hinc facta est periodus una pro duabus. At nisi legatur *quin*, et nova fiat propositio, in quam ea conveniunt, quæ sequuntur, non recte procedit oratio. FACC.

Omnisne conventus etiam ferorum] Grut. et Grævius, *etiam furum.*

Senatus nomen in rep. non erat] Hunc locum fœdissima labe deturpatum esse mecum fatebuntur qui accuratius eum examinabunt, et non hospites sunt in antiquorum litteris, ut de his possint ferre sententiam. *Nomen senatus* pro auctoritate senatus, ut viri docti exponunt, accipi nullo modo potest. Quin *nomen senatus* aut *magistratuum* opponitur semper illorum potestati, et auctoritati. Persuasissimum itaque habeo Tullium scripsisse, licet libri veteres omnes repugnent, *Cum ferro pulsis magistratibus senatus nomen in republica erat*: hoc est, senatus quidem erat, sed nullæ vires, nulla potestas, nulla auctoritas. Si scripsisset Cicero, uti scribitur in editis, *senatus nomen in rep. non erat*, significasset, senatum plane fuisse deletum, et extinctum, ac e medio sublatum ; nullum senatum fuisse in republica. Justin. V. 6. *Ut Atheniensium deletum non imperium tantum, verum etiam nomen videretur.* Sed Cicero ait senatum quidem fuisse, sed nomine tantum, ut vulgo loquuntur, sine vi, sine auctoritate. *Non* insertum est a sciolo, qui non intelligebat quid esset, *senatus nomen erat.* Si quis tamen vulgatam tuendam existimet, et Ciceronem sic locutum esse contendat, ut exaggeret temporis illius iniquitatem, sicuti paulo post dixerit, *senatus occiderat, civitas non erat, consul non erat*, per me licet fruatur sententia sua. GRÆV.

Consul] P. Lentulus. Is enim cum Q. Metello consul anno proximo post Gabinium et Pisonem ad senatum retulit de Cicerone revocando. SYLVIUS.

Populi liber] Vict. Man. Lamb. *populi liberi.*

Cum parietes disturbabat] Quo die Cicero ex urbe discessit, P. Clodius domum ejus quæ in Palatio erat, incendit, parietes disturbavit, ut in eo loco deæ Libertatis templum ædificaret, tanquam Ciceronis exilium Romanæ civitati libertatem afferret. IDEM.

Meorum aliquid] Libenter legerim *meum aliquid.* FACC.

Nihil neque meum est] Est enim hoc Stoicum, ut supra Biantis exemplo intelleximus. BETULEIUS.

Cædem in foro fecisti] Cum Clodiani armati VIII. Kalend. Februarii, forum, curiam, comitium occuparunt, &c. Vide Orat. pro Sextio. SYLVIUS.

Templa tenuisti] Templum Castoris intelligit, quod armatis hominibus, et servis Clodius occupavit, ne lex ferretur de Ciceronis reditu. ID.

Spartacus] Vide Flor. III. 20. Liv. Epit. 95. 96. 97.

Me tuo] Man. Lamb. *me exulem.*

Num appellatur inimicis] Legendum arbitror: Non *expelletur is*, Scilicet cum librarius indiligens scripsisset *appelletur*, Grammatici auxere vocem *is*, ut sensum aliquem eruerent, et ex ea fecere *inimicus.* Sed neque hoc nomen, nec verbum *appelletur* ferri potest, ut consideranti facile est ad intelligendum. Itaque alii mutarunt *non* in *num*, et *appelletur* in *appellatur:* sed hoc quidem est ineptius. FACC.

Qui cum telo fuerit] Lege Cornelia de sicariis teneri eum, qui hominis occidendi causa cum telo ambulaverit, Martianus scribit Digestorum 48. ad legem Corneliam de sicariis. Auctore autem Caio jurisconsulto d. 47. de furtis, teli appellatione, et

fustis, et ferrum, et lapis, omne denique, quod nocendi causa habetur, significatur. GRUTER.

Ante senatum tua sica deprehensa est] Auctore Cicerone pro Milone, comprehensus est in templo Castoris servus P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat; extorta est confitenti sica de manibus. IDEM.

Ædes Nympharum] Alii *ædis:* infra autem *deflagravit* pro *deflagrarunt.* Aptius videtur. FACC.

Qui templa occupaverit] Indocti adjecerat, *deorum. Templa* enim sunt loca sub divo patentia, auspiciis capiundis apta. Varro de Lingua Lat. Cicer. in Rhetoricis. LANGIUS. Vocem hanc, *deorum*, exulare jussit quidem Grut. sed retinent Vict. Man. Lamb.

In foro etiam castra posuisti] Non solum Castoris templum armatis hominibus occupasti, sed etiam in eo castra posuisti. SYLVIUS.

Familiarissimus tuus] Vide lib. I. ad Atticum, epist. 13.

In operto] Bonæ Deæ.

PARADOXON V.

Cap. 1. *Laudetur vero hic imperator*] In M. Antonium hoc dictum videri potest. Nisi de Sylla, vel Tarquinio magis intelligere velis. BET.

Libero] Antiquo jure Romanorum servis militare non licebat. Itaque secundo bello Punico inopia liberorum hominum, octo millia juvenum validorum ex servitiis prius emerunt, et libertate donarunt. *Liv.* 22. Imperator igitur nisi liberis non imperat, sed ne ipse quidem imperator esse potest, nisi liber sit. SYLV.

Ut velis] Non ut libido suadet, sed ratio dictitat. Nam hac significatione Stoici βούλεσιν accipiunt. Vide IV. Tusculan. cap. 6. BETULEIUS.

Sapiens Poeta] Appius fortasse, cujus sententia valde similis affertur a Salustio in Epistola a C. Cæsarem de ordinanda rep. Sed et Plautus in Trinummo, et Nepos in Attici vita, et alii eodem modo loquuntur. FACC.

Quæ sunt dominorum facta nexu] *Nexu*, hoc est, quæ mancipio vendita sunt, id est, quæ sic vendita sunt, ut evictionis periculum in se reciperet et præstaret venditor. Nexus est obligatio. GRÆV. Vide notas ad Topica.

Aut aliquo] Libenter legerim *aut alio.* Nam etiam nexus est inter civilia jura. FACC.

Cap. 2. *At ut in magna* stultorum *familia*] Delevimus cum Langio τὸ *stultorum*, quæ scriptura ineptissime inculcata fuit a librariis. GRÆV.

Topiarii] Topiarii inter prædiorum rusticorum servos censentur, qui arbusculas, vigultaque ductilia facili flexu in varias formas, et figuras solerti ingenio exprimunt et concinnant. Hinc *topiarium* opus, et ars ipsa *topiaria* dicitur. Cic. ad Q. Fr. III. 1. T. POPMA.

Qui spargunt] Ut ille apud Phædrum.

Perambulante læta domino viridaria,
Alveolo cœpit ligneo conspargere
Humum æstuantem. GRÆV.

Matellionem Corinthium] *Matellio*, ut ait Sextus Pompeius, vas urinæ est. SYLVIUS.

Barbatulos mullos exceptantem de piscina] Quidam Lucullum et Hortensium, et alios putant intelligendos, quos *piscinarios* Cic. I. ad Atticum vocat. Vide Plin. IX. 54. et seq. Macrob. III. Sat. 15. Cic. II. ad Attic. I. BETULEIUS.

Exceptantem de piscina] Non carpo; sed tamen communicanda videtur cum publico scriptura pal. sec. quæ, *excitantem ;* ut innuat mullos istos ad domini vocem ultro accessisse ad ejus manum. GRUTER.

Cap. 3. *Adolescentibus paulo loquacioribus est serviendum*] Quia adolescentes ex magnorum virorum accusatione probitatis et eloquentiæ laudem capessere solebant, ut ait Cicero II. de Officiis. LAURENT. VALLA.

Judex vero] Alii *Index vero*. Sed sive *judex*, sive *index* metum nocentibus incutit. Facc.

L. Crassi, copiosa magis, quam sapiens oratio] De Orat. I. 52.

Dominum mutare] In emendatissimo libro Centronum, *mutitare*, scriptum fuit: quod tanquam non temere scriptum, retinui; quod frequentativi verbi significatio, inconstantiam auget. *Mutitare*, receptum verbum fuit in cœnis sodalitiariis, quod subinde alius eas aliusque exhiberet. Meminit Gellius. Lang.

PARADOXON VI.

Cap. 1. *Quæ est ista in commemoranda*] Ad M. Crassum Divitem orationem dirigit. Vide Plut. in vita Ciceronis. Ipse Cic. III. de Finibus: *Rectius sapiens appellabitur dives, quam Crassus, qui nisi eguisset, nunquam Euphratem nulla belli causa transire voluisset*. Sylv.

Animus oportet tuus se judicet divitem] Inepte sic legitur in omnibus editionibus. Animæ divitiæ sunt virtutes, non possessiones, et facultates, de quibus hic agitur. Optime Pithœanus, et alius, cujus excerpta penes me sunt: *Animus oportet tuus te judicet divitem*. Si animo tuo dives es, revera dives es, etiam in fortunarum mediocritate. Paulo post quidem dicit, *animus hominis dives, non arca appellari solet*. Sed hoc est, is homo dives dicitur, cujus animus eum judicat divitem esse, contentum iis, quæ possidet. Græv.

Se judicet] Aptius hoc sane esse quam *te judicet;* (ut legendum puto) nisi sequeretur *hominum sermo* et *possessiones tuæ*. Facc.

Cum isti ordini] Senatorio, ex quo tu es. Sylv.

Ærarium expilas] M. Crassum suo et Pompeii consulatu tertio, rapuisse duo millia pondo auri e Capitolino Jovis solio, a Camillo ibi condita, Plinius auctor est cap. 1. lib. XXXIII. Ut ne ærario quidem abstinuisse credas, qui tali sacrilegio se obstrinxit. Idem.

Si testamenta amicorum exspectas] *Exspectare testamentum*, dicitur hic utrique invidiose, ut *exspectare mortem*. Proprium in hac re verbum est, quod usurpant de iis, qui optant ut aliquis moriatur. Terent. Adelph. V. 4. *Illum ut vivat, optant; meam autem mortem exspectant*, optant ut moriar. Proculeii dictum sic extulit Quintil. lib. IX. cap. 4. *Cum Proculeius quereretur de filio, quod is mortem suam exspectaret, et ille dixisset se vero non exspectare. Immo, inquit, rogo exspectes*. Græv.

Et si, ut aiunt, Danai quinquaginta sint filiæ] Sic dedit Grævius. Quod facilem habet explicatum, si probetur, hoc aliquando in communi fuisse proverbio: *Danai quinquaginta filiæ*. Id enim exigere videtur formula ista, *ut aiunt*. Gruterus: *Et si, ut aiunt, Danai quinquaginta sunt filiæ*. Lambinus: *Et si, ut aiunt, Danai, quinquaginta sunt filiæ*. Aperta est sententia: *Si* cujuspiam hominis *quinquaginta sint* vel *sunt, filiæ, ut aiunt*, et memoriæ proditum est, filias *Danai* fuisse quinquaginta. Hominem vidi eruditum, qui se narraret in veterem incidisse librum manu exaratum antiqua et bona, unde abesset verbum *aiunt:* quo quidem carere sententia sine detrimento potest. Fr. Odinus.

Cap. 2. *Operis dandis*] Aldus exponit, mercedis causa inserviendo aliis. Sylvius, operas suas locando. Sed hoc nimis γενικῶς. Rectius puto *operas dare* hic esse publicanis servire, aut esse publicanum. Cic. epist. 65. lib. XIII. ad Fam. *Cum P. Terentio Hispone, qui operas in scriptura pro magistro dat, mihi summa familiaritas consuetudoque est*. Hoc est, qui vicarius est magistri illius societatis. Orat. II. in Verr. cap. 10. *Canuleius vero, qui in portu Syracusis operam dabat*. Hoc est, qui erat inter publicanos qui Syracusis portorium exigebant. Sic et alibi Cicero. Græv.

Qui tuas mercedum pactiones in patrociniis] M. Crassus, orator, improborum hominum patrocinia suscipere solebat, ut narrat Salustius in Catilina. Lege autem Cincia pœna statuebatur adversus eos, qui pretio causas oravissent. Sylv.

Intercessiones] Hoc est, sponsiones, interposita fide sua, se soluturum pro iis, ni ipsi solverent, quam promittebant pecuniam, ut fecit, cum creditores C. Jul. Cæsarem a prætura in Hispaniam ulteriorem iturum retinerent, quos interventu Crassi in primis removit, teste Plutarcho in ejus vita. Græv.

Defœnerandas] Fœnore demergendas. Nemo ex Latinis, præter Apuleium imitari verbum hoc ausus est. Sed locus non caret mendi suspicione. Facc.

Latrocinia] Rapti per agros viatores, ut est in Suetonio de Augusto cap. 32. in ergastula conjiciebantur. Vide etiam de Tiberio c. 8. Idem.

Cum clientibus societates] Negotiationis causa. De quibus societatibus Justinian. III. Institut. Sylv.

Illam Syllani temporis messem] Cum Sylla civium Romanorum bona vendens, suam se prædam vendere diceret, M. Crassus ex iis permulta parvo emit. Cum idem Sylla magnam urbis partem incendio vastasset, areas multas, earum domini partim egestate compulsi, partim nihil audentes petenti negare, Crasso vendiderunt exiguo pretio. Qua ratione magnam urbis partem emit. Servos ad quingentos emit fabrilis artis et architecturæ peritos, quibus ad domos in areis vacuis ædificandas uteretur: quorum operas locabat iis, qui a se areas emerant. Hac ratione grandem pecuniam sibi comparavit. Plut. in vita Crassi. Idem.

Delectum] Id est, fuisse ad militiam adscitos vel non adscitos prout demeruerant vel non demeruerant præsidem pecunia? Gruter.

De re loquar] Vulgati omnes, *de te*. Sed in sequentibus, inquit, Grævius, non loquitur de Crasso, sed comparat virtutem cum divitiis. Recte Pithoeanus codex, *de re loquar*, quem, præeunte Grævio, sequimur.

Responsum M'. Curii] Respondit, *Non aurum habere præclarum sibi videri, sed iis, qui haberent aurum, imperare.*

Cap. 3. *Non modo ad fructum ille est sumptus*] Man. Lamb. *non modo ad sumptum ille fructus est.*

Non modo ad fructum] Hoc vult: Tantum abesse ut 600. illa sestertia sufficiant ad sumptus domesticos, ut ne quidem satis sint ad dissolvendum fœnus. Gruter.

Labicano] Labicum oppidulum non procul ab urbe: unde Labicanus ager, qui in prima Italiæ regione collocatur a Plinio lib. III. cap. 5. Majore numero Livius effert, et *Labicos* dicit l. II. c. 39. Facc.

Q. CICERO

DE

PETITIONE CONSULATUS,

AD M. FRATREM.

JACOBI FACCIOLATI

ADNOTATIONES SELECTÆ.

Titulus Operis sumi potest ex postremis Quinti verbis: *Volo enim hoc* COMMENTARIOLUM PETITIONIS *haberi omni ratione perfectum.*

Cap. 1. *De petitione tua*] Petebat consulatum; quem obtinuit, et gessit una cum C. Antonio, anno U. C. 690, cum ipse annum ageret 44.

Simulatio] Candidati, si forte essent natura duriores, quo tempore petebant, mores alios simulare debebant ad conciliandum sibi populi studium.

Civitas] Tria summa capita hujus Commentarioli, *quis*, *quid*, *ubi*.

Novus] Novæ nobilitatis homo dicebatur, qui primus ex sua familia magistratum gereret Curulem. Huic ex una parte respondebat *nobilis*, id est is, cujus majores magistratus Curules gesserant; quod significabatur per imagines in atrio domestico collocatas: ex altera respondebat *ignobilis*, qui nec ipse jus imaginis habebat, nec imagines majorum ostendere poterat. Marcus igitur Cicero, qui genere ignobilis erat, *novus* dici cœpit, cum Ædilis est creatus; quia tum primum jus imaginis acquisivit.

Demetrius] Demetrius Phalereus. Ipse quoque Marcus de hac Demosthenis cura scribit in lib. I. de Orat. c. 61. et in lib. V. de Fin. c. 1.

Amicorum] Hoc est alterum, quod sublevare novitatem potest; si appareat, te et multos, et ex omni civitatis ordine amicos habere. Fortasse vox *genera* non tam ad varietatem, quam ad dignitatem refertur.

Nulli habuerunt] Vulgo legitur *novi habuerunt;* quod sustineri non potest, nisi addita negatione, vel majore aliqua mutatione adhibita, ut interpretes omnes animadverterunt. Ego reposui *nulli;* idque necessitate ipsa compulsus in contextum intuli.

Omnes publicanos] In Orat. pro Planc. cap. 9. flos Equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum reip. publicanorum ordine contineri dicitur. Quantopere autem ordo hic M. Ciceroni faveret, apparet ex orat. pro Domo sua ad Pont. c. 28.

Collegia] Opificum societates; quarum vis quanta esset in civitate, habes ex Sigonio *de Ant. jur. civ. Rom.* lib. II. cap. 12.

Qui debent] Qui debent, et qui volunt facere aliquid tibi gratum.

Allegandum] Mittendi amici, qui rogent.

Cum optimatibus] Locum hunc illustrabunt ipsius Marci verba in orat. pro Sext. cap. 45.

Pompeium] His temporibus Pompeius popularis videri volebat, quamvis postea, causa nobilitatis suscepta, Cæsarem revera popularem oppugnarit. Faverant autem Cicerones Pompeio, ut apparet ex Oratione pro lege Manilia.

Proderunt] Fortasse Quintus scripsit *proderit:* id est, hoc tibi plurimum

proderit, si adduxeris cives ἀδιαφόρως, ut te potissimum Consulem cupiant, tibique faveant.

Cap. 2. *Ac multum*] Tertia ratio, quæ adjuvat novitatem tuam, est, quod habes competitores contemnendos. Fuere autem sex, P. Sulpicius Galba, L. Sergius Catilina, C. Antonius, L. Cassius Longinus, Q. Cornificius, et C. Licinius Sacerdos.

Jam P. Galbam] Muretus et Lambinus legere malunt *nam.* Placeret et nobis, si *jam* nullum locum habere posset.

Antonius et Catilina] Uterque nobilis propter majorum imagines, Catilina vero etiam patricius.

Navo] Al. leg. *novo.*

Apud eos, qui res judicant] Ita loquuntur Latini, quoties non singulos judices, sed totum ordinem significant.

Bona proscripta] Antonii bona publice vendita, ut satisfieret creditoribus.

Jurantis] Antonius accusatus a Græcis, quos in Achaia spoliaverat, et damnatus judicio repetundarum, Tribunos appellavit, juratus ex formula, se æquo jure uti non posse, sibi vim fieri opibus adversariorum. De re hac, et de bonis Antonii proscriptis, vide fragmenta Orationis in C. Antonium et L. Catilinam apud Asconium.

Ex Senatu ejectum] A censoribus, quod socios diripuisset, et judicium recusasset.

Optima] Per ironiam. Nam Antonius ignominia laborabat apud censores.

Amico Sabidio] Usus est amicis vilissimis, qui suo nomine suffragiorum custodes essent, rogatores, diribitores. Fere autem munia hæc viri nobilissimi obibant pro merito et dignitate ejus, de cujus re agebatur. M. Cicero post redit. in Sen. cap. 11. *Quando tantam frequentiam in Campo, tantum splendorem Italiæ totius ordinumque omnium; quando illa dignitate rogatores, diribitores, custodesque vidistis?*

Ad tabulam] In qua suffragiorum numerus et ratio inibatur.

De machinis emit] De catasta, ubi servi vendebantur. Machinæ istiusmodi mentio est apud Persium Sat. 6. apud Tibullum lib. II. El. 3. apud Martialem pluribus locis.

Cauponas omnes] Antonius petitionis tempore legationem liberam obibat, compilando cauponas, a quibus omnia sibi tanquam legato pop. Rom. suppeditari jubebat.

Alter vero] Catilina.

Num majore] Corruptissimus est locus hic. Alii aliter mutarunt, ut sensus constaret. Ego secutus sum Puteanum.

Umbram suam] Proverbium ad nimium timorem significandum.

Meminimus] Acciderat enim ante annos fere viginti.

Gallis] Sylla usus est militibus Gallis ad obtruncandos cives.

Nullarum partium] Non Marianarum, quibus parci nolebat Sylla. Itaque privato odio et crudelitate Cæcilium occidit.

Cap. 3. *Hominem carissimum*] Nemo fuit carior multitudini, ut est de Offic. lib. III. cap. 30. Ad locum hunc totum illustrandum mirifice valet, quod scribit Seneca l. III. de Ira c. 18.

Virgis] Alii legere malunt *vitibus.* Sed profecto *vitibus* cædebantur milites in castris, cives in urbe *virgis.*

Ad bustum] Val. Maximus IX. 2.

Dedecoris suspicionem] Fabia Virgo Vestalis ob nequitiam Catilinæ in incesti suspicionem inciderat. Causam dixit, et absoluta est.

Curios et Annios] Senatores probrosos, qui postea cum Catilina conjurarunt, ut est in Sallustii Catilinario. Curium autem censores probri causa Senatu moverant, ut est ibid. cap. 24.

Sapalas et Carvilios] Præcones amicos sibi sumpserat ab atriis auctionariis, et quidem egentes ac vitiosos; cujusmodi erant fere omnes, qui præconium exercebant.

Prætextatos] Impuberes, qui nondum sumpserant togam puram.

De Africa] Africam cum prætor Catilina avare crudeliterque administrasset, repetundarum est accusatus, et corruptis judicibus absolutus.

Testium dictis] Quæ dicta cum extarent, poterant a Marco legi; ut intelligeret quinam esset Catilina, quamvis fuisset absolutus.

Tam egens] Quia excussus et exhaustus ab judicibus, quos corruperat.

Aliud] Desiderabant homines, ut accusaretur corrupti judicii.

Ut contemnat] Contemnat periculum, si aut largitionibus, aut aliis artibus quippiam commoverit.

Ita nobilissimis] Particula *ita* hoc loco valet eatenus, quemadmodum est in cap. seq. *ita summum.*

Uno suffragio] Malim legere *suo suffragio;* vel *uno tempore suffragio suo.* Ita in fragmentis Orationis in Tog. Cand. *Duas uno tempore conantur in remp. sicas distringere.* Recte *uno tempore* dici potest; *uno suffragio* non potest. Attamen nihil ex contextu mutare ausus sum.

Cap. 4. *Ita summum*] Eatenus summum, ut tamen pro dignitate hominis possit amplior videri.

Consuetudine horum annorum] Quibus annis nobilitatis partes, duce Sylla, prævalebant adversus Marium hominem novum, et totam illam Marianam factionem.

Cap. 5. *Vetustate*] Longo et familiari usu.

Etiam servi] Hoc non pertinet ad suffragandi studium, sed ad famam nominis.

Non navant] Dedignantur ea facere, quæ suffragatores faciunt.

Ad justitiam obtinendam] Amicitia magistratuum juvat, ne quid fraudis fiat: qua in re primum valent consules, qui præsunt comitiis, deinde tribuni pl. qui possunt intercedere.

Ad conficiendas centurias] *Conficere centurias* est centuriarum favorem et suffragia conciliare: quem modum dicendi adhibuit Marcus quoque in lib. II. ad Fam. epist. 16.

Qui tribuent centuriam] Totum hunc locum valde contaminatum et obscurum alii aliter legunt. Ego in primo membro retinui quod est apud Manutium et in aliis vulgatis editionibus. Tribuent autem Marco centuriam homines gratiosi ad ambitionem, qui plurimum possunt apud suos tribules.

Quod abs te beneficium] Hic ego mihi indulsi, non addendo, sed detrahendo. Vulgo enim legebatur: *aut aliquod abs te beneficium.*

Cap. 6. *Qui autem spe*] Examinato *beneficio*, ad *spem* descendit; quod secundo loco proposuit.

Voluntarium] Eorum qui nihil acceperunt, nihilque expectant, ideoque nec beneficio, nec spe moventur.

Accommodandis sermonibus] Quibus quisque delectatur et capitur, quibus quisque movetur ad suffragandum.

In suis civitatibus] Qui conati sunt reponere *vicinitatibus* pro *civitatibus*, inanem laborem susceperunt. Ita locutus est Marcus quoque in Orat. pro Mur. cap. 23. *Homines in suis civitatibus et municipiis gratiosi.* Quo in loco Manutius *civitates* dici putat colonias et præfecturas. Revera *civitates* dicuntur cœtus quilibet jure sociati, ut est in somnio Scipion. cap. 3. Hac significatione Cæsar lib. I. Bel. Gal. cap. 12. *Omnis civitas Helvetiæ in quatuor pagos divisa est.*

Enitantur ex tempore] Ex tempore fiant gratiosi.

Cap. 7. *Bene se ponere*] Bene se collocare beneficium suum.

Per se suo nomine] Cum cives non nosset, non poterat ipse per se sine opera nomenclatoris prensare. Idcirco petitionis tempore liberam legationem obiit, ut est in c. 11.

Nullis amicis] Vulgo additur *septus.* Sed vox hæc addita fortasse est ab aliquo interprete; quemadmodum et vox *meritis* post *suffragantibus.* Utraque abest a Mss.

Cap. 8. *Urbani*] Ex tribubus ur-

banis. His tribuit industriam, non opes et gratiam. Nam Q. Fabius Censor, ut scribit Livius lib. IX. cap. 46. *simul concordiæ causa, simul ne humillimorum in manu essent comitia, omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus conjecit, Urbanasque eas appellavit.*

Libertini] Libertini omnes hoc tempore in tribubus Urbanis censebantur: quamvis sæpe de iis movendis, et in Rusticas quoque distribuendis actum esset.

Appetito] Ipse per te roga.

Allegato] Submitte alios ad rogandum.

Pagorum, vicinitatum] Significat vicos cæterasque domorum vicinitates, quæ circa Urbem erant, et in tribubus Urbanis numerabantur.

Candidati sint] Tuo nomine petant. Nam petentes magistratum, candida toga utebantur.

Quæ ad eam] Quæ ostendat, te eorum amicitiam expetere.

Equitum centuriæ] Erant decem et octo, quæ in prima classe censebantur. In classe hac erant præterea centuriæ LXXX. eorum, qui centum millia æris haberent; et duæ fabrum, si Livio credimus.

Facilius illa adolescentulorum] Adipiscendi equites; atque inter hos primum adolescentes, quia facilius amant.

In suffragando] Id est rogando tempore petitionis, adeundo, et nunciando quæ velis.

Cap. 9. *Salutatorum*] Qui mane salutatum veniunt. Martialis lib. IV. epig. 7. *Prima salutantes atque altera continet hora.*

Deductorum] Qui ad forum comitantes deducunt, et domum reducunt.

Assectatorum] Qui perpetuo sectantur, nec unquam ab officio discedunt. Hoc nomine appellantur qui Medicos, qui Oratores, aliosve artifices, non officii modo, sed etiam doctrinæ causa totos dies frequentant et comitantur. Plinius lib. II. epist. 14. *Assectabar Domitium Afrum, eum,*&c.

Te animadvertere] Interdum enim turba hæc solum nomenclatorem salutabat; interdum etiam prorsus excludebatur, quod tardior fuisset ad officia.

Descendito] Ad forum.

Nulla impensa] Apparet in hoc loco, Ciceronem causas civium suorum gratis egisse. Ita in qualibet rep. qui honores spectat, non solet operam suam illis vendere, quorum suffragiis aliquando uti velit.

Cap. 10. Ἐπιχαρμεῖον] Sententia hæc Epicharmi Comici refertur etiam a Marco Fratre lib. I. ad Att. ep. 19.

Necessitudines] Quibus coactus fuisti pro amico dicere contra eos. Hinc enim idonea purgatio est.

Aut beneficio, aut spe] Aut statim beneficium confer, aut in spem beneficii adducito.

Cap. 11. *Spem in rep.*] Ut sit spes de te in republica. Hanc spem ut excitarent, aliquando in concione ad populum, vel in senatu, se aliquid pro rep. facturos, profitebantur candidati.

Significa] Hanc in rem scribit Donatus ad Terentii Adelph. act. V. sc. 6. moris esse inferiores proprio nomine appellare, si blandiri velis.

Comitas] Comitas virtutis administra est, blanditia vitii. Comitate amicus, blanditia adulator cernitur.

Tributim] Per tribus, ut ex singulis tribubus aliqui capiantur, et benignitatis fama late vagetur.

Exsarturum] Id est compensaturum. Vulgo legitur *exacturum;* quod vix sustineri potest.

Cap. 12. *Alterum subdurum*] Ut omnibus omnia pollicearis.

Homini Platonico] Qui veritatem et sanctitatem doctrinæ Platonicæ et Socraticæ profiteris.

Te impeditum] Hoc vero dicere non debes, sed large polliceri: quamvis tibi homini Platonico non probetur.

Domum compleri] Multitudine eorum, qui egent oratoris opera.

Cap. 13. *Bene omnes loqui et existimare*] Alii aliter verba hæc mutare

conati sunt. Ego addidi vocem *omnes*. Nam bene omnes loqui et existimare pertinet ad illum, quem dixerat, *optimum sermonem*. Nisi forte omnia prorsus tollenda sunt.

Urbanam] Plebis urbanæ studia commemorat, ne ullam civitatis partem omittat.

Qui conciones tenent] Qui in concionibus sunt assidui.

Quæ adeptus es] Aiunt Critici, deesse *quæ* in manuscriptis. Quod si ita est, verbum *adeptus* regit *urbanam multitudinem*.

Excitanda nobis sunt] Si retinere placet in superiore membro *quæ adeptus*, &c. hæc sit constructio: *urbanam illam multitudinem, et studia excitanda sunt.* Antiptosis est non temere imitanda.

Cap. 14. *Spes reip.*] Postremum quod proposuit, illud est, ut resp. bene sibi polliceatur. Ob hanc unam spem, quæ de Ciceronis virtute erat in republica, consulatum obtinuit, ut scribit Plutarchus in ejus vita.

Resp. expetenda] Non est commovenda respublica, propositis rebus novis ad conciliandam sibi plebem, vel nobilitatem.

Cap. 15. *Quas tibi quotidie*] Id est *quas meditandum*. Librarii quidam non intelligentes hunc construendi modum, tametsi latinum et regularem, mutarunt *quas* in *quod*, alii in *quo*.

Vitare fabulam] Ne in fabulam venias. Ovidius lib. III. Amor. el. 1. *Fabula, nec sentis, tota jactaris in urbe.*

Judicii] Nam poterat Marcus Cicero competitores suos de ambitu accusare, si per eorum largitiones repulsam tulisset.

Accusationem meditari] Quod nimis esset odiosum.

Sequestribus] *Sequestres* appellabantur ii, apud quos pecunia largiendo destinata deponebatur; *divisores*, qui eam dividebant.

DELECTUS

COMMENTARIORUM

EX

EDITIONE

JOSEPHI OLIVETI.

IN FRAGMENTA SCRIPTORUM DEPERDITORUM.

ORATIONUM FRAGMENTA.

PRO M. TULLIO.

Orationem hanc ego pro *M. Tullio Decula*, qui consulatum Cicerone adolescente, ad eloquentiæ laudem virescente, cum Cn. Dolabella gessit, dictam suspicor. Defendit autem eum *de vi*, quantum ex orationis fragmentis intelligere possum. Artificium hujus defensionis his verbis expressit Fortunatianus in Rhetorica: *Voluntas legis tertio consideratur, cum exemplo multarum legum probamus, præsentem quoque legem ita sentire, sicut M. Tullius fecit pro M. Tullio.* Sigon.

Fundum habet] Hoc est narrationis principium. Quintilianus lib. IV. cap. 11. *Frequenter*, inquit, *a re initium narrationis faciendum est: sicut pro M. Tullio Cicero:* Fundum habet in agro Tigurino M. Tullius paternum. Idem.

PRO L. VARENO.

L. etiam Varenum videtur iisdem prope temporibus inter sicarios defendisse, cum ei objiceretur, quod C. Vareno necem attulisset: quod crimen Cicero negavit, atque in Ancharii familiam avertit. Sigon. Vide Quintilianum, IV. 2. VI. VII. 1. VIII. 2. XII.

Insequuntur studio] Lego, *Insequuntur: studio*, &c. Patric.

Cum iter per agros] Quintilianus lib. V. cap. 13. *Præterea in contradictionibus interim totum crimen exponitur: ut Cicero pro Scauro contra Bostarem facit, velut orationem diversæ partis imitatus: aut pluribus propositionibus junctis, ut pro Vareno:* Cum iter per agros, &c. *Quod est utique faciendum, si erit incredibilis rei ordo, et ipsa expositione fidem perditurus.* Sigon.

Nam C. Varenum] Vide Quintilianum lib. VII. cap. 11.

Tum C. Varenus] Quintilianus L. IV. cap. 1. et lib. IX. cap. 11. Idem.

L. ille Septimius] Significat *L. Septimium* L. Crassi, Erucium M. Antonii, nobilissimorum quondam oratorum, fuisse similes. *Erucium* autem fortasse intellexit eum, cui ipse respondit pro Sex. Roscio Amerino. Idem.

Erucius Antoniaster] De hoc *Erucio*, vide Orat. pro Sex. Roscio Amerino. Totum hunc locum, sicut est, correxit, et emendavit Petrus Victorius lib. XIV. cap. 23. Var. Lectionum. Patric.

CUM QUÆSTOR LILYBÆO DECEDERET.

Vestigia ejus orationis ex Asconio apertissime deprehendi possunt, tum in præfatione in Divinationem Ciceronis, tum paulo post, in explicatione illorum verborum, *Sæpe esse pollicitum*. Quibus utrisque ex locis apparet institutam a Cicerone hanc fuisse orationem, ut quæsturam suam rebus et officiis multis hactenus Lilybætanis commendatam, verbis etiam ad extremum commendatam redderet; atque adeo significaret, se, etiam absentem non modo cœptam erga provinciales homines benevolentiam Ro-

mæ conservaturum, sed eam quoque libenter, omnibus suis et assiduis officiis auctiorem facturum esse: si modo unquam tempus aliquod idoneum inciderit declarandæ suæ in illos perpetuæ voluntatis: editam autem ab illo eo consilio putarem, quo postea etiam orationes suas consulares ediderat, nimirum, ut, quemadmodum ille consulatus, sic hæc quæsturæ ipsius quasi monumentum extaret: in quo primo veluti gradu honorum, administrandæque reipublicæ tantam sibi continentiæ, diligentiæ, humanitatisque laudem comparasse videbatur, ut nullam unquam ullius quæsturam præstantiorem, et clariorem fuisse existimaret. Qua de re Plutarchus in ejus vita, et ipse Cicero in defensione Planci, cap. 26.

PRO P. OPPIO.

P. Oppium M. Cottæ fuisse quæstorem ejus, qui cum L. Lucullo consul Propontidem et Bithyniam provinciam sortitus, bellum adversus Mithridatem Ponti regem parum feliciter est molitus, eumque Cottam ob insidiarum suspicionem a se removisse tradit Dio lib. XLVI. Defendisse autem hunc videtur de majestate, cum crimini daretur, quod de cibariis militum detraxisset: idque crimen M. ipsius Cottæ testimonio premeretur. Hæc autem ex verbis maxime Quintiliani colliguntur, quem vide lib. V. cap. 13. X. 10. et XI. 1. SIGON.

O amorem mirum] Quintil. lib. IX. cap. 11. *Non in personis tantum*, inquit, *sed et in rebus versatur hæc contraria dicendi, quam quæ intelligi velis, ratio: ut totum pro Q. Ligario proœmium:* ut, Scilicet is superis labor est: *et ille pro Oppio locus:* O amorem mirum, &c.

PRO C. MANILIO.

Manilium hunc accusatum fuisse constat, vel quod judicium Cornelianum per operarum duces turbavisset, Cominiisque Cornelii accusatoribus mortem intentasse diceretur, ut Pedianus significat in præfatione Cornelianæ primæ: vel, ut Plutarchus scribit in vita Ciceronis, repetundarum. Defensum fuisse a Cic. illud quodammodo fragmentum indicio est, quod in Corneliana extat his verbis: *Petivisse a se, sive Cornelium*, ut exponit Asconius, *sive populum ipsum*, ut scribit Plutarchus, *ut causam Manilii defenderet*. Idem autem aperte significat, tum Plutarchus ibidem, tum etiam fragmentum ipsum orationis hujus. Cum judicio non respondisset, damnatus est: ut scribit ibidem Asconius. Quo quidem in loco quæri potest, quomodo videri possit a Cicerone esse defensus, cum judicio non responderit. Qua de re ego sane ita statuerem, vel revera non respondisse eum judicio, atque ita Ciceronis orationem hanc scriptam tantum ad Cornelii petitionem, et deinde in commentarios ipsos cum multis aliis orationibus relatam, non etiam habitam fuisse: vel, quoniam habitam fuisse orationem Plutarchus scribit, cum priore actione respondisset, ad quam fortassis majore spe, patrono Cicerone, accesserat, altera non respondisse, neque ad judicium deinceps adfuisse: cum jam videlicet non obscure intelligeret, ex iis, quæ priore actione non difficile animadverti poterant, se omnino judicio condemnatum iri. Sicut Verrem quoque fecisse Pedianus extrema sua in secundam Verrinam commentatione scribit. Locus Pediani, ubi scribit de Manilii condemnatione, non nihil esse videtur hac parte inquinatus. PATRIC.

PRO M. FUNDANIO.

M. Fundanii a Cicerone defensi meminit Q. Frater in libello de petitione consulatus. SIGON.

Arcades se proselenos] Ovid. Fast. IV.

Ante Jovem genitum terras habuisse feruntur
Arcades, et luna gens prior illa fuit.

Meminit hujus loci etiam Lactantius Placidus ad illud Thebaid. Stat. IV:

Arcades huc veteres, astris lunaque priores.

Cicero pro Fundanio opinionis ejus meminit, cum de nobilitate tractaret. Unde vides qua occasione Arcadum Proselenorum mentionem fecerit. GRÆV.

Commissura] Tabularum conjunctio.

Puncta] Acron in Poet. Horatii, *Puncta*, inquit, *dicuntur populi suffragia.* Usus est hoc verbo Cic. in Fundania. IDEM.

PRO C. CORNELIO, I.

Hanc orationem dixit L. Cotta, L. Torquato Coss. post annum quam superiores. ASCON. *Quam superiores.* Intelligit eas, quas pro Q. Gallio, M. Fundanio, et A. Cluentio dixit. SIGON.

SCHOL. *Juvenal. (fragm. ab Ernest. omiss.)* Conrepsit in scalas.] Juvenalis, VII. 117, 118, &c.

Rumpe miser tensum jecur, ut tibi lasso
Figantur virides, scalarum gloria, palmæ.

In hunc locum sic vetus Scholiastes a P. Pithoeo editus: *Scalas, armariola advocatorum: vel, ut quidam, casæ et stationes. Cicero in Corneliana,* Conrepsit, *inquit,* in scalas. *Armaria nam advocatorum apud veteres, scalas habebant.* Hæc ille. Sed melius, opinor, Casaubonus in Suetonium, *Domit.* 23. ubi Juvenalis versum hunc ipsum interpretans, *Scalæ,* inquit, *hic sunt aditus domus, janua.* Fragmentum istud fuerat a Patricio, cæterisque prætermissum. OLIVETUS.

VERSU A I. CIRCITER.

Fœneos] Simulacra, effigiesque hominum ex fœno fieri solebant, quibus objectis ad spectaculum præbendum tauri irritarentur. ASCON.

Metellus] Hoc exemplum affert hoc loco, quod vult probare, desistere eum debere ab accusatione, quanquam neque accusaverit, neque fecerit pactionem. Nam Metellus et postulaverat Curionem, et destiterat. Confugit autem orator ad Metelli nobilitatem, et ad C. Curionis industriam, ut legeret id, quod illi utilius, quam honestius, fecerant. Res autem tota se sic habet: in qua quidem illud primum explicandum est, de quo Metello hoc dicit. Fuerunt enim tunc plures Quinti Metelli. Ex quibus duo consulares, Pius, et Creticus: de quibus apparet eum non dicere. Duo autem adolescentes, Nepos, et Celer: ex quibus nunc Nepotem significat. Ejus enim patrem Q. Metellum Nepotem, Balearici filium, Macedonici Nepotem, qui consul fuit cum T. Didio, Curio is, de quo loquitur, accusavit. Isque Metellus moriens petiit ab hoc filio suo Metello, ut Curionem accusatorem suum accusaret, et, id facturum esse jurejurando adegit. Metellus fecit reum Curionem. Cumque interim quendam civem idem Metellus servum esse contendens vi irripuisset, ac verberibus affecisset, Curio assertorem ei comparavit. Dein, cum appareret eum exitum judicii illius futurum, ut liber is judicaretur, quem Metellus verberibus affectum esse negare non poterat: inter Metellum et Curio-

nem facta pactio est, ut neque arbitrium de libertate urgeret in Metellum Curio, neque Metellus perstaret in accusatione Curionis. Eaque pactio ab utroque juramento firmata est. Huc ergo illud pertinet, cum jurasse dixit, semel privatim, et iterum legatum, scilicet cum in Curionem calumniam juravit. Cum hoc autem Metello postea Cicero simultates gessit: evasit enim Metellus malus atque improbus civis. ASCON.

Cum Manilio] Legendum, *Caio Manilio:* et infra, *dedisse ridiculum est*, pro *tulisse*. SIGON.

His annis] P. Sulpicium in tribunatu hanc eandem legem tulisse significavit. Tulit autem L. Sylla, qui postea Felix appellatus, Q. Pompeio Coss. ante XVI. annos quam hæc dicta sunt, cum per vim rempublicam possedisset, ab initiis bonarum actionum ad perditos progressus. Quod et initium bellorum civilium fuit, et propter quod ipse Sulpicius Coss. armis *mire oppressus esse visus est. ASCON.

Celeritas] Celeritatem actionis significat, quia Manilius, sicut jam ostendimus, post pauculos statim dies, quam inierat tribunatum, legem eandem compitalibus pertulit. IDEM.

Petivit] C. Cornelium significat. Sicut jam ante dictum est. IDEM.

* *Mire*] Grævius legit, *jure*.

VERSU A I. DCCCCI.

Duas leges] Dictum est enim supra de his legibus: quarum una de libertinorum suffragiis, quæ cum S. C. damnata esset, ab ipso quoque Manilio abjecta est: altera autem defensa est de bello Mithridatico Cn. Pompeio extra ordinem mandando, ex qua lege tum Magnus Pompeius bellum gerebat. ASCON.

Quod summa republica] Locus mendosus. Magna in mss. varietas.

Aliis] L. Catilinam et Cn. Pisonem videtur significare. Fuit autem Catilina patricius, et eodem illo tempore erat reus repetundarum; cum provinciam Africam obtinuisset, et consulatus candidatum se ostendisset. Accusator erat ejus P. Clodius adolescens, ipse quoque perditus, qui postea cum Cicerone inimicitias gessit. Cneus quoque Piso, adolescens potens et turbulentus, familiaris erat Catilinæ, omniumque consiliorum ejus particeps, et turbarum auctor. IDEM.

VERSU CIRC. CXI.

C. Cottam] Hic est Cotta, de quo jam sæpe diximus, magnus orator habitus, et compar in ea gloria P. Sulpicio, et C. Cæsari. Videntur autem in rebus parvis fuisse leges illæ, quas cum tulisset, retulit de iis abrogandis ad senatum. Nam neque apud Sallustium, neque apud Livium, neque apud Fenestellam ullius alterius latæ ab eo legis mentio, præter eam, quam in concione tulit repugnante nobilitate magno populi studio, ut iis, qui Tribuni plebis fuissent, alios quoque magistratus capere liceret. Quod lex a dictatore L. Sylla paucis ante annis lata prohibebat. Neque eam Cottæ legem abrogatam esse significat. ASCON.

SEQUITUR.

A fratre] M. Cottam significat. Fuerunt autem tres: duo hi, C. et M. tertius L. Cotta, qui lege sua judicia inter tres ordines communicavit, senatum, equites, tribunos ærarios: adeptique sunt omnes consulatum. ASCON.

STATIM.

Liciniam] L. Licinium Crassum oratorem, et Q. Mutium Scævolam pont. max. eundemque et oratorem, et jurisconsultum, significat. Hi enim legem eam, de qua loquitur, de regendis in sua civitate sociis, in suo consulatu tulerunt. Cum enim summa cupiditate civitatis Romanæ Italici populi tenerentur, et ob id magna pars eorum pro civibus Romanis se gereret, necessaria lex visa est, ut in suæ quisque civitatis jus redigeretur. Verum ea lege ita alienati animi sunt principum Italicorum populorum, ut ea vel maxima causa belli Italici, quod post triennium exortum est, fuerit. Ascon.

Q. Cæcilio] Q. Cæcilius Metellus Numidicus, M. Junius Silanus, de quibus facit mentionem, consules fuerunt bello Cimbrico, quod diu prave simul et infeliciter gestum est. Atque ipse quoque hic Junius male rem adversus Cimbros gessit, ac plures leges, quæ per eos annos, quibus hæc sic gerebantur, populo latæ erant, quibus militiæ, stipendia minuebantur, abrogavit. Idem.

Liviis] Puto vos reminisci, has esse leges Livias, quas illis consulibus M. Livius Drusus Trib. pleb. tulerit: qui cum senatus partes tuendas suscepisset, et leges pro optimatibus tulisset, postea eo licentiæ est progressus, ut nullum in iis morem servaret. Itaque Philippus consul, qui ei inimicus erat, obtinuit a senatu, ut leges ejus omnes uno S. C. tollerentur. Decretum est enim, contra auspicia esse latas, neque iis teneri populum. Idem.

Calpurnia] Lex hæc Calpurnia, de ambitu erat. Tulerat eam ante biennium C. Calpurnius Piso consul: in qua præter alias pœnas pecuniaria quoque pœna erat adjecta. Idem.

Separari] Hoc factum est secundo consulatu Scipionis, post septimum annum quam Carthaginensibus bello secundo data est pax. Factum id esse autem, Antias tradidit ludis Romanis, quos fecerunt ædiles curules Attilius Serranus, T. Scribonius Libo: id eos fecisse jussu censorum Sex. Ælii Pæti, C. Cornelii Cethegi. Et videtur in hac oratione hunc quidem auctorem secutus Cicero dixisse, passum esse Scipionem secerni a cætero consessu spectacula senatorum. In ea autem, quam post aliquot annos habuit de aruspicum responso, non passum esse Scipionem, sed ipsum auctorem fuisse dandi eum locum senatoribus, videtur significare. Verba ejus hæc sunt: *Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri majores ante templum Matris Magnæ fieri celebrarique voluerunt? quibus primum ludis ante populi consessum senatui locum P. Africanus, II. Cos. et collega ejus Sempronius Longus, hoc tributum esse senatui scribit, sed sine mentione Megalensium.* Ædiles enim eos ludos facere soliti erant. Votivis ludis factum tradit, quos Scipio et Longus Coss. fecerunt. Non præterire autem vos volo, esse oratoriæ calliditatis, ut, cum opus sit, eisdem rebus ab utraque parte vel a contrariis utuntur. Nam cum secundum Ciceronis opinionem auctore Scipione consule ædiles secretum ante omnes locum spectandi senatoribus dederint; eodem illo facto Scipionis in hac quidem oratione, quia causa popularis erat, premebaturque senatus auctoritate, atque ob id dignitatem ejus ordinis quam possit maxime elevari causæ expediebat, pœnituisse ait Scipionem, quod passus esset id fieri. In ea oratione de aruspicum responso, quia in senatu habebatur, cujus auribus erat blandiendum, et magnopere illum laudat, et non auctorem fuisse dandi, nam id erat levius, sed ipsum etiam dedisse dicit. Idem.

CIRCA MEDIUM.

Sunt] Lego, *sunt, antequam, qui legem fert, populum jubeat discedere.* Sigon.

Alia] His peractis, cum id solum superest, ut populus sententiam ferat, jubet unumquemque is, qui fert legem *discedere.* Quod verbum non hoc significat, quod in communi consuetudine est, de eo loco ubi lex fertur, sed in suam quisque tribum discedat, in qua est suffragium laturus. Populus enim confusus, ut semper alias, ita et in concione. Ascon.

PAULO POST.

A. Gabinius] Manifestum est, de ea lege Ciceronem nunc dicere, qua Cn. Pompeio bellum adversus piratas datum est. L. autem Trebellius Trib. pl. quem non nominat: quo perseverante intercedere, (nam senatui promiserat, moriturum se ante, quam illa lex perferretur) intro vocare tribus Gabinius cœpit, ut Trebellio magistratum abrogaret, sicut quondam Tib. Gracchus tribunus M. Octavio collegæ suo magistratum abrogavit. Et aliquandiu Trebellius ea re non perterritus aderat, perstabatque in intercessione, quod omnia magis, quam perseveraturum esse Gabinium, arbitrabatur. Sed postquam X. et VII. tribus rogationem acceperunt, et una mens esset populi, qui supererat, ut jussum conficeret, remisit intercessionem Trebellius: atque ita legem Gabinius de piratis persequendis pertulit. Ascon.

Retulerunt] Diximus jam in principio, Cornelium primo legem promulgasse, ne quis per senatum lege solveretur: deinde tulisse, ut tum denique de ea re S. C. fieret, cum adessent in senatu non minus cc. Hæc est illa, quam appellat, correctio. Idem.

De Syllæ bonis] Quia defuerat superioribus temporibus in ærario pecunia publica, multa et sæpe ejus rei remedia erant quæsita. In quibus hoc quoque, ut pecuniæ publicæ, quæ residuæ apud quemque essent, exigerentur. Id autem maxime pertinebat ad Cornelium Faustum dictatoris filium, quia Sylla per multos annos, quibus exercitibus præfuerat, et rempublicam tenuerat, sumpserat pecunias ex vectigalibus, et ex ærario populi Romani: eaque res sæpe erat agitata, sæpe omissa, partim propter Syllanarum partium potentiam, partim quod iniquum vibebatur, post tot annos, quam quis pecuniam acceperat, ejus reddere rationem. Idem.

STATIM.

Antea] Bello Italico, quod fuit adolescentibus illis, qui tum in republica vigebant, cum multi varia lege inique damnarentur, quasi id bellum illis auctoribus conflatum esset, crebræque defectiones Italicorum nunciarentur, tunc ob ejus tristitiæ occasionem senatus decrevit, ne judicia, dum tumultus Italicus esset, exercerentur. Quod decretum eorum in concionibus populi sæpe agitatum erat. Supererant autem ex iis, qui illa judicia metuerunt, vigentes multi, maxime C. Curio, Curionis adolescentis pater, ejus, qui bello civili Cæsaris fuit partium. Ascon.

PAULO POST.

Cn. Dolabella] Duo fuerunt eo tempore Dolabellæ, quorum alterum C. Cæsar accusavit, alterum M. Scaurus. Ascon.

Sisenna] Hoc solum hic annotandum est, hunc esse L. Sisennam, qui res Romanas scripsit. Idem.

ET EADEM DE RE PAULO POST.

Duorum] P. Syllam et Autronium significat: quorum alterum L. Cotta, alterum L. Torquatus, qui, cum hæc Cicero dicebat, consules erant, ambitus damnarant, et in eorum locum creati erant. Ascon.

Res vulgare nomen Philerotis] Vox *res*, habet sine dubio mendam. Quid, si pro ea, *Romæ*, reponas? Audax fortasse emendatio sit, sed tamen ab oratoris sententia non aliena. Tentabat alius *pervulgare*. Sigon. Forte pro *res vulgare nomen*, legendum *servi vulgare nomen*. Græv.

Collegium] Frequenter tum etiam cœtus factiosorum hominum sine publica auctoritate malo publico fiebant: propter quod postea collegia, S. C. et pluribus legibus sunt sublata, præter pauca atque certa: quæ utilitas civitatis desiderasset, ut fabrorum, lictorumque. Ascon.

Ad legem] C. Piso, qui consul eodem anno fuit, quo Cornelius Trib. pl. erat, cum legem de ambitu ex S. C. graviorem, quam fuerat antea, ferret, et propter multitudinem divisorum, qui per vim adversabantur, e foro ejectus esset: edixerat id, quod Cicero significat, et majore manu stipatus ad legem perferendam descenderat. Idem.

Alterum] Manifestum puto esse vobis, M. Crassum, et Cn. Pompeium significari: e quibus Crassus judex tum sedebat in Cornelium; Pompeius in Asia bellum Mithridaticum gerebat. Idem.

Restituerentur] Inducor magis librariorum hoc loco esse mendam, quam ut Ciceronem parum proprio verbo usum esse credam. Illo enim tempore, de quo loquitur, quod fuit post XVI. annos quam reges exacti sunt, plebs sibi leges sacratas non restituit (nunquam enim tribunos pleb. habuerat;) sed tum primum eas constituit. Numerum quidem annorum post reges exactos, quam id factum est, diligenter posuit, qui fuit A. Verginio Tricosto, L. Veturio Ceturino Coss. Cæterum quidam non duos trib. pleb. ut Cicero dicit, sed quinque tradunt creatos tum esse, singulos ex singulis classibus. Sunt tamen, qui eundem illum duorum numerum, quem Cicero, ponant: inter quos Tuditanus, et Pomponius Atticus, Liviusque noster. Idem hic et Tuditanus adjiciunt, tres præterea ab illis duobus collegas creatos esse. Nomina duorum, qui primi creati sunt, hæc traduntur, L. Sicinius, L. F. Velutus, L. Junius. C. F. Paterculus. Reliqua pars hujus loci, quæ pertinet ad secundam constitutionem tribunorum, et decemvirorum finitum imperium, et breviter, et aperte ab ipso dicitur. Nomina sola non adjicit, quis ille ex decemviris fuerit, qui contra libertatem vindicias dederit, et quis ille pater, contra cujus filiam id decrevit: scilicet, quod notissimum est, decemvirum illum Appium Claudium fuisse, patrem autem virginis L. Virginium. Unum hoc tantummodo explicandum, quo loco primum de secunda secessione plebis, deinde de concordia facta, sic dicit. Ascon.

Tres legatos] Legati tres, quorum nomina non ponit, ii fuerunt, Sp. Tarpeius, C. Julius, P. Sulpicius, omnes consulares: pontifex maximus fuit M. Papirius. Idem.

Cassiam] Quæ sit ista lex Cassia,

qua suffragiorum potestas convaluit, manifestum est. Nam ipse quoque paulo ante dixit legem Cassium tulisse, ut populus per tabellam suffragium ferret. Altera Cassia lex, quæ populi judicia firmavit; quæ sit, potest quæri. *Est autem hæc. L. Cassius L. F. Longinus trib. pleb.* C. Mario, C. Flacco Coss. plures leges ad minuendam nobilitatis potentiam tulit, in quibus hanc etiam, ut, quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, in senatu nec esset. Tulerat autem eam maxime propter simultates cum Q. Cæcilio, qui ante biennium consul fuerat: et cui populus, quia male adversus Cimbros rem gesserat, imperium abrogavit. IDEM.

C. Cottæ] Hic Cotta, ut puto, legem tulit, ut tribunis pleb. liceret postea alios magistratus capere: quod lege Syllæ iis erat ademptum. IDEM.

Aureliam] Aurelia lege communicata judicia inter senatores, et equestrem ordinem, et tribunos ærarios. Roscia est, quam L. Roscius Otho biennio ante Cos. firmavit, ut in theatro equitibus Romanis XIV. ordines spectandi gratia darentur. IDEM.

Plotia] M. Plautius Silanus trib. pleb. Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone Coss. secundo anno belli Italici, cum equester ordo in judiciis dominaretur, legem tulit adjuvantibus nobilibus, quæ lex vim eam habuit, quam Cicero significat: nam ex ea lege tribus singulæ † ex eo numero quinos suffragio creabant, qui eo anno judicarent. Ex eo factum est, ut senatores quoque in eo numero essent, ut quidam etiam ex ipsa plebe. IDEM.

* *C. Mario, Flacco Coss.*] Reponendum videtur, *L. Cassio*, pro *C. Flacco*. Horum enim consulatus significatur, cum proxime inferat, Q. Cæcilium biennio ante latam legem consulem fuisse. MANUT.

† *Ex eo*] Patricius, *ex suo numero.*

RELIQUA EX ASCONIO.

Duos] M. Lucullum, et M. Lepidum significat. Quinque enim consulares, ut jam diximus, in Cornelium testimonium dixerunt: Q. Catulus, Q. Hortensius, Q. Metellus Pius pont. max. quos hac secunda oratione tractat: et duo qui non dixerunt, quos nunc significat, Lucullus et Lepidus. ASCON.

POST XX. VERS. A PRÆCEDENTI.

Eripuit] Hoc egere enarratione, quia hoc loco nomen non ponit quis fecerit, ei demum videri potest, qui oblitus sit, minus ante XX. versus hæc de eo ipso Ciceronem dixisse: *Sed si familiariter ex Q. Catulo, &c.* ASCON.

SEQUITUR.

Silanum] M. Silanus quinquennio ante consul fuerat, quam Domitius trib. pleb. atque ipse quoque adversus Cimbros rem male gesserat. Quam ob causam Domitius eum apud populum accusabat: criminabatur bellum cum Cimbris injussu populi gessisse, idque principium fuisse calamitatum, quas eo bello populus accepisset: ac de eo tabellam quoque dedit: sed plenissime Silanus absolutus est; nam duæ solæ tribus eum, Sergia et Quirina, damnaverunt. ASCON.

Terpolius] Post infractam tribunitiam potestatem a Sylla, ante restitutam a Cn. Pompeio, apparet. Fuit autem is tribunus pleb. ante XII. annos, D. Bruto, et M. Lepido Coss. Cn. Domitius tribunus fuerat ante

II. de XL. annos, C. Mario II. C. Fimbria Coss. Magno numero sententiarum Cornelius absolutus est. IDEM. Apud Asconium videtur legendum, *Mam. Lepido*, non *M. Lepido*, ex fragmentis Capitolinis. Reliqua sententia vix sine scriptorum librorum auctoritate sanari potest. Neque intelligitur, quid aut Cicero velit, aut Asconius. SIGON.

IN TOGA CANDIDA,

CONTRA C. ANTONIUM, ET L. CATILINAM.

Ad hujus orationis intelligentiam plurimum liber etiam Quinti fratris, *de petitione consulatus*, valebit, in quo eadem fere de L. Catilina, et C. Antonio competitoribus repetuntur. De indice hujus orationis scriptum est apud Isidorum lib. IX. *Toga candida, eademque cretata, in qua candidati, id est, magistratum petentes ambiebant, addita creta, quo candidior, insigniorque esset. Cicero orationem, quam habuit contra competitores,* In toga candida *inscripsit*. SIGON.

Domum] Aut C. Cæsaris, aut M. Crassi domum significat. Etenim acerrimi ac potentissimi fuerunt Ciceronis refragatores, cum petiit consulatum, quod ejus in dies civilem crescere dignitatem animadvertebant. Et hoc ipse Cicero in expositione suorum consiliorum significat. Ejus quoque conjurationis, quæ, Cotta et Torquato Coss. ante annum quam hæc dicerentur, facta est a Catilina et Pisone, arguit M. Crassum auctorem fuisse. ASCON.

Is] Catilinam, cum in Syllanis partibus fuisset, crudeliter fecisse, nominatim etiam postea Cicero dicit; quos occiderit, Q. Cæcilium, M. Volumnium, L. Tantasium: M. etiam Marii Gratidiani, summe popularis hominis, qui ob id bis prætor fuit, caput abscissum per urbem sua manu Catilina tulerat: quod crimen sæpius ei tota oratione objicit. Fuerat vero hic Gratidianus arcta necessitudine Ciceroni conjunctus. Clientem autem negat habere posse C. Antonium. Nam is multos in Achaia spoliaverat, nactus de exercitu Syllano equitum turmas. Deinde Græci, quos spoliaverat, eduxerunt Antonium in jus ad M. Lucullum prætorem, qui jus inter peregrinos dicebat. Egit pro Græcis etiam tum adolescentulus, de quo paulo ante mentionem fecimus. Et cum Lucullus id, quod Græci postulabant, decrevisset, appellavit tribunos Antonius, juravitque se ideo recusare, quod æquo jure uti non posset. Hunc Antonium Gellius et Lentulus censores sexennio, quo hæc dicerentur, senatu moverunt, causasque subscripserunt, quod socios diripuerit, quod judicium recusarit, quod propter æris alieni magnitudinem prædia mancipavit, bonaque sua in potestate non haberet. IDEM.

Judicio æquo] Quid sit *judicium æquum*, vide Orat. pro Cluentio, sub init.

Absens] Catilina ex prætura Africam provinciam obtinuit. Quam cum graviter vexasset, legati Afri in senatu jam tum absente illo questi sunt; multæque graves sententiæ in senatu de eo dictæ sunt. IDEM.

In judiciis] Ante annum quam hæc dicerentur, Catilina cum redisset ex Africa, Torquato et Cotta Coss. accusatus est repetundarum a P. Clodio adolescente, qui postea inimicus Ciceroni fuit. Defensus est Catilina, ut Fenestella tradit, a M. Cicerone. Quod ego ut addubitem, hæc ipsa Ciceronis oratio facit, maxime quod is nullam mentionem rei habet, cum potuerit invidiam facere competitori tam turpiter adversus se coeunti: præsertim cum alterum competitorem suum Antonium in eadem hac oratione sua admoneat, suo beneficio eum ex ultimo loco præturæ candidatum ad tertium pervenisse. *Nescis, me prætorem primum esse factum, te concessione competitorum, et collatione centuriarum, et meo maxime beneficio,*

e postremo in tertium locum esse subjectum? Qui igitur Antonio suffragationem suam imputandam putat, is, si defendisset Catilinam, Caput ejus protectum a se non ei imputaret? Quod ita esse manifestum est ex eo, quod statim dicit. Q. enim Mutius Trib. pl. intercedebat, ne lex ambitus ferretur: quod facere pro Catilina videbatur. Hunc Mutium in hac oratione appellans Cicero sic ait: *Te tamen, Q. Muti, tam male de repub.* &c. Verum, ut egerit Mutii causam Cicero, sicut Catilinæ egisse eum videri vult Fenestella, cur, cum, quamvis male existimet de causa Mutii, tamen ei exprobret patrocinium suum, non idem in Catilina faciat, si modo pro eo dixit? et cur ipsum illud judicium sæpius in infamiam vocat? quod parcius videretur fuisse facturus, si in eo judicio fuisset patronus. Atque ut alia omittam, hoc certe vix videtur dicturus fuisse, si illo patrono Catilina repetundarum absolutus esset: *Stupris se omnibus, ac flagitiis contaminavit: cæde nefaria cruentavit: diripuit socios: leges, quæstiones, judicia violavit.* Et postea: *Quid ego, ut violaveris provinciam,* &c. Verine ergo simile est, hæc eum Catilinæ objicere, si illo defendente absolutus est? Præterea movet me, quod, cum sint commentarii Ciceronis suarum etiam defensionum, commentarium tamen hujus defensionis aut principium nullum inveniam. Itaque puto non defendisse, sed tantum de defendendo cogitasse: quod per hæc ipsa negari non potest. Hoc autem judicio absolutus est Catilina, infamia judicum. Ut et Clodius infamis fuerit, quippe qui prævaricatus est. Nam et rejectio judicum ad arbitrium rei videbatur esse facta. Ascon.

Collum] Diximus et paulo ante, Marii (Gratidiani) caput Catilinam per urbem tulisse. Idem.

Familiarissimo] Manifestum est C. Verrem significari. Idem.

Alter] C. Antonium significat. Id.

Eum] Q. Gallium, quem postea reum ambitus defendit, significare videtur. Hic enim cum esset præturæ candidatus, quod in ædilitate, quam ante annum gesserat, bestias non habuerat, dedit gladiatorium, sub titulo, patri se id dare. Idem.

Ut cœpit senten. Cos.] Satis constat *Q. Mucium* Orestinum legi, quæ ferebatur de ambitu, intercessisse, idque graviter senatum tulisse. Videtur ergo senatores hortari ut S. C. prævertant Mucium legem impedientem. Quare hic locus ita videtur legendus, *Q. Mucium prævertite legem impedire, ut cœpit, senatusconsulto.* Sigonius. Recentior Asconii editio: *Q. Mucium conantem legem impedire, ut cœpit Senatus, Consules, prohibete. Sed,* &c. Alias non *Mucium*, sed *Mutium*.

Lege] Legem Calpurniam significat, quam C. Calpurnius Piso ante triennium de ambitu tulerat. Quod autem dicit damnatos esse designatos consules, P. Syllam, et P. Autronium, de quibus jam diximus, vult intelligi. Cognomen autem Q. Mutio tribuno, quem nominat, fuit Orestinus. Idem.

Istum] De Antonio dici manifestum est. Sed dicit eum in exercitu Syllæ prædonem, propter equitum turmas, quibus Achaiam ab eo vexatam esse significavimus. In introitu gladiatorem, pertinet ad invidiam proscriptionis, quæ tum facta est. In victoria quadrigarium, quod, cum Sylla post victoriam circenses faceret, ita ut honesti homines quadrigas agitarent, fuit inter eos C. Antonius. Idem.

Volcatius] Paulo ante diximus, Catilinam, cum de provincia Africa decederet, petiturus consulatum, et legati Afri questi de eo in senatu fuissent, graves multas sententias de eo dictas esse. Itaque cum professus deinde esset Catilina petere se consulatum, L. Volcatius Tullus consul consilium publicum habuit, an rationem Catilinæ * habere deberet, si peteret consulatum. Nam quærebatur repetundarum. Catilina ob eam causam destitit a petitione. Idem.

---

* Forte, *haberi deceret.*

Qui te] Diximus modo de hoc. Nam judicium quoque secutum repetundarum, a quo ipse per infamiam liberatus est Catilina, sed ita, ut eum senatorum urna damnaret, equitum et tribunorum absolveret. Id.

Africanis oratoribus] Legatis ex Africa, qui de te tuisque deprædationibus et expilationibus graviter sunt questi, quorum oratio ita senatui persuaserat, ut cum te equitum, et tribunorum decuriæ absolverent, illi prorsus condemnarent. Patric.

Ab equestri] Equester ordo pro Cinnanis partibus contra Syllam steterant, multasque pecunias abstulerant: ex quo *saccularii* erant appellati: multique ob ejus rei invidiam post Syllanam victoriam erant interfecti. Ascon.

Spectaculum] Ejusdem illius Marii Gratidiani quod caput gestarit, objicit. Quo loco dicit Catilinam caput M. Marii gestasse, *quod caput, etiam tum plenum animæ et spiritus, ad Syllam usque, ab Janiculo ad ædem Apollinis, manibus ipse suis detulit*, omnia sunt manifesta. Ne tamen erretis, quod his temporibus ædes Apollinis in Palatio sit nobilissima: admonendi estis, non hanc a Cicerone significari, ut puto quam post mortem etiam Ciceronis multis annis Imp. Cæsar, quem nunc divum Augustum dicimus, post Actiacam victoriam fecerit: sed illam demonstrari, quæ est extra portam Carmentalem, inter forum Olitorium et circum Flaminium. Ea enim sola tum demum Romæ Apollinis ædes. Idem.

Quod illi] Legerem: *Quod illi? Quid si illi ea in sua defensione dixerunt, quæ tibi*, &c. Patric.

Luscium] Hic quem nominat, L. Luscius, notus centurio Syllanus, divesque e victoria factus, (nam amplius H-S. centies possederat) damnatus erat non multo ante, quam Cicero dixit. Objectæ sunt ei tres cædes proscriptorum circa eosdem dies. L. quoque Bellienus damnatus est: quem Cicero ait avunculum esse Catilinæ. Hic autem Lucretium Asellam, consulatum contra voluntatem Syllæ ad turbandum statum civitatis petentem occiderat, jussu Syllæ tunc dictatoris. Idem.

Catilinam] Hujus autem criminis periculum, quod objicit Cicero, paucos post menses Catilina subiit. Post effecta enim comitia consularia, et Catilinæ repulsam, fecit eum reum inter sicarios L. Lucullus paratus eruditusque, qui postea consulatum quoque petiit. Idem.

Crimen] Fabia virgo Vestalis causam incesti dixerat, cum ei Catilina objiceretur: eratque absoluta hæc Fabia, quia soror erat Terentiæ Ciceronis. Ideo sic dixit, *Etiam si culpa nulla subesset*. Ita et suis pepercit, et nihilo levius inimico summi opprobrii turpitudinem objecit. Idem.

Uxorem] Dicitur, Catilinam adulterium commisisse cum ea, quæ ei postea socrus fuit: et ex eo stupro duxisse uxorem, cum filia ejus esset. Hæc Luceius quoque Catilinæ objicit in orationibus, quas in eum scripsit. Nomina harum mulierum nondum inveni. Idem.

Violaveris] Cum sequatur, *ut te illic gesseris, non audeo dicere*, idcirco pro *violaveris*, legerem, *vi occupaveris, involaveris*, vel aliquid tandem huic simile. Cui demum lectioni respondet, *pop. Rom. clamante*, &c. Patric.

Absolutus] Dictum est jam sæpius, Catilinam ex prætura Africam obtinuisse, et accusante eum repetundarum P. Clodio absolutum esse. Ascon.

Optimatum] Quos nominat, intelligitis. Fuit enim opinio, Catilinam, et Cn. Pisonem adolescentem perditum, conjurasse ad cædem senatus faciendam ante annum quam hæc dicta sunt, Cotta et Torquato Coss. eamque cædem ideo non esse factam, quod prius, quam parati essent, conjuratis signum dedisset Catilina. Piso autem, cum hæc dicerentur, perierat in Hispania, missus a senatu per honorem legationis, ut avus suus ablegaretur. Ibique dum injurias provincialibus facit, occisus erat, ut

quidam credebant, a Cn. Pompeii clientibus, Pompeio non invito. Id.

An oblitus] Diximus jam supra, Syllæ ludis, quos hic propter victoriam fecerit, quadrigas C. Antonium et alios quosdam nobiles homines agitasse. Præterea Antonius redemptas habebat ab ærario vectigales quadrigas, quam redemptionem senatori habere licet per legem. Fuit autem notissimus in circo quadrigarum agitator Boculus. Idem.

Quod avunculus non impetrasset] Antonius Augustinus Episcopus Allifanus, vir singulari scientia, et divino prope ingenio præditus, pro *avunculus*, reponit, *a te Boculus*. Qua lectione nihil cogitari potest melius. Est autem *Boculus* nomen agitatoris, cujus meminit in commentario Asconius. Sigon.

Hispaniensi] *Hispaniensem pugiunculum* Cn. Pisonem appellat: quem in Hispania occisum esse dixi. *Duas sicas*, Catilinam et Antonium appellari, manifestum est. Idem.

Curium] Curius hic notissimus fuit aleator: damnatusque postea est. In hunc est hendecasyllabus Calvi elegans: *Et talis Curius pereruditus.* Id.

PRO Q. GALLIO.

Huic orationi Ciceronis et Catilina et Antonius contumeliose responderunt: quod solum poterant, invecti in novitatem ejus. Feruntur quoque orationes nomine illorum editæ, non ab ipsis scriptæ, sed ab Ciceronis obtrectatoribus, quas nescio an satius sit ignorare. Cæterum Cicero consul omnium consensu factus est. Antonius pauculis centuriis Catilinam superavit, cum ei propter patris nomen paulo speciosior manus suffragata esset, quam Catilinæ. Sigon.

Q.] Gallium de ambitu postulatum scribit Asconius in commentario orationis in Toga; a Cicerone vero fuisse defensum, in Verrinarum. Ambitus autem objectus est, quod, cum præturam peteret, quia in ædilitate, quam ante annum gesserat, bestias non habuerat, dedit gladiatorium sub titulo, patri se id dare. Hujus autem defensionis præclara fit mentio in libro de petitione consulatus a Q. Fratre, his verbis: *Nam hoc biennio quatuor sodalitates civium ad ambitionem gratiosissimorum tibi obligasti, M. Fundanii, Q. Gallii, C. Cornelii, L. Corvini: et horum in causis ad te deferendis, quidnam eorum sodales receperint, et confirmarint, scio.* Orationis quidem D. Hieronymus meminit in libro *de vita Clericorum*: *Nihil tam facile*, inquit, *quam vilem plebeculam, et indoctam concionem linguæ volubilitate decipere*: *quæ quicquid non intelligit, plus miratur. M. Tullius, in quem illud pulcherrimum elogium est:* Demosthenes tibi præripuit, ne esses primus orator: tu illi, ne solus: *in oratione pro Q. Gallio, quid de favore vulgi, et de imperitis concionatoribus loquatur, attende, ne his fraudibus ludaris.* Idem.

Videbar] Hic locus aptissimus est ad eam virtutem oratoriam indicandam, quæ dicitur ὑποτύπωσις: cujus rei causa a Quintiliano, et ab Aquila commemoratur. Idem.

Tu istuc] Valerius Maximus, lib. IV. cap. 10. *M. Cicero*, inquit, *quantum in pronuntiatione, et apto motu corporis momenti sit, oratione, quam pro Gallio habuit, significavit, M. Calidio*, &c. Gallium, quem Cicero defendebat, Calidius accusabat.

Logos] Ciceroni apud Nonium, et Terent. Phorm. III. 2. 8. *Logi*, dicta sunt ridicula, nugatoria, inepta, et contemnenda, verba sine re. Sic Plautus, Stich. I. 3. 98. *Logos ridiculos vendo.*

DE L. OTHONE.

Hic est *L. Roscius Otho*, qui in tribunatu, quadriennio ante Ciceronis consulatum, legem tulit, qua equitibus XIV. primos theatri gradus

constituit, reliquos superiores plebi. Qua de causa in theatrum veniens, consule Cicerone, a plebe convicio et clamore exceptus est. Hunc autem ut plebi reconciliaret, Cicero hanc orationem habuit. Unde dixit Plinius, lib. VII. cap. 31. de Cicerone: *Roscio theatralis auctori legis Tribus ignoverunt, notatasque se discrimine sedis, æquo animo tulerunt.* Cicero in epistolis ad Atticum hanc orationem de *Othone* appellavit, lib. XI. epist. 1. SIGON.

DE PROSCRIPTORUM LIBERIS.

L. Sylla dictator non solum inimicos suos proscripsit, sed eorum etiam filios in perpetuum petendorum honorum potestate, lege lata, privavit. Unde illa sunt M. Lepidi consulis in L. Syllam, apud Sallustium: *Quin solus omnium post memoriam hominum supplicia in post futuros composuit. Queis prius injuria, quam vita, certa esset.* Contra hos igitur Cicero consul cum, ut ad honores admitterentur, contenderent, egit, in oratione, quam inscripsit *de proscriptorum filiis.* Cujus orationis vim indicavit Plinius lib. VII. cum dixit: *Te orante proscriptorum liberos honores petere puduit.* His tamen postea Cæsar dictator omnia concessit. SIGON.

CONTRA CONCIONEM Q. METELLI.

Q. Metellus Nepos tribunus pl. cum in M. Ciceronem apud populum, Silano, et Murena Coss. esset invectus, eum, ut sibi oratione responderet, compulit. Quam orationem cum post scripsisset, *Contra concionem Q. Metelli* vocavit. De hac contentione tum credo locutus est, cum ad Q. Metellum Celerem Nepotis fratrem ita scripsit: *Ad* III. *Non. Jan. cum agere cœpisset, tertio quoque verbo me appellabat, mihi minabatur. Hujus ego temeritati si virtute, atque animo non restitissem, quis esset, qui me in consulatu, non casu potius existimaret, quam consilio fortem fuisse?* De oratione autem ipsa sic scribit lib. I. ad Atticum: *In illam orationem Metellinam addidi quædam. Liber tibi mittetur.* Et lib. III. *Quæ est spes ita eodem tribuno pl. et inimico Cons. designato? Percussisti autem me etiam de oratione prolata. Cui vulneri, ut scribis, medere, si potes. Scripsi equidem olim ei iratus, quod ille prior scripserat, sed ita compresseram, ut nunquam emanaturam putarem. Quo modo exciderit, nescio. Sed quia nunquam accidit, ut cum eo, verbo uno concertarem, et quia mihi scripta videtur negligentius, quam cæteræ, puto posse probari, non esse meam.* Hinc factum est, ut Gellius lib. XVIII. cap. 7. ita scripserit: *Concio significat orationem, quæ ad populum habetur, sicut M. Tullius in oratione quæ inscripta est,* Contra concionem Q. Metelli. *Ascendi,* inquit, *in concionem: concursus populi factus est.* Post: *Concionem esse dictam pro verbis, et oratione docuit titulus Tulliani libri, qui a M. Cicerone inscriptus est, contra concionem Q. Metelli.* Meminerunt autem hujus orationis D. Augustinus, et Fortunatianus in Rhetoricis suis, ita: *Utemur principiis in bonæ opinionis controversiis, sed brevioribus et erectioribus paulo, et confidentibus, et plenis dignitatis, sine jactantia duntaxat, ne res pariat invidiam: ut est illud apud Tullium* contra concionem Metelli, *Sic enim, ut opinor, insequar fugientem, quoniam congredi non licet cum resistente. Quod nunquam profecto tam magnifice dicere in exordio statim orsus fuisset, nisi et ipsius auctoris esset honesta persona, et res, de qua locuturus esset, non improba.* Meminit etiam hujus Priscianus. SIGON.

DE CONSULATU SUO.

Hanc e Nonii Marcelli Collectaneis decerptam laciniam in Orationum fragmenta induxit Andreas Patricius, a cujus judicio nolui ego discedere; uti neque ab exemplo Gruteri, et Grævii. Vix tamen probabile mihi est, ullam esse de consulatu suo a Cicerone dictam orationem. Affirmat enim, *Fam.* V. 2. et *in Pison.* 3. se magistratu abeuntem, concionis habendæ potestate per Metelli Tribuni plebis injuriam, privatum fuisse: permissumque tantummodo, ut juraret. Plutarchus quidem, *in Crasso*, commemorat orationem Ciceronis *de consulatu* haud dubie, *suo*. At quis nescit, quam multa Plutarchus de Romanis rebus narraverit fide Græca? In rebus autem Ciceronis quam sit merito suspectus, qui scire plenius volent, discent e Sebastiani Corradi Quæstura. Ubi ergo fuit segmentum istud? Quid, si a Nonio desectum credamus ex oratione illa *contra concionem Q. Metelli?* Quid, si e tribus, quos heroicis versibus *de consulatu suo* Cicero scripserat, libris? Atque ut arioler paulum semel, et *disjecti membra poetæ* colligam: Nonium suspicor, ubi Cicero scripserat *felicia*, scripsisse *fortunata*, et vocem loco movisse. Ita heroicus erit versus:

Quorum luxuries peperit felicia censa.

Qui versus in aliquo fuerit librorum trium *de consulatu*. Neque enim Nonius, quando hunc locum affert, dicit ex oratione aliqua esse depromptum. Quod vocem mutavit, nihil præter solitum fecit: plena ejusmodi allucinationum in ejus libro sunt omnia. Quod *felicia* mutavit in *fortunata*, nihil mirum: ipse enim in Commentario *de varia significatione sermonum*, hoc annotatum habet: *Felix* dicitur *fortunatus*. Potuit ergo alterum vocabulum alteri substituere, quoniam utrumvis æque ostendit, quod hic volebat Nonius, cur genus Cicero in voce *census* mutaverit. OLIVET.

IN CLODIUM ET CURIONEM.

Orationis in *Clodium* et *Curionem* non mediocris memoria extat, cum de ea insigne illud suum Quintilianus reliquerit judicium: *Editum in Clodium, et Curionem librum vituperationem continere illum quidem, sed tamen in senatu sententiæ loco esse habitum.* Ex fragmentis autem ejus collectis satis apparet, Ciceronem in eo vehementissime luxuriem ac muliebrem mollitiem Clodii esse insectatum, cum ei *psaltriam, strophium, calanticam* objiciat, cum sacra ab eo constuprata arguat, cum anteactam ejus vitam, ut solet, reprehendat. SIGON.

Pulchris] In Clodii formam jocatur, et in cognomen familiæ Pulchrorum. IDEM.

Ac vide, an facile tu fieri potueris, cum is factus non sit, cui tu concessisti] Loquitur credo de *Clodio* præturæ candidato, qui annum suum reliquit, ut scriptum est in Miloniana. Significat autem, futurum fuisse, ut anno suo, quem prætererat, prætor non fieret, quia is, cui ille concesserat, factus non sit. IDEM.

Omnia sacrificia] *Sacra* bonæ deæ a Clodio violata intelligit. IDEM.

DE REGE PTOLEMÆO.

Orationis de rege *Ptolemæo* mentionem apud Aquilam, et Fortunatianum Latinos rhetores solum invenio. Fortunatianus autem eandem etiam de rege Alexandrino vocavit, cum dixit: *Communis partitio, ut Cicero de rege Alexandrino.* Item: *Hypophoræ copiosæ ponuntur, si discrepans*

aliquid ostendatur, ut Cicero de rege Alexandrino. Eam vero de restituendo *Ptolemæo Aulete* fuisse crediderim, cum eam reductionem P. Lentulo Ciliciæ proconsule sua sententia decerneret; ut ipse scribit in epistolis. SIGON. Hæc fuit habita Cn. Cornelio Lentulo, L. Marcio Philippo Coss. ut patet et epistola I. ad Familiares. Scribit enim de hac re ad P. Lentulum, tum Ciliciæ procos. Mentio autem orationis, et fragmenti, est etiam apud Capellam, ubi agit de figuris sententiarum. PATRIC.

PRO P. VATINIO.

Vatinium et accusatum fuisse, et defensum a magnis viris reperio. Accusatum quidem a Licinio primum Calvo, nobili illa actione, de qua multi præclari auctores meminerunt, Tacitus, Catullus, Quintilianus, Aquila, cæteri, quos nos in epistolas ad hunc Calvum a Cicerone scriptas, in fragmentis epistolarum adnotavimus copiose. Deinde vero insectatum quoque a Cicerone ipso, oratione quidem, quæ hodieque extat. Defensum autem ab eodem, duobus, ut scribit Valerius lib. VI. cap. 11. judiciis publicis, non modo sine ullo crimine levitatis, quod eidem antea inimicissimus extiterit, sed etiam cum aliqua laude, cum speciosius multo injuriæ beneficiis vincantur, quam mutui odii pertinacia pensentur. Etsi autem ejus defensionis causam in Cæsarem conferre videatur ipse Cicero, quem sibi defendendi Vatinii auctorem fuisse scribit lib. I. epist. famil. ad Lentulum, tamen Quintilianus rei ipsi, et veritati tributum id ab eo fuisse significat, lib. II. cap. 1. cum ait: *Decet rem ipsam probare in qualicunque persona. Dixit Cicero pro Gabinio, et P. Vatinio inimicissimis antea sibi hominibus, et in quos orationes etiam scripserat. Equidem orationis pro Vatinio Ciceronis, meminit Asconius initio expositionis suæ in orationem pro M. Scauro.* Quo ex loco intelligitur habitam esse eam L. Domitio Ahenobarbo, et App. Claudio Pulchro Coss. id quod significat etiam lib. II. ad Q. Fratrem, epist. ultima. PATRIC.

In Eunucho] Act. III. sc. 1.

PRO M. ÆMILIO SCAURO.

Hanc quoque orationem eisdem Consulibus dixit, quibus pro Vatinio, L. Domitio Ænobarbo, et Appio Claudio Pulchro Coss. Summus judicii dies fuit a. d. IV. Nonas Septembris.

ARG. M. Scaurus M. Scauri filius, qui princeps senatus fuit, vitricum habuit Syllam: quo victore, et munifico in socios victoriæ, ita abstinens fuit, ut nihil neque donari sibi voluerit, neque ab hasta emerit. Ædilitatem summa magnificentia gessit, adeo ut in ejus impensas opes suas adsumpserit, magnumque æs alienum contraxerit. Ea prætura provinciam Sardiniam obtinuit: in qua neque satis abstinenter se gessisse existimatus est, et valde arroganter. Quod genus morum in eo paternum videbatur, cum cætera industria nequaquam esset par. Oraverat tamen aliquando inter patronos causarum; et, postquam ex provincia redierat, dixerat pro C. Catone; isque erat absolutus ad III. Nonas Quint. Inde, cum ad consulatus petitionem ad III. Kalend. Quint. Romam redisset, querentibus de eo Sardis, a P. Valerio Triario, adolescente parato ad dicendum, et notæ industriæ, filio ejus qui in Sardinia contra M. Lepidum arma tulerat, et post in Asia Pontoque Legatus L. Luculli fuerat, cum is bellum contra Mithridatem gereret, postulatus apud M. Catonem Prætorem repetundarum, ut in actis scriptum est, postridie Nonas Quint. post diem

tertium, quam Cato erat absolutus. Subscripserunt Triario in Scaurum L. Marius, L. filius, M. et Q. Pacuvii fratres, cognomine Claudi, qui ad inquisitionem in Sardiniam, itemque in Corsicam insulas dies tricenos acceperunt, neque profecti sunt ad inquirendum. Cujus rei hanc causam reddebant, quod interea comitia consularia futura erant: timere ergo se, ne Scaurus ea pecunia, quam ab sociis abstulisset, emeret consulatum, et sicut pater ejus fecisset, antequam de eo judicari posset, magistratum iniret; ac rursus ante alias provincias spoliaret, quam rationem prioris administrationis redderet. Scaurus summam fiduciam in paterni nominis dignitate, magnam in Cn. Pompeii Magni reponebat. Habebat enim filium liberorum Cn. Pompeii fratrem; nam Tertiam Scævolæ filiam, dimissam a Pompeio, in matrimonium duxerat. M. Catonem autem, qui id judicium, ut diximus, exercebat, metuebat admodum propter amicitiam, quæ erat illi cum Triario. Nam Flaminia Triarii mater, et ipse Triarius sororem Catonis Serviliam, quæ mater M. Bruti fuit, familiariter diligebat. Ea porro ad Catonem maternam obtinebat auctoritatem. Sed in eo judicio neque Pompeius propensum adjutorium præbuit, (videbatur enim apud animum ejus non minus offensionis contraxisse, quod judicium ejus in Mutiam, crimine impudicitiæ ab eo dimissam, levius fecisse existimaretur, cum eam ipse probasset, quam gratiæ acquisivisse necessitudinis jure, quod ex eadem uterque liberos haberet) neque Cato ab æquitate ea, quæ et vitam ejus, et magistratum illum decebat, quoquam deflexit. Post diem autem quartum, quam postulatus erat Scaurus, Faustus Sylla tum Quæstor, filius Syllæ Felicis, frater ex eadem matre Scauri, *servus ejus vulneratus prosiluit ex lecticis, et questus est pro interempto esse competitoribus Scauri, et ambulare cum trecentis armatis, seque, si necesse esset, vim vi repulsurum. Defenderunt Scaurum sex patroni, cum ad id tempus raro quisquam pluribus quam quatuor uteretur: at post bella civilia ante legem Juliam ad duodenos patronos est perventum: fuerunt autem hi sex P. Clodius Pulcher, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cicero, M. Messala Niger, Q. Hortensius: ipse quoque Scaurus dixit pro se, ac magnopere judices movit et squalore, et lacrymis, et Ædilitatis effusa memoria, ac favore populari, ac præcipue paternæ auctoritatis recordatione. Ascon.

Maxime fuit optandum] Principium hoc est orationis, quemadmodum D. Augustinus, et Fortunatianus in sua uterque Rhetorica tradunt, ubi agunt de ratione exordiendi in genere causæ *amphidoxo*. Sigon.

CIRCA VERS. A PRIMO XL.

Cn. Domitio] Cn. Domitius, qui consul fuit cum Cassio, cum esset Tribunus pl. iratus Scauro quod eum in Augurum collegium non coaptaverat, diem ei dixit ad populum, et mulctam irrogavit, quod ejus opera sacra multa populi Romani deminuta esse diceret. Crimini dabat, sacra publica populi Romani deum Penatium, quæ Lavinii fierent, opera ejus minus recte caste fieri. Quo crimine absolutus est Scaurus quidem, sed ita, ut a tribus tribubus damnaretur, a xxxii. absolveretur, et in eis pauca puncta inter damnationem et absolutionem interessent. Ascon.

A Q. Servilio Cæpione] Q. Servilius Cæpio Scaurum ob legationis Asiaticæ invidiam et adversus leges pecuniarum captarum, reum fecit repetundarum, lege, quam tulit Servilius Glaucia. Scaurus tanta fuit constantia, et animi magnitudine, ut Cæpionem contra reum detulerit, et breviore die inquisitionis accepta effecerit, ut ille prior causam diceret;

M. quoque Drusum Tribunum plebis cohortatus sit, ut judicia commutaret. IDEM.

Ille] De quo in Bruto, cap. 29.

Vexatus a Q. Vario] Italico bello exorto, cum ob sociis negatam civitatem nobilitas in invidia esset, Q. Varius Tribunus plebis legem tulit, ut quæreretur de iis, quorum opera consiliove socii contra populum Romanum arma sumpsissent. Tum Q. Cæpio, vetus inimicus Scauri, sperans invenisse se occasionem opprimendi ejus, egit ut Q. Varius Tribunus plebis, belli concitati crimine adesse apud se Scaurum juberet anno LXXII. Ille per viatorem arcessitus, cum jam ex morbo male solveretur, dissuadentibus amicis, ne se in illa valetudine et ætate invidiæ populi objiceret, innixus nobilissimis juvenibus processit in forum; deinde accepto respondendi loco, dixit: *Q. Varius Hispanus M. Scaurum principem senatus, socios in arma ait concitasse: M. Scaurus, princeps senatus, negat: testis nemo est: utri vos, Quirites, convenit credere?* Qua voce ita omnium commutavit animos, ut ab ipso etiam Tribuno dimitteretur. IDEM.

Illum] Dicit iterum de patre M. Scauri. Possit aliquis quærere, cur hoc dixerit Cicero, cum Scaurus patricius fuerit: quæ generis claritas etiam inertes homines ad summos honores provexit. Verum Scaurus ita fuit patricius, ut tribus supra eum ætatibus jacuerit domus ejus fortuna. Nam neque pater, neque avus, neque etiam proavus, ut puto, propter tenues opes, et nullam vitæ industriam, honores adepti sunt: itaque Scauro æque ac novo homini laborandum fuit. IDEM.

Pro L. Tubulo] L. hic Tubulus prætorius fuit ætate patrum Ciceronis. Is propter multa flagitia, cum de exilio arcessitus esset, ne in carcere necaretur, venenum bibit. IDEM.

CIRCA TERTIAM PARTEM, A PRIMO.

P. Crassum] Hic Crassus fuit pater Crassi ejus, qui æmulus potentiæ Cnei Pompeii fuit. Periit autem in dominatione L. Cinnæ, cum ille et alios principes optimatum, et collegam suum Cn. Octavium occidit. ASCON.

STATIM.

Ac neque] Hæc verba, quibus Cicero nunc utitur, AC NEQUE, eam videntur habere naturam, ut semel poni non soleant: quia NEQUE est conjunctio disjunctiva, et semper postulat ut rursus inferatur, ut cum dicimus, *neque hoc, neque illud.* Quo autem casu acciderit, quave ratione, ut hoc loco Cicero hoc verbo ita usus sit, præsertim cum adjecerit illam appositionem, et nomen intulerit postea alterum, neque perspicere potui, et attendendum esse valde puto. Moveor enim merito viri auctoritate: neque ignoro aliquando hoc verbum, *neque,* vel semel poni, ut in eadem hac oratione ante ipse Cicero posuit: *Sic, inquam, se, Judices, res habet, neque hoc a me novum disputatur, sed quæsitum ab aliis est.* Sed hoc loco et sine præpositione illius verbi videmus esse positum, et tamen post secundum aliquid inferri. Nam cum dixit, *Neque hoc a me novum disputatur,* infert, *sed quæsitum ab aliis est.* ASCON.

PAULO POST.

Alterum Crassum] Hic alter Crassus idem est de quo supra diximus: alterum autem eum appellat, quia ante mentionem fecit P. Crassi, qui fuit Pontifex Maximus, et bello Aristonici in Asia dedit operam ut occideretur. Julios autem cum dicit, duos Cæsares fratres Caium et Lucium

significat: ex quibus Lucius et Prætor et Consul fuit. Caius ædilitius quidem occisus est, sed tantum in civitate potuit, ut causa belli civilis contentio ejus cum Sulpitio Tribuno fuerit. Nam et sperabat, et id agebat Cæsar, ut omissa Prætura Consul fieret: cui cum primis temporibus jure Sulpitius resisteret, postea nimia contentione ad ferrum et ad arma processit. Idem inter primos temporis sui oratores, et tragicus poeta bonus admodum habitus est: hujus sunt enim tragœdiæ, quæ inscribuntur Julii. Et hi autem Julii, et Antonius, ab satellitibus Marii sunt occisi, cum Crassus, ut supra diximus, eundem casum sua manu prævenisset. Ascon.

Cum dare nollet Aris] Loquitur de *Arinis* uxore, quam a Scauro corruptam fuisse objiciebant ejus inimici. Sensus est: Cum Aris nollet uxorem Scauro dare, coactus est clam ex Sardinia fugere. Est enim verisimile, post cædes adulteria objecta eum purgasse. Sigon.

CIRCA MEDIUM.

Ap. Claudium] Significat *Ap. Claudium Pulchrum*, tum, cum loquebatur, consulem, P. Clodii fratrem; eumque innuit egisse, ut Scaurus accusaretur, ne cum Clodio fratre contenderet. Sigon.

Sive patricius] Fuerunt enim duæ familiæ Claudiæ. Earum quæ Marcellorum appellata est, plebeia: quæ Pulchrorum, patritia. Sed hoc loco urbane Cicero lusit in Claudium, cum quo in gratiam non redierat: non quia is P. Clodii erat frater, qui ex patritia in plebeiam familiam transierat per summam infamiam, se quoque dubitare adhuc dixit. Ascon.

POST DUAS PARTES ORATIONIS.

Dolabella] Ne forte erretis, et eundem hunc Cn. Dolabellam putetis esse, in quem C. Cæsaris orationes legitis, scire vos oportet, duos eodem tempore fuisse, et prænomine, et nomine, et cognomine, Dolabellas. Horum igitur alterum Cæsar accusavit, nec damnavit: alterum M. Scaurus accusavit, et damnavit. Asconius.

POST TRES PARTES.

Præsertim] Quo loco defendit, quod tam magnificam domum Scaurus haberet. Demonstrasse vobis memini me, hanc domum in ea parte Palatii esse, quæ, cum ab Sacra via descenderis, et per proximum vicum, qui est ab sinistra parte, prodieris, posita est: possidet eam nunc Longus Cæcina, qui Consul fuit cum Claudio. In hujus domus atrio fuerunt quatuor columnæ marmoreæ insigni magnitudine, quæ nunc esse in regia theatri Marcelli dicuntur. Usus erat is Ædilis, ut ipse quoque significat, in ornatu theatri, quod ad tempus perquam ampla magnitudine magnum fecerat. Ascon.

Redimunt] Nisi esset aperta Servii et Isidori sententia, de *Castoribus* hic a Cicerone sermonem esse, dubitare sane potuissemus, an non de elephantis hæc prolata fuissent. Nam et apud Plinium VIII. 3. qui de *elephantis* loquitur, verbum est *redimendi*, idem illud, quo hic Cicero utitur. Sigon.

SEQUITUR.

Cum avi gloria] Avum nunc Scauri maternum significat L. Metellum Pontificem Max. quem postea quoque nominat: nam paternus avus, proavusque Scauri humiles atque obscuri fuerunt. Ascon.

VERS. A NOVISSIMO CLX.

L. ipse Metellus] Castoris et Pollucis templum Metellus, quem nominat, refecit. Laudaverunt Scaurum consulares novem, L. Piso, L. Volcatius, Q. Metellus Nepos, M. Perpenna, L. Philippus, M. Cicero, Q. Hortensius, P. Servilius Isauricus pater, Cn. Pompeius Magnus. Horum magna pars per tabulas laudaverunt, quia aberant; inter quos Pompeius quoque: nam quod erat pro Consule, extra urbem morabatur. Unus præterea adolescens laudavit frater ejus Faustus Cornelius Syllæ filius. Is in laudatione multa humiliter et cum lacrymis locutus, non minus audientes permovit, quam Scaurus ipse permoverat. Ad genua judicum, cum sententiæ ferrentur, bifariam se diviserunt qui pro eo rogabant: ab uno latere Scaurus ipse, et M. Glabrio sororis filius, et Paulus, et P. Lentulus Lentuli Nigri Flaminis filius, et L. Æmilius Bucca filius, et C. Memmius Fausta natus supplicaverunt: ex altera parte Sylla Faustus frater Scauri, et C. Apronius Limo, cui Fausta ante paucos menses nupserat dimissa a Memmio, et T. Peduceus, et C. Cato, et M. Olenas Curtianus. Sententias tulerunt senatores duo et XX. equites tres et XX. tribuni ærarii XX. ex quibus damnaverunt senatores IV. equites II. tribuni II. Cato prætor, cum vellet de accusatoribus in consilium mittere, multique e populo manus in accusatores intenderent, cessit imperitæ multitudini, ac postero die in consilium de calumnia accusatorum misit. C. Triarius nullam gravem sententiam habuit. Subscriptores ejus M. et Q. Pacuvii fratres denas, et L. Marius tres graves habuerunt. Cato prætor judicium, quia æstate agebatur, sine tunica exercuit, campestri sub toga cinctus: in forum quoque sic descenderat, jusque dicebat: idque repererat ex vetere consuetudine, secundum quam et Romuli ætatis statuæ in Capitolio, et in Rostris Camilli fuerunt, togatæ sine tunicis. ASCON.

PRO A. GABINIO.

Quoniam de orationibus diximus, quas scriptas edidit, sequitur, ut de iis etiam dicamus aliquid, quas in Commentariis reliquit. Hic enim omnium defensionum, sivè causarum quas acturus esset memoriæ commentarios scribere solitus fuit. Quas autem se maxime expolire videbat posse, eas, posteaquam egisset, diligentius scriptas edere; quas non probaret, in Commentariis relinquere consuevit. Quod idem de se ait Cato apud eum in libro de Senectute: *Causarum illustrium quascunque defendi, nunc quam maxime conficio orationes.* De quibus Commentariis sic video scripsisse Asconium in commentario orationis in Toga candida: *Præterea movet me, quod cum sint commentarii Ciceronis suarum etiam defensionum, commentarium tamen hujus defensionis, aut principium nullum inveniam.* Quintil. IV. 1. *Cicero pro Scauro ambitus reo, est in Commentariis*, &c. Ut autem Scauri causa de ambitu extitit in Commentariis, sic etiam A. Gabinii. Proditum hoc est litteris a D. Hieronymo in apologia adversus Rufinum his verbis: *Unde et Tullius in Commentariis causarum pro A. Gabinio, Ego, inquit, cum omnes inimicitias tuendas semper putavi*, &c. Fuerat autem Gabinio inimicissimus, quippe quo consule civitate fuerat pulsus. Post autem cum eo reversum in gratiam eundem in judicio defendisse ipse testatur in orat. pro *Rabirio Postumo.* Eosdem vero etiam Commentarios a Diomede intelligi arbitror, cum ait: *Cicero causarum* XIII. *Re vendita, iterum empta*. SIGON.

PRO M. FONTEIO.

Ludum] Hunc jocum Scipio ad Apulei. Apolog. n. 74. explicat vivam meretricem capturas fecisse, et discipulos habuisse, quasi ludo meretricio aperto: ea mortua, creditores ejus bona ex edicto possedisse, et creato magistro, eâ proscripsisse, et vendidisse. De *magistris* plura vide apud Cujac. ad lib. LIX. de V. S. C. et Scip. Gent. in Orig. BURMAN.

IN L. PISONEM.

Sarraco] Alias, *serraco*. Genus vehiculi, seu plaustri. Vide Quint. VIII. 3.

Coniscans] Dicitur proprie de arietibus, cum adversis cornibus et frontibus incurrunt. Alias *conissans*. Lucret. II. 320.

EX COMMENTARIIS, LIB. XIII.

Hi Commentarii quid sint, abunde declaravit Sigonius in Fragm. Or. pro A. Gabinio; eum vide. PATRICIUS.

EPISTOLARUM FRAGMENTA.

AD M. TITINIUM.

Fragmenta] Quam multa nobis epistolarum volumina reliquerit M. Cicero, præter ea, quæ habemus, facile vel ex his epistolarum fragmentis intelligi potest, quas ad Titinium, ad Nepotem, ad Cæsarem, ad Hirtium, ad Pansam, ad Cæsarem juniorem, ad Calvum, ad filium, ad Axium, ad Brutum scriptas videmus. Nam quæ ad Pompeium, aut ad Cassium a Nonio scriptæ citantur, prorsus ab hoc numero removendæ sunt: nam illæ inter eas, quæ ad Atticum, hæ inter eas, quæ ad familiares missæ sunt, reperiuntur. SIGON.

Titinium] Hunc, virum fuisse eruditum, sunt opera illius quæ testentur, quorum sæpe meminit Non. Marcellus. PATRIC.

Plotium] Rhetor Syllanis temporibus floruit, ut in Chronico notavit Eusebius. Ejusdem autem rei et hominis meminit etiam Quintilianus lib. II. SIGON.

AD CORNELIUM NEPOTEM.

Ad Cornelium Nepotem] Sunt qui epistolarum ad Cornelium lib. XVI. numerant. Cujus rei, quoniam nos quidem in hoc genere nihil affirmare possumus, penes illos fides esto. Certe Gellius lib. XV. cap. 28. hunc *Cornelium M. Ciceronis amicum familiaremque, ut qui maxime*, fuisse testatur, eundemque de ipsius vita libros aliquot conscripsisse memorat. PATRIC.

AD EUNDEM.

Aggrederer] Priscianus, lib. VIII. ait, hoc in loco *Aggredi* in patiendi significatione esse usurpatum. SIGONIUS.

Cæsar] De hac Cæsaris ejusmodi felicitate, ita idem iste Cicero in Philipp. II. est locutus. *Cæsar*, inquit, *Alexandria se recepit felix, ut sibi quidem videbatur; mea autem sententia, nisi qui reip. sit felix, felix esse nemo potest.* Ex quo sunt illa quoque ad Atticum lib. VII. ita scripta. *O hominem amentem et miserum, qui ne umbram quidem unquam τοῦ καλοῦ viderit. Atque hæc ait facere se dignitatis causa. Ubi est autem dignitas, nisi ubi honestas? num honestum igitur, habere exercitum nullo publico consilio? occupare urbes civium, quo facilior sit aditus ad patriam?* PATRIC.

AD C. CÆSAREM, EX LIB. I.

Balbum quanti faciam] Exempla omnia ex tribus libris Epistolarum ad C. Cæsarem ex Nonii Commentariis sumpta sunt. Quanquam autem difficile est, ex tam paucis verbis sententiam ullam certam haurire, tamen has epistolas, post partam fere Pharsalico prælio victoriam, scriptas esse ad Cæsarem Dictatorem crediderim; Cæsare ipso adhuc extra Italiam bellis civilibus implicato. Quam autem Cæsari carus Balbus fuerit, aliæ epistolæ indicant. SIGONIUS.

AD EUNDEM, EX LIB. III.

De] Lambinus conjicit, *te*.

AD CÆSAREM JUNIOREM, EX LIB. I.

Ad Cæsarem Juniorem] Id est, ad C. Cæsarem Octavianum. Cum ille Apollonia, Cæsare patre per conjuratos interfecto, reversus, insigni accepta a M. Antonio Cos. injuria, Cicerone imprimis auctore, arma adversus eundem Antonium pro rep. suscepisset, atque eundem, Mutinam coloniam et D. Brutum Cos. des. obsidentem, una cum Hirtio et Pansa Consulibus cum imperio extraordinario premeret. De sagis autem bello Mutinensi a populo R. sumendis sæpe censuisse Ciceronem, ex VI. et aliis in Antonium orationibus intelligi potest. Narrat autem nunc Cæsari, quid iis de rebus Romæ actum sit. SIGON.

Et aut ad Consules] Hanc sententiam dixit Cicero Philippica VIII. his verbis: *Quas ob res ita censeo, eorum, qui cum M. Antonio sunt, qui ab armis discesserint, et aut . . . ad D. Brutum Imp. Cos. des. aut ad C. Cæsarem Proprœt. ante Idus Martias primas adierint, eis fraudi ne sit, quod cum M. Antonio fuerint.* IDEM.

Legati] Legatos de pace missos ad M. Antonium, dum Mutinam oppugnaret, satis constat, L. Philippum, L. Pisonem, Ser. Sulpicium, quos hic intelligit. IDEM.

Videret] Nonnulli, *viderem*.

AD EUNDEM, EX LIB. II.

Cum constet, Cæsarem Lupercis] Hoc est id, de quo scriptum est in VII. in Antonium: *De Lupercis tribunus pl. refert.* Unde in epistola ad Antonium et Pansam Antonius scripsit: *Vectigalia Juliana Lupercis ademistis.* SIGON.

Equestre prælium] De prælio ad

Mutinam cum M. Antonio a Cæsare et a consulibus facto puto intelligi: de quo Galba ad Ciceronem, item alii. IDEM.

Quem perisse] Hoc aut de *Hirtio*, aut de *Pansa* Consulibus, prælio ad Mutinam facto, interfectis, dictum existimo. IDEM.

AD EUNDEM, EX LIB. III.

Ego autem antiquissimum] Hadr. Junius, ex cujus manuscripto Nonio hæc desumpta sunt, putat, ea de Anacharsi Scytha philosopho dici, qui præ tranquillitate animi omnia videtur posthabuisse. Vide librum Animadversorum ejus VI. cap. 11. Nam in vulgo quidem excusis Noniis hæc desunt. PATRIC.

AD C. PANSAM, EX LIB. I.

De Antiocho fecisti] Epistolarum ad C. Pansam libros tres in ipso belli Antoniani apparatu et ardore scriptos esse existimo. Quod idem de iis, quos scripsit ad A. Hirtium, judico. Cum enim id bellum ab iis consulibus, auctoritate et consilio Ciceronis, gestum sit, videtur verisimile, Ciceronem litteris et cohortatione virtutem eorum acuisse, consilio imprudentiam adjuvisse. Sunt autem omnia ex Nonio. SIGON.

AD EUNDEM, EX LIB. III.

Ventidianis rumoribus] *Ventidium Bassum*, adversæ factionis ducem, bellum in Syria molientem, intelligit. ID. De Ventidio Basso Gellius XV. 4.

AD EUNDEM, EX LIB. INCERTO.

Cum enim nobilitas] Hoc ad incitandum Hirtium, novum hominem, et nulla majorum commendatione notum, unde nobilitas Romæ parabatur, dictum est. SIGON.

AD EUNDEM, EX LIB. VIII.

Nam eloquentiam] Quintilianus, ubi loquitur de ornatu, hunc locum adducit, his verbis: *Recteque Cicero his ipsis ad Brutum verbis quadam in epistola scribit:* Nam eloquentiam, quæ admirationem non habet, nullam judico. SIGON.

Favorem] Hoc exemplo docet ibid. Quintilianus, *favoris* vocabulum primum a Cicerone esse usurpatum. IDEM.

Cum Ap. Claudio] *Ap. Claudium Pulchrum*, virum consularem ac censorium, intelligit, qui sibi Clodii fratris causa fuerat infensus. Cn. autem Pompeius socer erat filiæ Appii, ut scriptum est in epistolis ad Appium. IDEM.

Scilicet nisi de te] Videndum an hoc expungi debeat. Est enim, ut puto, Quintiliani, Synecdochen in his verbis explicantis. Locus Quintiliani sic habet: *Quæ per detractionem fiunt figuræ, brevitatis novitatisque maxime gratia petuntur, quarum una est ea, quam libro proximo in figuris distuli, Synecdoche, cum subtractum verbum aliquod satis ex cæteris intelligitur, ut Cælius in Antonium;* Stupere gaudio Græcus. *Subauditur* cœpit. *Cicero ad Brutum:* Sermo nullus, scilicet nisi de te, quid enim, &c. PATRIC.

Præstat enim] Videntur Bruti esse, non Ciceronis. Nam Quintilianus aperte sic: *In Prosapodosi aliquando singulis statim membris ratio subjicitur, ut apud Antonium:* Sed neque, *&c. Aut positis duobus, vel tribus, eodem ordine singulis continua redditur. Quale apud Brutum de dictatura Cn. Pompeii:* Præstat enim, *&c.* IDEM.

AD M. FILIUM, EX LIB. I.

Ad M. filium] Libros epistolarum ad M. filium tum maxime scriptos esse arbitror, cum Athenis Cratippo philosopho operam dedit, et post cum Bruti contubernalis in Macedonia fuit. Hujus enim et Brutus et Cicero in epistolis, ultro citroque missis, meminerunt. Plenæ autem certe fuerunt cohortationis ad virtutem, et ad Bruti ipsius imitationem. In his etiam epistolis patrem Latinam emendasse filii orationem constat. Siquidem ita scribit Quintilian. lib. I. cap. 3. *M. Tullius, ut ex epistolis apparet, in filio recte loquendi usquequaque asper quoque exactor fuit.* Et Servius in VIII. Æneid. *Cicero,* inquit, *per epistolam culpat filium, dicens, male eum dixisse,* direxi litteras tuas, *cum litteræ, quoties epistolam significent, numeri tantum pluralis sint.* SIGONIUS.

AD EUNDEM, EX LIB. INCERTO.

Ceris delitis] Ad eas ceras respicit, in quibus scribere solebant. *Delitis* autem antique pro, *deletis*, ut infra in epistola ad Calvum, et IV. Verr. *Ex qua tantum tectorium vetus delitum sit.* PATRIC.

AD LICINIUM CALVUM.

Ad Licinium Calvum] De quo in Bruto, cap. 81. et Quintil. X. 2. XII. 1.

AD CÆRELLIAM.

Aut animo Catonis] Aut abrumpendam esse vitam; quo pacto Cato Uticensis, ne in Cæsaris manus veniret, mortem sibi conscivit: aut concoquenda hæc esse Ciceronis exemplo: metaphora ducta a stomacho, qui cibos etiam acerbos et ingratos concoquit. MENAGIUS, *Hist. Mulier. Philos.* ube de Cærellia.

EX EPISTOLA INCERTA.

Antonius Cæsari] Nihil aliud hic intelligi poterat, quam hoc, diadema imposuit. PATRIC.

Næ illi sunt pedes] Quintil. ibid. *Facetum,* inquit, *non tantum circa ridicula opinor consistere: decoris hanc magis, et excultæ cujusdam elegantiæ appellationem puto. Ideoque in epistolis Cicero hæc Bruti refert verba:* Næ illi sunt pedes faceti, &c.

Deliciis] Ascensius volebat *delicatius:* non male: ut *gressu delicato et languido,* Phæd. V. 1. Ita, *molliter ire,* Propert. II. 12.

PHILOSOPHICORUM FRAGMENTA.

ŒCONOMICORUM LIB. I.

Œconomicum Cicero adolescens ad modum de Xenophonte convertit; quemadmodum ipse testatur lib. II. de officiis, cap. 24. Hic est autem unicus liber apud Xenophontem, de tuenda re familiari: quem tamen Cicero pro arbitratu suo in tres divisit. Quorum primus præcepta habuit, quemadmodum deberet mater familias domi agere: secundus, quemadmodum foris pater familias; tertius agri colendi rationem est complexus, teste in primum Georgicorum Servio, cujus testimonium Macrobii etiam auctoritate video comprobari, Saturnalium lib. III. SIGON. Sane videtur is liber Latino nomine, *De dispensatione universæ domus*, inscriptus a Cicerone fuisse. Sic enim scribit Hieronymus in epistola ad Algasiam quæst. VI. Οἰκονομικὸς *Xenophontis pulcherrimus liber est, qui non gubernationem villæ, sed dispensationem universæ domus, Tullio interpretante, significat.* PATRIC.

Maritale conjugium] Hæc videntur esse ex initio libri I. ex quibus deinde profecta esse videtur totius corporis in libros divisio ac distributio. IDEM.

Clauso] GRUTERUS, *claustro*.

Volebat] LAMBINUS, *poterat*.

Itaque in re familiari] Existimo huc respexisse Servium, qui in illud Æn. I. 707.

> *Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo,*

citat Ciceronem in Œconomico docentem quid ubi ponendum sit. PATRICIUS.

Vasa] Lamb. *vasa usui sunt*, (*ut*

Primo] Lamb. *promæ*.

ŒCONOMICORUM LIB. III.

Apes in alvearium] Hæc quibus Græcis Xenophontis respondeant, vide Victorium lib. XXIII. cap. 3. Var. Lect. PATRIC.

PROTAGORAS, EX PLATONE.

Quid tu? unde tandem] Hæc verba sunt prima dialogi: quod ex Græcis, quæ his respondent, cognoscitur. Πόθεν ὦ Σώκρατες φαίνῃ; ἢ δῆλα δὴ ὅτι ἀπὸ κυνηγεσίου τοῦ περὶ τὴν Ἀλκιβιάδου ὥραν; Cum autem Cicero, *Appares*, verterit, satis perspicuum esse potest, eum non, ζαίνῃ, sed φαίνῃ apud Platonem legisse; quod videtur multo etiam rectius. SIGON.

Socrate] Σωκράτης, licet sit tertiæ, tamen non tantum *Socrates* facit in vocativo; sed et, quasi primæ declinationis foret, dicitur *Socrate*, more Græcorum, qui dicunt, ὦ Σωκράτη. VOSSIUS, Gram. IV. 3.

Controversemini, non concertetis] Ad eundem prope modum infra de Rep. lib. IV. *Benevolorum concertatio, non lis inimicorum, jurgium dicitur. Jurgare igitur lex putat inter se vicinos, non litigare.* Sed ibi concertationem benevolis tribuit, quam hic ab iisdem auferre videtur. PATRIC. Platonis ἀμφισβητεῖν hic est *controversari*, quod verbum apud Ciceronem est singulare. SIGON.

Quæ igitur potest] Vide quæ de hoc loco adnotavit P. Victorius lib. XIX. cap. 9. Variar. Lect. PATRICIUS.

Compluria] De ejusmodi declinatione verbi, *compluria*, pro *complura* vide Gellium, V. 21. IDEM.

DE REPUBLICA LIB. I.

Suorum de Republica sex librorum mentionem facit Tullius *in Bruto*, cap. 5. *ad Q. fratr.* III. 5. *ad Atticum*, IV. 16. VI. 1. 2. 6. VII. 2. 3. X. 4. XIII. 19. *Tuscul.* IV. 1. *de Divin.* II. 1. *de Legibus* I. 5. 6. 7. II. 10. III. 2. 5. 13. 16. *de Officiis*, II. 17. *de Amicitia*, 4.

Quanquam intelligo, difficile esse, ex tam minutis hujus libri fragmentis certum ullum ejus argumentum elicere: conabor tamen, conjecturis paulo firmioribus insistens, quam verissimam potero, ejus sententiam indagare. Sic igitur sentio, Ciceronem in hoc libro, quoniam de Rep. erat acturus, quæ civitatis esse constitutio definitur, primum de civitate proposuisse; deinde vero, quoniam civitas urbe contineretur, quid urbs esset, et quid civitas, ostendisse: eumque ex civibus constet civitas, civem, et civem eum, quem potissimum in his libris informat, optimum, sive optimatem circumscripsisse: eumdemque doctrina, artibus, studio, ac patriæ caritate institui: præterea diuturnam civitatis potentiam concordia retineri, concordiam consilio et disciplina conservari docuisse: et quoniam recto consilio nihil est inimicius, quam iracundia, et libido, postremo, ut illæ frenandæ essent, etiam subjecisse. Cur autem ita sentiam, deinceps singulis fragmentis considerandis exponam. SIGON.

Nuntiatum est] Hoc ad dialogi præparationem pertinet, qua docetur, unde interlocutorum quisque, et qua de causa convenerit, et ut de rebus illis disseruerit, aut audierit. Hoc autem fragmentum, ut multa post alia, ex Cornelii Frontonis, grammatici veteris, libro quodam, qui *Elocutionum exempla* inscriptus est, mutuatus sum. Quem librum ex intimis Rainutii Farnesii, cardinalis illustrissimi, thesauris, domino ipso concedente, sumptum ad me Roma juvenis ornatissimus atque doctissimus Fulvius Ursinus, amicus meus, misit. IDEM.

Eum quoque ut salutavit] Et hæc ex præparatione dialogi sumpta sunt. Quod autem fecit in libris oratoriis, ut alios induxerit senes, qui disputarent, Scævolam, Crassum, et Antonium; alios adolescentes Cottam, et Sulpicium, quorum rogatu senes illi ad eam disputationem adducerentur: idem etiam videtur fecisse in libris his, ut supra ostendi, politicis. Ex adolescentibus autem unus fuit Q. Tubero, alter Q. Scævola, quem, ut opinor, Scipio propter Tuberonem jussit assidere. IDEM.

Quare, si placet] Videtur consentaneum esse, Scipionem, cum de civitate esset disputaturus, altius sermonem repetisse, id est a Deo, cujus numine, ac consilio humana omnia gubernantur, ut inde aut homines etiam deorum providentia inter se sociatos esse concluderet, aut, quod fecit in primo de Legibus, homines, et deos eidem legi obedientes, et ejusdem quasi civitatis esse ostenderet. Quare rogatur nunc Scipio, ut a rebus cælestibus ad humanas, quæ nobis propiores sunt, orationem deducat. IDEM. Sigonius, ut videtur, legit sic: *Quare, si placet, deduc orationem tuam de cælo ad hæc cituma.* Ego vero sic: *Quare si placet, deduc, oro, rationem tuam de cælo ad hæc cituma.* Quod autem Scipio, ut opinor, rogatur hic, ut rationem vel orationem suam de cælo deduceret, idem est fortassis, quo de Socrate in præfatione V. Tusculanæ ita affirmatur: *Socrates*, inquit, *primus philosophiam devocavit e cælo, et in urbibus collocavit, et in domos etiam introduxit*, videlicet *in hæc cituma.* PATR.

Quasi alius assimulare] Hoc ex Diomedis libro I. descripsi, qui citat librum de Republica. Putavi autem etiam ad librum primum pertinere, verbaque esse Scipionis, recusantis provinciam (ut fit in omnibus passim

Ciceronis dialogis) de Rep. disputandi; ut sit sensus; Sic mihi hoc a vobis de Rep. disserendi onus imponitur, quasi alius assimulare Remp. aut melius non possit, aut omnino non possit. Ita enim ego fragmentum et accipio, et expleo. Dixit autem *assimulare rempublicam*, sicut Horatius in epistola ad Pisones, *simulare cupressum*. IDEM.

Expositamque ad exemplum] Sunt qui hunc locum ita legunt: *Exponam quoque ad exemplum nostræ reip. accommodaboque ad eam, &c.* Huc autem respexisse videtur idem Cic. II. Leg. cap. 10. *An censes*, inquit, *cum in illis de Rep. libris persuadere videatur Africanus, omnium rerumpub. nostram veterem illam fuisse optimam, non necesse esse optimæ reipubl. leges dare consentaneas?* IDEM.

Quam cum locis] His verbis docuit Scipio, quid inter *urbem* interesset, et *civitatem*, auctore Nonio, atque *urbem* ædificia esse, *civitatem* civium multitudinem esse statuit. Aristoteles quidem etiam libro III. Politicorum, *civitatem* scribit non ex moenibus æstimandam, atque omnino definit τὴν πόλιν πλῆθος τῶν πολιτῶν, τὴν πολιτείαν τάξιν τῆς πόλεως. Quo spectasse, cum hæc dicit, etiam Cicero videtur. Addam illud etiam; putare me, Scipionem de situ urbis in hoc libro egisse, quoniam in hoc libro de urbe disputavit. Etenim Servius, exponens illum versum poetæ,

Fluminaque antiquos subter labentia muros,

id etiam a Cicerone in libris de Rep. laudatum, scribit. Quo illa quoque referenda videntur: *ut ad eam urbem, quam incolas, possis adnare.* Aristoteles autem ne hoc quidem in suis de Rep. præceptionibus prætermisit. SIGONIUS. Haud scio quam rectum sit, *locis manuque*. Mallem, *opere manuque*, vel *arte manuque*, vel *labore manuque*. PATRIC.

Delubris distinctam, spatiisque communibus] Totum hoc fragmentum a nonnullis, qui et ipsi colligendis his, ante Sigonium etiam et nos ipsos, operam navaverunt, Varronis, non Ciceronis esse dicitur. De quo quidem alii viderint. Ciceronem sane in hoc libro de situ urbis, deque ædificiis disputavisse, cum Servii auctoritate in lib. II. Georg. tum etiam Ciceronis ipsius ex II. de Officiis libro, cap. 17. convincitur: *Atque etiam*, inquit Cicero, *illæ impensæ meliores sunt, muri, navalia, portus, aquarum ductus*, &c. *Sed de hoc*, inquit, *genere toto in iis libris, quos de Republica scripsi, diligenter est disputatum.* IDEM.

Omnis civitas, quæ est] Legendum fortasse: *Omnis civitas, constituta a populo*, &c. LAMB.

Diversa] Legerem, *dispersa*. PATRICIUS.

Cognoscere mehercule, inquit] Verba videntur alicujus eorum, qui Scipionem audiebant, qui se cupere ait, veterem cognoscere consuetudinem illam reip. Romanæ, de qua ille se dicturum esse ostenderat. SIGONIUS. Alias legitur, *cognosce*. Quid? si, *cognoscite*. Ut sint hæc Scipionis, ad eos, qui audiebant: quanquam ne Sigonii quidem conjectura displicet. PATRIC.

Tum annui consules] Primum admoneo, videri hoc in loco deesse vocem, *instituti*. Ut sit: *Tum instituti annui consules, tum dimissi populo fasces.* Deinde addo, videri mihi legendum esse *demissi*, non *dimissi*. Est enim *demittere, summittere*. Loquitur autem de liberata regio dominatu rep. cum pro uno perpetuo rege consules duo, et quidem annui creari, et populo fasces a P. Valerio Poplicola, primum consule, summitti, ad populi libertatem stabiliendam, coepti. Livius lib. II. *Consul, vocato ad concilium populo, summissis fascibus in concionem ascendit. Gratum id multitudini spectaculum fuit. Summissa sibi esse imperii insignia, confessionemque factam, populi, quam consulis, majestatem vimque majorem esse.* Credo autem Scipionem, cum, quemadmodum optimus Romæ reip. status esset constitutus, docere vellet, a pri-

mordio urbis nobilissimum quodque institutum, quo ejusmodi imperii temperatio in remp. Romanam sit invecta, repetisse. Siquidem ipse in Tusculanis Cicero se majorum instituta in his libris moresque esse persecutum tradit. Accedit etiam, quod Seneca epistola CVIII. Ciceroni, ait, in libris de Rep. *quem nos in historiis dictatorem dici legimus, eum magistrum populi* appellari. *Unde qui ab eo nominantur magister equitum.* Quod idem tamen fecit quoque in epist. ad Gallum: *Sed heus tu*, inquit, *manum de tabula, magister adest citius, quam putabamus. Magistrum* autem intelligit Cæsarem dictatorem. Sigon.

Provocationem ad populum] Ex Seneca eodem illo lib. XIX. Epistolarum: *Ex iisdem*, inquit, *de Rep. libris notat Philologus provocationem ad populum etiam a regibus fuisse.* Detur enim mihi interim, esse hæc ipsius verba Ciceronis. Ubi sunt autem, qui provocationem a dictatore in universum tollunt? cum videant reges etiam ipsos provocationi cessisse. Sic Fabius pater pro filio, magistro equitum, ad Papirium dictatorem apud Livium lib. VIII. *Videro, cessurusne provocationi sis*, inquit, *cui rex Rom. Tullus Hostilius cessit.* Patricius.

Horum enim severitatem] Pergit inde Scipio longius, id est ad decemviros, ut opinor, consulares, quorum nimia severitate civitatem primo aspectu perculsam inquit fuisse. Etenim sine provocatione creati, consulari imperio, et tribunicia potestate sublata, cum centum lictoribus secures novo exemplo cum fascibus alligatas ferentibus, cum in forum prodiissent, ac collegarum intercessionem sustulissent, terrore, ac formidine omnia compleverunt. Auctor lib. II. Livius, et Dionysius. Sigon.

Quem nos dictatorem] Ne hoc quidem fragmentum valde existimo Ciceronianum esse: quod ego tamen, sicut ex Seneca cætera paulo ante recitata, antiquitatis magis, quam elocutionis causa, in contextum recipere volui. Nam hoc quoque ex libris de Rep. notare ait Seneca Philologum. Patric.

Cn. Flavius fastos protulit] De Cn. Flavio fastos proferente locutum esse in libris de Rep. Scipionem, Cicero in Epistolis ad Atticum missis affirmat ille quidem, sed tamen librum occultat. Mihi vero maxime probatur, cum Scipio hoc libro de veteribus Romanæ reip. institutis agere instituisset, eum ne de Flavio quidem fastos publicante reticuisse. Sigon. Vide Livium, lib. IX. in fine; Plinium, lib. XXIII. c. 1. Gellium. VI. 9. Patric.

Ipsa cognitio] Videntur verba alicujus eorum, qui Scipionem Romana instituta persecutum laudet, seque ea cognitione delectatum dicat. Sigon.

Judicatur iste optimas] In vulgatis Nonii libris, unde hoc sumptum est, legitur, *optimus:* at ego legendum existimo, *optimas*, ut etiam in Sextiana, Pauli Manutii Commentario non erudite minus, quam eloquenter, explicata. Qui ita se gerebant, ut sua consilia optimo cuique probarentur, *optimates* habebantur. Quis est ergo *optimas iste?* Expositis autem memorabilibus omnibus reip. Romæ institutis, credo tandem Scipionem, ut æquatis plebis et patriciorum opibus resp. constituta ac temperata sit, docuisse: tum vero civem ejus etiam reip. quem vere optimatem, quod optimam tractet remp. possumus appellare, quodam modo depinxisse, atque eum a populari separasse. Ex qua descriptione hæc sunt, ut opinor, quibus ait optimatem doctrina, artibus, et studiis judicari. Præclare. Scribit enim etiam Aristoteles ἀριστοκρατικὸν esse illum, cui proposita sit legum et veteris disciplinæ tutela. Idem. Egoautem miror totum hoc fragmentum citari a Nonio ad ostendendam significationem verbi, *æmulus*, cum pro eo, qui similitudinem vitæ alicujus vel instituti sequitur, accipitur: ut sane verear, ne ita legendum sit: *Qua enim*, vel *quomodo enim judicatur esse æmulus? Doctrina*,

artibus, studiis. Hactenus puto Ciceronis fragmentum esse. Quod autem sequitur, Nonii est fortassis, et pertinet ad declarationem verbi, *audio;* ut sit: *Audio, quando significat,* vel *quando construitur, &c.* Esse enim lacunam in Nonio existimo. PATRIC.

Sed audisse te credo, Tubero, *Platonem*] Sic legendum esse vidit Jacobus Cujacius, Observ. lib. XI. cap. 9. LAMB.

Tum virtute] Hoc fragmentum ad primumne, an secundum, an etiam quintum librum proprie pertineat, (hos enim libros omnes in Noniis variis cieri video,) alii dijudicent. Ego in primo reposui, non quasi id certa ulla ratione fieri debere statuerim, sed quod ex omnibus libris, qui in eo recitando loco nominabantur, eum librum cæteris præponi posse judicaverim, quem ordo ipse naturæ præponit in ordine numerorum. Hæc de loco. De reliquis Salogæ Nonius ita habet: *Tum virtute, labore, industria quæreretur summi viri indolem, nisi nimis animose ferox natura illum nescio quo.* Alii legunt: *Tum virtut. lab. industria quæreretur summi viri indoles nihil minus animose, &c.* Ego unica solum dictione commutata sequor Salogani libri lectionem. Lego enim pro, *quæreretur, quæreret:* quæ tamen etiam lectio aliqua ex parte, ex aliorum proposita lectione, hausta videri potest. Nam, *pacto,* quod verbum adjicio ad extremum, hoc etiam in quibusdam libris invenio. PATRIC.

Quæ videlicet ille non ex agri consitura] Nescio, an de Lysandro loquatur, hortos Cyri regis manu consitos admirante. Quem sic Xenophon in Œconomico facit loquentem: πάντα μὲν θαυμάζω ἐπὶ τῷ κάλλει· πολὺ δὲ μᾶλλον ἄγαμαι τοῦ καταμετρήσαντός σοι, καὶ διατάξαντος ἕκαστα τούτων. Quæ ita expressit in Catone Cicero: Mirari se non modo diligentiam, sed etiam solertiam ejus, a quo essent illa dimensa, atque descripta. Quorsum autem hæc spectent, ne divinari quidem licet. Fortasse autem de studio patrio, atque avito agri colendi, quem optimati etiam convenire censebat, Scipio dicere erat aggressus. Nam Cicero quidem in Sextiana inter optimates libertinos etiam, et rusticos municipales retulit. SIGON.

Sed ut plurimas] Loquitur item, ut opinor, de patria. IDEM.

Facillimam autem in ea rep. esse posse concordiam] *Concordiam* ex æquabilitate oriri significat. Ut enim seditio excitatur, auctore in Politicis Aristotele, cum civium alii se deteriore, quam alios, premi conditione, neque æqualem habere reip. partem existiment: sic concordiam, quæ temperatione civitatis maxime continetur, civium ipsorum æquabilitas tuetur. Qua de re in his, et in proximis verbis agitur. IDEM.

Nec tantum Carthago] Exemplo Carthaginiensium docet, necessaria esse ad imperii magnitudinem, et diuturnitatem consilia, et disciplinam. Cæterum Vell. lib. I. ait: *Carthago diruta est, cum stetisset annos* CCCCLXVII. IDEM.

Quid? tu cum es iratus] Postremo Scipio de frenanda ira inimica consilio, et libidine coercenda; qua mens impeditur in deliberando, agit. Atque ita hæc duo fragmenta hujus disputationis partem attingunt. IDEM.

Pulso libidines] Ausus sum pro *pulso, pulsas* ponere. Sensus totius est; Si quis est, qui non probet, pulsas esse libidines et iracundias consilio, næ is miserrime est animatus. PATR.

Denique ipsa natura] Fortasse etiam de cupiditatibus hoc dictum est. Apud Nonium autem cum legeretur: *Cicero de Rep. Idemque ipsa natura;* reposui; *Cicero de Rep.* I. *Denique ipsa natura.* SIGON.

Populo gratificans] Mirum, ni hoc fragmentum ad eum locum pertineat, ubi de situ urbis et ædificiis disputabat: quemadmodum superius in illum locum, *Delubris distinctam, spatiisque,* &c. ostendimus. Equidem Cicero ædificia publica civitatum inter beneficentiæ et liberalitatis officia numerat, quibus quidem populo gratum fieri solet. PATRIC.

DE REPUBLICA LIBER II.

In secundo libro, quantum ego judicare possum, Scipio sermonem, quem priore libro de coercendis animorum cupiditatibus orsus erat, aut retexuit, aut continuavit, aut certe uberius explicuit. Cive autem, quem ipse quærebat, instituto, iterum ad civitatis quæstionem descendit. Et quoniam civitatis constitutio nihil est aliud, quam respublica, reip. etiam definitionem, ac divisionem brevissimam attulit, cum remp. *rem populi* esse diceret, bonam quidem, cum juste regeretur, vel ab uno, vel a paucis, vel a multis; vitiosam autem, cum injuste; optimam vero, cum ex tribus rectis constaret. Atque hæc quidem pluribus, ut video, verbis disseruit, adeo ut maximam hujus libri partem in eo sermone consumpserit. Docet autem hoc D. Augustinus, cum in lib. de Civitate Dei II. cap. 21. quid in extremo secundo libro Scipio disputarit, his verbis exponit. *Inducit Cicero Scipionem eum ipsum qui Carthaginem extinxerat. de rep. disputantem, quando præsentiebatur ea corruptione, quam describit Sallustius, jam jamque peritura. Eo quippe tempore disputabatur, quo jam unus Gracchorum occisus fuit. E quo scribit seditiones graves cœpisse Sallustius. Nam mortis ejus fit in eisdem libris commemoratio. Cum autem Scipio in secundi libri fine dixisset, ut in fidibus, ac nervis, atque cantu ipso, ac vocibus concentus ex dissimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur, et congruens, sic ex summis, et mediis, et infimis interjectis ordinibus, ut sonis, moderata ratione civitatem consensu dissimillimorum concinere: et quæ harmonia a musicis dicitur in cantu, eam esse in civitate concordiam, arctissimum, atque optimum vinculum incolumitatis: eamque sine justitia nullo pacto esse posse. Ac deinde cum aliquanto latius, atque uberius disseruisset, quantum prodesset justitia civitati, quantumque obesset, si abfuisset, suscepit deinde Philus, unus eorum, qui in disputatione aderant, et poposcit, ut hæc ipsa quæstio diligentius tractaretur, ac de justitia plura dicerentur, propter illud, quod jam vulgo ferebatur, remp. regi sine injuria non posse. Hanc proinde quæstionem discutiendam, et enodandam esse assensus est Scipio, responditque nihil esse, quod adhuc de rep. putaret dictum, nisi esset confirmatum, non modo falsum esse illud, sine injuria non posse, sed verissimum esse, sine summa justitia remp. regi non posse. Cujus quæstionis explicatio cum in diem sequentem dilata esset, in tertio libro magna conflictione acta res est.* Hæc ille. Ex quibus apparet, Scipionem, postea quam optimam remp. breviter circumscripsit, de concordia sermonem iterum intulisse, eamque æquabilitate custodiri, allata concentuum similitudine, docuisse: extremo autem de justitia, sine qua æquabilitas, atque concordia esse non posset, dubitante maxime de ea re Philo, disseruisse. SIGONIUS.

Est igitur quiddam turbulentum] Latius in hoc libro, ut dixi, de perturbationibus animorum disputatum esse, quam priore extremo factum fuerat, puto. Quare eo sine dubio referendum hoc est, quod profert Nonius ex lib. Ciceronis de Rep. Quanquam enim libri numerus apud eum interiit, tamen e secundo fuisse, ipsius argumenti similitudo mihi persuadet. Significat autem, duobus quasi morbis homines conflictari: voluptate, et *molestia*. Sic enim apud Nonium lego, non, ut vulgo, *modestia*. Vexatur enim æque animus voluptate, ac dolore, quamvis illa exultet, hoc frangatur. IDEM.

Cupido autem, et expetenti] Libidinem his verbis, quam Græci ἐπιθυμίαν vocant, expressit, quam ipse in Tusculana quarta cum lætitia copulavit: *Quæ vero*, inquit, *adversa ratione incitata est vehementius, ea libido*

est, vel cupiditas effrenata, quæ in omnibus stultis invenitur. Idem.

Quartaque (vulgo *quantaque anxitudo*] Anxitudinem quartam ægritudinis speciem videtur intelligere, quam in Tusculana quarta vocavit Angorem, eamque definivit *ægritudinem prementem.* Idem.

Ut auriga indoctus] Nescio an hæc similitudo eo adhibita sit, ut rationem, quæ est inter appetitum et animum, demonstraret, atque an mentem, sensibus obedientem, cum rudi atque inducto auriga, qui se trahi ab equis patiatur, comparavit. Quod si ita est, Platonem certe secutus est, qui in Phædro de duobus equis bono et malo, et eorum auriga ratione disseruit. Idem.

Archytam] Vide Tusc. IV. 36.

Ut in fidibus] De Officiis, I. 41.

Ac primus agros, quos bello Romulus] Numam Pompilium, qui secundus a Romulo regnavit, videtur significare: qui agros, ut ait Dionysius, a Romulo bello partos, nec cuiquam divisos, viritim pauperibus distribuit. Quod est incredibilis regis ejus justitiæ certissimum argumentum. Id.

Cum aliud nihil] Exemplum justissimi imperatoris, ut Pauli Æmilii, qui prædæ nihil in domum suam intulerit. Idem.

Multaque ditione ovium] Multatio, inquit Plinius XVIII. 3. non nisi ovium boumque impendio dicebatur. Patricius.

Non gravarer, Læli] Verba sunt Scipionis, quibus longiorem a se hodierni diei disputationem repellit, seque Lælium disserentem, quemadmodum pridie pollicitus fuerat, velle audire ait. Sigon.

Si id quidem] Regius codex: *Verum id quidem*, omissa vocula *si.* Jac. Gronov.

Ut Carneadi respondeatis] Hæc sunt verba Furii petentis, ut de justitia latius disputetur, quo argumentis Carneadis, quæ ipse contra justitiam allaturus est respondeant, eaque, si possint, convellant. Carneadem autem ea dicendi ac disserendi facultate instructum fuisse inquit in II. de Orat. ut nullam unquam rem oppugnarit, quam non expugnarit. Sigon.

DE REPUBLICA LIBER III.

Argumentum hujus libri minime dubium est. Siquidem D. Augustinus accurate illud eodem in loco *Civit.* II. 21. aperuit, ubi deinceps in tertio libro magna contentione rem actam scribit. *Suscepit enim,* inquit, *Philus ipse defensionem eorum, qui sentirent, sine injustitia regi non posse remp. purgans se præcipue, ne hoc ipse sentire crederetur: egitque sedulo pro injustitia contra justitiam, ut hanc esse utilem reipublicæ, illam vero inutilem, verisimilibus rationibus et exemplis velut conaretur ostendere. Tum Lælius, rogantibus omnibus, justitiam defendere aggressus, asseruit, quantum potuit, nihil tam inimicum, quam injustitiam civitati, nec omnino nisi magna justitia geri, aut stare remp. posse. Qua quæstione, quantum satis visum est, pertractata, Scipio ad intermissa revertitur, recolitque suam, atque commendat brevem reip. definitionem, qua dixerat, eam esse* rem populi. *Populum autem non omnem cœtum multitudinis, sed cœtum juris consensu, et utilitatis communione sociatum esse determinat. Docet deinde, quanta sit in disputando definitionis utilitas; atque ex illis suis definitionibus colligit, tunc esse remp. id est rem populi, cum bene, ac juste geritur, sive ab uno rege, sive a paucis optimatibus, sive ab universo populo. Cum vero injustus est rex, quem tyrannum more Græco appellavit; aut injusti optimates, quorum consensum dixit esse factionem; aut injustus ipse populus, cui nomen usitatum non reperit, nisi ut etiam ipsum tyrannum vocaret; non jam vitiosam, sicut pridie fuerat disputatum, sed, sicut ratio ex illis definitionibus connexa docuisset, omnino nullam esse rempublicam: quoniam non esset res populi, cum*

tyrannus eam factiove capesseret; nec ipse populus jam populus esset, si esset injustus, quoniam non esset multitudo juris consensu, et utilitatis communione sociata, sicut populus definitur. Idem post etiam lib. XIX. cap. 21. profitetur, se demonstraturum secundum definitiones, quibus apud Ciceronem utitur Scipio in libris de Rep. nunquam remp. fuisse Romanam. Quæ autem dicebat Philus contra justitiam, a Carneade philosopho se accepisse professus est, ut tradit Lactantius lib. V. cap. 15. cujus etiam verba non gravabor apponere, ut res sit illustrior. *Carneades,* inquit, *Academicæ sectæ philosophus, cujus in disserendo quæ vis fuerit, quæ eloquentia, quod acumen, qui nescit, is ex prædicatione Ciceronis intelliget. Is cum legatus ab Atheniensibus Romam missus esset, disputavit de justitia copiose, audiente Galba, et Catone censorio, maximis tunc oratoribus: sed disputationem suam postridie contraria disputatione subvertit, et justitiam, quam pridie laudaverat, sustulit. Eam disputationem, qua justitia subvertitur, apud Ciceronem L. Furius recordatur. Credo quoniam de rep. disserebat, ut defensionem, laudationemque ejus induceret, sine qua non putabat regi posse rempublicam. Carneades autem, ut Aristotelem refelleret, ac Platonem, justitiæ patronos, prima illa disputatione collegit ea omnia, quæ pro justitia dicebantur, ut posset illa, sicut fecit, evertere.* Hæc ibi Lactantius. At vero, capite 16. Carneadis ipsius etiam argumenta contra justitiam ponit. De hac autem inter Lælium, et Philum pro justitia contentione mentio est in dialogo de Amicitia, cap. 7. SIGON.

Ab ipsa calce] Hanc quam nunc in circo metam vocamus, *calcem* antiqui dicebant, Seneca, ibidem. PATRICIUS.

Nullum est jus naturale] Videtur iis verbis Cicero Thrasymachum illum Platonis exprimere voluisse, qui jus omne opinabile esse, non naturale, affirmabat, idque esse definiebat, quod ei, qui plus potest, utile sit. IDEM.

Bonus vir si habeat] Cicero, se hæc exempla ex sexto Hecatonis de Officiis libello sumpsisse, fatetur in tertio de Officiis, in quo eandem fere exequitur quæstionem. Quæstio eadem attingitur in primo et secundo Platonis de Rep. SIGON.

Profitebitur] Vulgati post hoc verbum inserunt, *emptori fugitivum esse*: quæ in suo vetustissimo codice Thomasius non legi testatur. Nec vero legebantur in Lactantii editionibus 1476, et 1497. Quare nec apparent in ea, quam nuper adornavit Christ. Aug. Heumannus. Hic enim, inquit ille, Cicero loquitur non de sola professione servi fugitivi, sed etiam de professione domus pestilentis.

Nam cum quæreretur ex eo] Est summi cujusdam regis, ut Alexandri Magni, percontatio, qua de archipirata quæsivit, qua libidine compulsus, uno myoparone infestum totum mare haberet. Cui ille respondit, *eadem, qua tu orbem terrarum.* Ex quo intelligitur, eodem pacto injustum esse regem bellatorem, ac privatum hominem prædonem, cum uterque immensa habendi cupiditate ad injustitiam impellatur. SIGON.

Est quidem vera lex] Hucusque pertinent ea, quæ ex Furiana disputatione pro injustitia fuisse opinor. Nunc subscribam ea, quæ Lælium pro justitia arbitror attulisse. Primum ergo naturalem, quam Furius sustulerat, intulisse justitiam eum existimo, quæ nihil aliud est, nisi recta ratio, quæ est in Deo. De qua cum dissereret, in hæc verba delapsus est, quemadmodum testatur Lactantius lib. VI. cap. 8. *Suscipienda igitur,* inquit, *Dei lex est, quæ nos ad hoc iter dirigat, illa sancta, illa cœlestis, quam M. Tullius in lib. de Rep. tertio prope divina voce depinxit: cujus ego, ne plura dicerem, verba subjeci: Est quidem vera lex, &c.* Hujus autem legis definitionem Cicero accepit sive ab Aristotele, Rhetor. lib. I. sive ex Antigone Sophoclis, (versu 476, et seq.) ID.

Noster autem populus, sociis defendendis, terrarum jam omnium potitus est] Hoc idem comprobat locus ille, qui est in Maniliana: *Quare si propter socios nulla ipsi injuria lacessiti majores vestri cum Antiocho, cum Philippo, cum Ætolis, cum Pœnis bella gesserunt, quanto vos studio convenit, injuriis provocatos, sociorum salutem una cum imperii vestri dignitate defendere?* Recte. Etenim cum Antiocho et Ætolis pro Græcia liberanda pugnarunt; cum Philippo pro salute Atheniensium; cum Pœnis pro Mamertinis, Saguntinis et Massanissa, Numidiæ rege, bellum susceperunt: Mithridati vero Ponti regi, quod Asiam invasisset, postremo etiam arma intulerunt, atque ejus belli occasione longius imperium protulerunt. Sigonius.

Pyrrhi videtur largitas a cos. aut Samnitium copiæ Curio defuerunt] Quanquam in his verbis est mendi aliquid, tamen apparet, quid Cicero velit, nimirum et Pyrrhi liberalitatem a Coss. Fabricio et Æmilio esse repudiatam, neque Samnitium opes Curio defuisse. Ut autem Pyrrhus rex consules donis tentarit, Samnites Curium muneribus amplissimis onerare voluerint, liquet ex Annalibus. Unde illa sunt Ciceronis in Paradoxis: *Utrum pluris æstimabimus pecuniam Pyrrhi, quam Fabricio dabat, an continentiam Fabricii, qui illam pecuniam repudiabat? Utrum aurum Samnitium, an responsum M'. Curii?* Idem.

Pyrrhi videtur largitas a coss. aut a Samn.] Videtur sic potius legendum: *Pyrrhi videlicet largitas consulibus, aut Samnitium copiæ Curio defuerunt.* Immo vero sic prorsus legendum esse censeo. Est enim ironia: qua significat neque Fabricium Pyrrhi liberalitatem et munera; neque Curium Samnitium aurum desiderasse. Lambinus.

Cujus etiam focum] De hoc loco vide Victorium, Variarum Lectionum lib. X. cap. 5. Patric.

Quorum non corpora] Quoniam D. Augustinus (*Civit.* XII. 6.) Ciceronem in Scipionis sermone de Romulì consecratione egisse ait, ut infra ostendam, ea re adducor, ut credam, vel a Lælio, postquam de præclaris justitiæ laudibus peroravit, vel a Scipione, mentionem de præmiis eorum, qui justitiam, et virtutem in vita coluissent, esse illatam: quæ autem nunc de Hercule, et Romulo in cælum relatis narrantur, ex ea disputatione esse, qua justos homines ab hominibus inter deos referri alter eorum confirmaverit. Sigon.

Romuli autem ætatem minus] Illud, *minus his sexcentis annis*, tantumdem prope, valet, quantum, quod alias solet idem dicere, *intra hos sexcentos annos*. Sic illud ad Attic. XIV. 1. *affirmatque minus diebus* XX. *tumultum Gallicum*. Videamus igitur, an verum sit, quod ait, ex ratione temporum. Equidem disputatio hæc de Republica habita est Sempronio et Aquilio coss. ut colligitur ex lib. III. Epist. ad Q. Fratrem, qui fuit annus U. C. dcxxiv. ad rationem Capitolinorum fastorum. Romulus autem mortuus est anno urbis xxxvii. Inde igitur ad tempus disputationis sunt anni sexcenti, minus tredecim. Quod autem ætas illa jam fuerit literata et civilis, cum fragmentum ipsum inferius exponit, tum vide etiam Ciceronem ipsum in Bruto XVII. XVIII. XIX. et 1. Tusc. II. et pro Archia sub initium, et Gell. lib. XVII. cap. 21. Hoc autem etiam referendum esse existimo non tam ad Romanos, qui tum nondum sat exculti erant, quam ad Græcos. Nam in lib. 1. de Div. *Romuli auguratum pastoralem* adhuc, non *urbanum* appellat; et ibidem supra, *pastoribus illum ait præfuisse*. Patric.

Tantum est consecutus] Loquitur de Romulo item Scipio. Sigon.

Propterea et istum] De Tullo Hostilio, Romanorum rege, verba facit; quod ostendit D. Augustinus ibidem. Idem.

Vult plane virtus honorem] Oratio est Lælii, qua hunc locum, ut puto, conclusit, nimirum omnino virtuti

honorem deberi a civibus. Qui si, vel quod invidi, vel ingrati, vel inimici sint, denegetur, ipsam se suo decore sustentare. Fuisse hæc verba Lælii, scripsit Lactantius. IDEM.

Respublica est res populi] Transacta de justitia, atque injustitia controversia, Scipio, ut scripsit D. Augustinus, interruptam suam disputationem repetiit. Cœperat autem definire rempublicam, ac recta, et depravata ejus genera distinguere, et optimum statum civitatis instituere, tum cum de justitia incidit quæstio. Cum autem ibi breviter agere cœpisset, hoc loco uberius omnia, ut dixit D. Augustinus, ac copiosius retractavit. IDEM.

An non cernimus] His verbis Scipio imperiorum inter se differentiam, ac rationem expressit, quod ad divisionem rerumpublicarum est referendum. D. autem Augustinus hujus præceptionis est auctor, qui libro XIV. cap. 23. de Civitate Dei loquitur in hæc verba: *Nonne Cicero in libris de Rep. cum de imperiorum differentia diputaret, et hujus rei similitudinem ex natura hominis assumeret, ut filiis dixit imperari corporis membris propter obediendi facilitatem; vitiosas vero animi partes, ut servos, asperiore imperio coerceri?* Hæc autem verba, quæ et quo in libro fuerint, aperit libro quarto contra Julianum Pelagianum: *Audi*, inquit, *quæ dicat in tertia de Rep. libro Cicero, cum ageret de causa imperandi. An non*, inquit, *cernimus optimo cuique dominatum ab ipsa natura cum summa utilitate infimorum datum? Cur igitur Deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini iracundiæque, et cæteris vitiosis ejusdem animi partibus? Jamne potes saltem docente isto has, quas bonas esse defendis, vitiosas animi partes confiteri?* IDEM.

Phœnices primi] Exemplum hoc de Phœnicibus quo spectaverit, plane divinare non possum. Accepit autem hunc locum Cicero ex quarto libro Reip. Platonis, ubi ille docet, Phœnices a natura factos ad pecuniam coacervandam, et mercaturam exercendam, cum ostendere vellet mores totius civitatis sæpe privatorum moribus commutari. Verba Platonis sunt hæc: Ἢ τὸ φιλοχρήματον, ὃ περὶ τούς τε φοίνικας εἶναι, καὶ τοὺς κατ' Αἴγυπτον φαίη τις ἂν οὐχ' ἥκιστα. IDEM.

Duas sibi res] Loquitur sine dubio de Isocrate oratore, cui ad laudem forensem vox, et audacia defuit, ut ipse de se fatetur in Panathenaico. IDEM.

Quid ergo illa] Athonem, Thraciæ promontorium, quod Xerxes perfodit, intelligit. IDEM.

DE REPUBLICA LIB. IV.

P. Scipio, cum propositam reip. definitionem, et partium ejus, priore libro executus esset; atque optimum illum, quem sibi ab initio quærendum proposuerat, statum civitatis informasset; in hoc libro magistratuum descriptionem eorum, quibus ejusmodi resp. niteretur, ac civium hujus reip. mores ad beatam vitam conformarentur, adhibuit. Cumque ad mores civitatis corrumpendos magnam vim scenam habere, cui tum populus Romanus studiose operam dabat, intelligeret: omnino scenicos sibi poetas omnes aut civitate pellendos, aut certe, a tanta licentia cohibendos putavit. In quo potissimum Platonem suum, præclarum reip. instituendæ magistrum, est secutus; qui poetas ex divina illa sua, quam nemo unquam nisi mente vidit, rep. emisit. Id quod ex fragmentis ipsis facile cognoscetur. Quin etiam idem corporis, atque animi, rerum, quæ a natura gignuntur, opportunitates innumerabiles, deorum concessu humano generi traditas, videtur persecutus, si ipsum in primo de Legibus et Lactantium in libro de Opificio Dei loquentes audiemus. Verba Ciceronis hæc sunt: *Omitto opportunitates, habilitatesque reliqui corporis,*

moderationem vocis, orationis vim, quæ conciliatrix est hujus maxime societatis. Neque enim omnia sunt hujus disputationis, et temporis: et hunc locum satis, ut mihi videtur, in iis libris, quos legistis, expressit Scipio. Id autem a Scipione factum esse in quarto libro de Rep. testatur Lactantius in capite primo ejus libri, quem de *Opificio*, ut dixi, inscripsit, hoc modo: *Tentabo, quoniam corporis, et animi facta mentio est, utriusque rationem explicare. Quod officium hac de causa maxime suscipiendum puto, quod M. Tullius in quarto de Rep. libro, cum id facere tentasset, nihil prorsus effecit; materiam late patentem, angustis finibus terminavit, leviter summa quæque decerpens.* Quorsum autem spectaverit hæc tam alte repetita Scipionis in hoc libro oratio, explorati nihil habeo: nisi forte, cum de civili societate acturus esset, magna hominibus ad eam a natura subsidia subministrata esse, docuit, cum omnia, quæ e terra gignerentur, cum pecudes, ac belluas omnes hominum causa a natura procreatas ostenderet, cum denique innumerabilibus corporis, atque animi opportunitatibus homines a natura ipsa ornatos, cum vocem, cum orationem unam maxime ad conciliandam societatem accommodatam illis datam exponeret. Nam et hi loci in primo Politicorum ab Aristotele sunt tractati. Præterea vero de moderanda mulierum licentia, de pueris educandis, de ratione litigandi, in hoc libro sive a Scipione, sive ab alio quo ex iis, qui aderant, disputatum, satis ex fragmentis ipsis apparebit. Præterea cum Cicero in tertio de Legibus scribat, Scipionem pro se satis multa dixisse in his libris, cur legem tabellariam Cassiam de populi judicio suaserit, existimo id in hoc libro esse factum, præsertim cum hæc verba a Prisciano ex libro quarto proferantur: *Non facile valenti populi resistitur: si aut nihil impertias juris, aut parum.* SIGON.

Atque ipsa mens] Hæc verba ex ea disputatione excidisse opinor, quam de voce, de oratione, et mente hominibus a natura donatis Scipio instituit. IDEM.

Cumque autumno terras] Inter cætera admirabilia naturæ munera etiam sol ipse numeratur: a quo cum alia prope infinita homines commoda consequuntur, tum unum illud, de quo nunc agi videtur, insigne: quod ab eo autumno terræ ad concipiendas fruges patefiant, hieme relaxentur. Hæc autem certe pars fuit ejus sermonis, quem Scipio de commoditatibus, quas natura hominibus est largita, suscepit: quas pluribus verbis in secundo de Natura Deorum lib. Cicero persecutus est. IDEM.

Eudemque] Terra scilicet.

Nunquam comœdia] Cum de moribus per magistratus emendandis Scipio esset dicturus, poetarum scenicorum licentiam, qui apud Græcos cuique palam maledicere soliti erant, improbavit; majorum suorum institutum, qui eam correctionem melius notatione censoria, quam poetarum petulantia fieri existimaverint, commendavit. IDEM.

Actitavisset] *Occentavisset.* Sic est in libris veteribus. PATRIC.

Probris et injuriis poetarum] Ego quidem hoc totum vix puto esse Ciceronis, sed Augustini potius, ad fragmentum illud superius respicientis, quod proxime de XII. tabulis præcessit. IDEM.

Cum artem ludicram] Adeo, inquit, Romani licentiam hanc poetarum vituperant, ut scenicos ipsos etiam actores ignominiis notaverint; siquidem notatione censoria omnes histriones præter actores Atellanarum tribu movebantur. SIGON.

Ad quos] Poetas: ut ibidem ait Augustinus.

Ille] Plato, lib. de Rep. III.

Sed juventuti nostræ minime audiendus] De Epicuro philosopho videtur dictum, qui summum bonum in voluptate posuit: cui qui se addixerant, voluptatem corporis ab eo intelligi negabant. Et hunc ut etiam poetas, videtur Scipio ex optima civitate

emittere, utrocunque modo senserit. Nam si ita sensit, ut loquitur, est homo impurus. Sin autem, ut defensores ejus affirmant, oratio est tamen, inquit, immanis. Imitatus est autem C. Fabricium illum, qui cum Pyrrho pugnavit: qui cum apud Pyrrhum in convivio audiret, quæ de diis colendis, de capessenda rep. de summo bono in voluptate constituendo Epicurus dissereret, exclamavit, *Utinam hanc mentem Pyrrho, et Samnitibus, hostibus nostris, dii dedissent!* Hoc autem extat apud Plutarchum in Pyrrho. Idem.

Censoris judicium] Probat maxime in rep. censorem, qui sit magister morum, et notet infamia cives, si probrum inesse dignum notatione censoria censuerit. Quod autem scribit, judicium censoris nihil afferre, nisi ruborem damnato, idem scripsit etiam in Cluentiana. *Sequitur*, inquit, *id, quod illi judicium appellant, majores autem nostri nunquam neque judicium nominarunt, neque perinde ut rem judicatam observaverunt, animadversio, atque auctoritas censoria*, &c. Id.

Nec vero mulieribus præfectus præponatur] De moderandis mulieribus loquitur. Improbat autem magistratum, qui erat apud Græcos, γυναικονόμον, id est, præfectum mulieribus. Hanc enim curam statuit esse censoriam, qua mulieres in officio facile contineantur. Hunc in Asinaria Plautus vocat *moribus præfectum mulierum*. Idem.

Carent temeto omnes mulieres] Gellius lib. X. cap. 23. *Qui de victu atque cultu populi Romani scripserunt, mulieres Romæ, atque in Latio ætatem abstemias egisse, hoc est vino semper, quod* temetum *prisca lingua appellabatur, abstinuisse dicunt.... Bibere autem solitas ferunt loream, passum, murinam, et quæ id genus epotant*, (Gronov. *extant*) *potu dulcia*. Idem.

Atque etiam si qua] Conjuncta hæc est sententia cum superiore. Inquit enim eodem in loco Gellius, *institutum fuisse, ut mulieres cognatis osculum ferrent, reprehendendi causa, ut odor indicium faceret, si vinum bibissent*. Quod idem Plinius, lib. XIV. cap. 13. Idem.

Non modo, ut Spartæ, rapere ubi pueri, et clepere discunt.] Hoc ad eam partem pertinere videtur, in qua de liberis educandis, et ad studia et labores instituendis docuit. Quæ ratio ab eo, qui remp. informat, nullo modo prætermittenda est; quippe cum sit diligentissime a Platone VII. libro de Legibus, et ab Aristotele VIII. lib. Politicorum tractata. Idem.

Admiror, nec rerum] Se ad admirari ait non rerum solum elegantiam, quæ erant in lege XII. tabularum, sed verborum. Dixit enim, *jurgant:* quam vocem deinde ipse interpretatur. Idem.

Nolo eundum populum] De publica parsimonia, et frugalitate, quæ virtutes magnæ a veteribus habitæ sunt, loquitur. Quas in rep. gerenda qui negligunt, vectigalia nova, atque intoleranda sociis imponant, necesse est. Est autem, inquit, turpe, eundem populum *imperatorem, et portitorem esse terrarum*. Hinc autem in Paradoxis exclamavit: *O dii immortales, non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit parsimonia.* Id.

Quod insepultos] Hi Athenienses fuerunt, qui dum religioni servire, pietatique erga mortuos voluerunt, rem injustam, atque ab omni pietate alienam commiserunt, ut exponit Petrus Victorius, vir et ingenio, et doctrina præstanti, in *Variis Lectionibus*, ex primo libro Græcarum rerum Xenophontis. Idem.

Plato] De Republica, lib. IV. et V.

Eosdem terminos hominum curæ atque vitæ] Obscura verba, nec satis, quid significent, aperientia, nisi fortasse illud, de quo in Dialogo de Amicitia, cap. IV. scriptum est: *Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum majorum, qui mortuis tam religioasa jura tribuerunt; quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur*, id est, si idem esset terminus hominum curæ et vitæ. Idem.

DE REPUBLICA LIB. V.

P. Scipio cum satis superioribus diebus de civitate, de rep. et partibus ejus, præterea vero de civium moribus, quibus optimus ille, quem descripsisset, reip. status contineretur, egisset, eo tandem orationem suam adduxit, ut de principe, et moderatore hujus reip. disputaret. Itaque quintum, ac sextum librum in hac, ut video, tractanda quæstione consumpsit. In quibus primum finem hujus rectoris reip. indagavit; deinde virtutes, quibus ille quasi armis quibusdam instructus ad eam capessendam accederet; postremo præmia, quæ iis, qui remp. ipsam auxissent, amplissima proposita essent, numeravit. Quæ causa fecit, ut Cicero his libris procemium illud præfixerit, quod esset huic, de quo dixi, argumento maxime consentaneum, de excellentibus, inquam, virtute viris, a quibus cum mores, ac instituta majorum, tum tanta præsertim, ac tam potens resp. servaretur. Sigon.

Ennius] Hæc sunt ex procemio libri quinti de Rep. teste D. Augustino libro II. cap. 21. de Civitate Dei: cujus hæc verba sunt: *Nullam fuisse Romanam remp. ipse Tullius non Scipionis, nec cujusdam alterius, sed suo sermone loquens, in principio quinti libri demonstravit, commemorato prius Ennii poetæ versu, quo dixerat,* Moribus antiquis res stat Romana, &c. Idem.

Reapse] Ex particula *pse*, et pronomine *is*, conflatum est *ipse*. A *re*, et feminino *eapse*, est *reapse*. Vossius, Grammat. VI. 9.

Marcellus ut acer] Diversas principum virtutes inter se comparat, atque ambas utiles reip. esse, videtur innuere, ferocitatem nimirum et lentitudinem. Id quod M. Marcelli et Q. Maximi exemplo confirmat: quorum Punico bello periculosissimo alter audacia, alter cunctatione, unde etiam *Cunctatoris* cognomen invenit, plurimum oppressæ reip. profuit. Itaque de Marcello in Bruto dixit Cicero post Cannensem illam calamitatem primum Marcelli ad Nolam prælio populum se Romanum erexisse: in Catone vero, Maximum Annibalem, juveniliter exultantem, patientia sua mollivisse. Sigon.

Breviloquentiam] Puto dictum de senatore, quem brevem esse in sententia dicenda jubet, Leg. III. 18. Idem. Ne esse quidem ex libris de Rep. constare potest. Vide de eo Senecam lib. XXII. ad Lucilium. Quod autem Cicero ait de Menelao, sumptum est ex Homero Iliad. V. ubi Helena de eo narrat, illum pauca quidem loqui, sed suaviter. Unde ipse quoque Cicero in Bruto: *Menelaum ipsum Lacedæmonium,* inquit, *dulcem illum quidem tradit Homerus, sed pauca dicentem. Cum enim genera ipsa dicendi tria in tribus ab Homero tradita ac expressa essent, magnificum et uber in Ulysse, moderatum et mixtum in Nestore, in Menelao certe subtile et cohibitum ostensum est.* Vide Gellium lib. VII. cap. 14. Patric.

Quæ cum Scipio] Suspicor, ne oratores eos insectatus sit, qui, lenociniis quæsitis orationis, qualia multa a Græcis tradebantur rhetoribus, populi auribus, non reip. rationibus inservirent: quod id a gravitate summi senatoris, et moderatoris urbis longe abesset. Confirmat conjecturam meam, quod Diomedes refert, Ciceronem in dialogis de Rep. scribere, *Asianos oratores ditrochæo clausulas terminasse,* quo numero scimus nostris auribus accidere nihil posse jucundius. Itaque hac opinione adductum L. Crassum, virum eloquentissimum, in censura dicendi magistros urbe edicto videmus exterminasse, Cicerone ipso, et Gellio, et Suetonio testibus. Concludit ergo Cicero, Scipionem, quod erat odio rhetorum imbutus, contra eos perorasse. Sigon.

Qui comperit ejus vim] Quid si legas *compescit*, et de populo dictum accipias, cujus vis incitata a principe civitatis cohibeatur? IDEM. Lego, *compressit*, et intelligo de P. Cornelio Nasica, qui privatus Tib. Gracchi ferocitatem manu compressit, eumque occidit. Nam de Gracchi morte in his de Republica libris fuisse mentionem testatur D. Augustinus, libro II. de Civitate Dei, cap. 21. PATRICIUS.

DE REPUBLICA LIB. VI.

Reliquum, quod erat de principis virtutibus exponendum, in hoc Scipio, ut opinor, est executus. Qua disputatione confecta, usum earum virtutum necessarium demonstravit, nimirum ut ad perpetuam salutis et dignitatis reip. custodiam referrentur. Solere enim civitatem sæpe non externis solum bellis, sed domesticis etiam discordiis perturbari, atque convelli, quibus malis omnibus a principe esse fortissime obsistendum. Quod quidem si fecerit, tum præmia illum amplissima consecuturum esse conclusit, honorem, ac gloriam; quorum ille in statuis, monumentis, ac triumphis, hæc vero in optima hominum de suis virtutibus opinione consisteret. Adjecit etiam, quo animos civium ad reip. defensionem vehementius inflammaret, omnibus iis, qui patriam ornarint, auxerint, conservarint, locum post mortem in cælo esse constitutum, ubi beati ævo sempiterno fruantur. Cui orationi ut auctoritatem adderet graviorem, narravit, quid ipse ea de re in quiete per visum ab avo Africano acceperit. Atque ita omnem de rep. et civitate optima disputationem absolvit. SIGON.

Totam igitur expectas] Prudentiam principis, et rectoris hujus exequitur. IDEM.

Qui numeros optimatum] Obscurum, de quo loquatur; non ita vero, qua de re loquatur. Verba enim facit de gravitate principis. IDEM.

Graves enim dominæ] Libidines prudentiæ, immo vero omni virtuti atque officio, inimicas, frenandas videtur significare. Hanc etiam quæstionem tractavit in Politicis Plutarchus, qua docuit, neminem perturbatione adduci ad remp. administrandam debere. Quod exemplo C. Gracchi perniciosum esse et reip. et rectori ejus confirmat. IDEM.

Læli, quam omnes habemus in manibus] Truncata hæc ab omni parte verba illud tamen satis videntur ostendere, de colenda paupertate sermonem fuisse. Declarat hoc Cicero in Paradoxo primo, in quo vocat *fictiles urnulas*, quæ hic *Samias capedines*, quarum meminit etiam pro Murena, cap. 36. IDEM.

Simpuvia] Non fictilia tantum, sed et lignea fuere simpuvia. Nonius, cap. 15. num. 12. *Simpuvium est vas ligneum.* Et Festus: *Simpulum, vas parvum, non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libabant.* Plura HARDUINUS in Plin. XXXV. 46.

Firmiter enim majores nostri] Hoc loco nescio quo modo de jure uxorio colendo videtur egisse, ac majorum prudentiam extulisse, qui firmiter matrimonia stabiliverint, quod a Romulo fuisse institutum docet in secundo libro Historiarum Dionysius. Adeo enim firmata inter virum et uxorem connubii jura esse ab eo scribit, ut per quingentos ac viginti annos divortium nullum Romæ auditum sit; qui autem primus uxori nuntium remiserit, is se liberorum quærendorum causa id facere, sterilitatem uxoris causatus, apud censores juraverit. SIGON.

Et vero in dissensione] Seditionem, quæ est inter optimates, et populum, describit. In qua eam haberi rationem a rectore vult civitatis, ut bonos, qui plus valent, quanquam pauciores sunt, expendat potius, quam numeret. IDEM.

Quod quidem eo fuit] Loquitur de

Tib. Graccho, Gracchorum patre, et C. Claudio, qui cum censores inter se de libertinorum suffragiis contendissent, post a tribuno pl. ad populum accusati sunt, ut auctor est Livius lib. XLII. et Valerius lib. VI. cap. 5. his verbis: "Cum Tib. Gracchus, et C. Claudius, ob nimis severe gestam censuram, majorem partem civitatis exasperassent, diem his M. Popilius tribunus pl. ad populum dixit. Quo judicio primæ classis centuriæ Claudium aperte damnabant: de Gracchi absolutione universæ consentire videbantur. Qui clam voce juravit, si de collega suo gravius esset judicatum, in factis se paribus eandem cum illo pœnam exilii subiturum. Eaque justitia tota illa tempestas ab utriusque fortunis, et capite depulsa est: Claudium enim populus absolvit; Graccho causæ dictionem M. Popilius remisit." Hoc est ergo, quod inquit, sive Scipio, sive alius quis, ex iis, qui sermoni intererant, eo fuisse majus, quod, cum in causa pari collegæ essent, non modo invidia pari non erant, sed etiam Claudii invidiam Gracchi caritas deprecabatur. IDEM.

In his, ut meministis] Exemplum hoc est honoris habiti præstanti in Rep. viro mortuo, quod ab eo sancte remp. administratam esse populus intelligeret. Est autem honor ei similis, quo P. Valerium Poplicolam, et Agrippam Menenium, et Q. Fabium Rullianum, viros reip. studiosissimos, et eo nomine populo jucundissimos, esse affectos accepimus. Mortuis enim illis æs populi liberalitate ad funeris magnificentiam est congestum. De cujus autem hic funere intelligat, nihil habeo comperti: de recenti quidem re loqui videtur, siquidem ait: *Ut meministis*. IDEM.

Ut quemadmodum scribit ille] Et hoc honoris exemplum est, in præstantem et egregium civem a civibus suis collati. Exemplum autem externum esse reor, non domesticum: siquidem de palliis verba facit. Hæc de honoribus. De gloria vero auctor est D. Augustinus, qui lib, V. c. 13. de Civitate Dei tradit, Ciceronem in libris de Rep. *principem civitatis alendum esse gloria* præcepisse. Quam sententiam D. Thomas lib. I. de regimine principum his verbis exposuit: *Oportet considerare, quale sit boni regis conveniens præmium. Quibusdam igitur visum est, non esse aliud, nisi honorem, gloriam. Unde et Tullius de Rep. definit* principem *civitatis esse alendum gloria:* cujus rei rationes Aristoteles in Ethicis reddere videtur, quia princeps, cui non sufficit honor, et gloria, tyrannus efficitur. Inest enim animis omnium, ut bonum proprium quærant. Si ergo non contentus fuerit princeps gloria, et honore, quæret voluptates, divitias, et sic ad subditorum rapinas convertetur. IDEM.

Sed quanquam sapientibus] Qua occasione hæc verba a Scipione dicta sint, docet Macrobius in Somnium Scipionis, hoc modo: *Scipionem hæc occasio ad narrandum somnium provocavit, quod longo tempore testatus est se condidisse. Cum enim Lælius quereretur, nullas Nasicæ statuas in publico in interfecti tyranni remuneratione locatas, respondit Scipio post alia in hæc verba:* Sed quanquam sapientibus, &c. *quibus verbis ad narrationem somnii venit, docens illa esse stabiliora, et viridiora præmiorum genera, quæ ipse vidisset in cælo bonis rerum publicarum rectoribus servata.* Ex quo intelligi potest, paulo ante de statuis, et de triumphis, et ejusmodi aliis honorum generibus mentionem esse factam: his autem verbis somnii illius pulcherrimi narrationem, paucis verbis additis, fuisse agglutinatam. IDEM.

SOMNIUM SCIPIONIS.

SCIPIO LOQUITUR.

Hanc Tullii ex lib. VI. de Re pub. quasi laciniam, Macrobius *Somnium Scipionis* indigitavit: quia nempe seorsum hoc interpretatus ille. Sed alii, qui ex narratione hac P. Africani aliquid proferunt, non aliter citant quam, *ex lib.* VI. *de Repub.*

Tres vero hujusce narrationis partes. Una de præmiis piorum et vita cælesti; altera de novem partibus naturæ, ut terra, septem orbibus errantium stellarum, sive planetarum, et uno inerrantium, sive infixarum: tertia de animorum immortalitate, quæ pars potissima est, et in quam hæc tota refertur somnii narratio; quemadmodum Cicero ipse testis in Lælio.

Primam hujusce narrationis partem Cicero imitatus est ex fine lib. X. Platonis de Repub. alteram ex libro de Mundo, quem frustra defendunt aliqui esse Aristotelis: tertiam ex Platonis Phædro. Primæ parti non dissimilia sunt quæ Plutarchus narravit libro *de sera numinis vindicta*, sub persona Thespesii Solensis, ut Plato sua narraverat per Eris militis Armenii personam, quem Clemens Alexandrinus Stromat. lib. V. esse Zoroastren probat. Theod. Marcilius, ex Ms. Biblioth. Regiæ.

Manio Manilio consuli] Cum uterque consul rem gereret, duplicia castra erant; cuique nempe consuli duæ legiones; cujusvis autem legionis sex tribuni. Polybius *lib.* VI. Prima vero et secunda legio, consulis majoris: tertia et quarta, minoris. Minor consul tertio bello Punico incipiente M'. Manilius; major Marcius Censorinus. Manilii ergo consulis tertia et quarta legio, et Manilio consuli *ad quartam legionem* tribunus Scipio. Sigon.

Cur *ad quartam legionem* potius quam, in quarta legione? Nempe quia proprie in legionis quasi corpore milites; ad legionem tribuni, quasi corporis hujusce duces. Sic imperator *ad exercitum* aut *apud exercitum* esse dicitur, non in exercitu. Tullius, pro Murena c. 9. *Apud exercitum mihi fueris.* Plautus, Amphitr. I. 3. 6. *Sed ubi summus imperator non adest ad exercitum.* Sic enim lego. Idem.

Masinissam] Hic Numidarum, et Masælylorum rex, a Pœnis expulsus, restitutus fuit in regnum ab Africano majore, ex eoque hunc Scipionem nepotem amavit, adeo ut, cum anno 97. moreretur, relictis 44. filiis, hunc inter eos divisorem, tutoremque esse voluerit. Anon.

Convenirem] Ter convenit Masinissam regem P. Scipio. Primum quo tempore missus a L. Lucullo imperatore ad Masinissam ex Hispania, ut elephantos peteret: deinde iterum ipse ultro in Africam profectus, M'. Manilio consule, Masinissæ videndi causa: postremo denique anno sequente missus a M'. Manilio proconsule, et evocatus Masinissæ litteris, qui morti vicinus. De primo tertioque adventu Scipionis Africani Appianus in Libyc. De tertio etiam Valerius cap. 11. lib. V. De secunda ejus profectione capiendus hic M. Tullii locus est. Fugit ratio Carolum Sigonium in Notis ad Tullii Fragmenta, qui Masinissam bis tantum a Scipione conventum esse defendit, elevatque fidem Appiani, atque adeo ipsius etiam Tullii. Marcil.

Amicissimum] Amicissimus Scipionum erat Masinissa, quod per P. Scipionem avum hujus in societatem populi R. pervenerat; quod patrium regnum non solum recuperaverat,

sed etiam auxerat; quod denique Rex a senatu appellatus fuerat. Livius auctor. SIGON.

Grates, inquit, tibi ago, summe Sol] Ut altius exaggerata et regia regis hujusce oratio esset, decorum servavit Cicero, et verbis utentem facit antiquis et poeticis, *grates* pro gratiis, *cælites* pro diis. Solem Afri sanctissimum coluere. Asconius in Verrin. III. Servius ad Æneid. I. MARCIL.

Reliqui cælites] Lunam, cæteros planetas, et quotquot in supremo cælo stellæ sunt, veterum plerique Deos esse crediderunt. VINET.

De via] Indoctus aliquis, *fessum de via*, scripserat. LANG. Non, hercle, indoctus ut putat Langius. Hæc enim vox nec auctoritate caret veterum editionum, nec ratione, cum eodem modo loquatur Cicero in Academ. I. cap. I. *Nisi de via fessus esset*. FACC.

Fit enim fere, ut cogitationes] Hoc egregie Lucretius explicat lib. IV.

Et cui quisque fere studio devinctus adhæret,
Aut quibus in rebus multum sumus ante morati,
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens,
In somnis eadem plerumque videmur obire.
Causidici causas agere, et componere leges, &c.

Quale de Homero scribit Ennius] Cum enim Ennius Homeri versus legeret, meditaretur, edisceret, imitaretur, totumque se ad illius imitationem componeret, somniavit se Homerum esse factum, animaque Homeri, juxta Pythagoricum dogma, animatum. Hinc illud Horatii in Epistolis:

Ennius et sapiens, et fortis, et alter Homerus,
Ut Critici dicunt, leviter curare videtur,
Ut promissa cadant, et somnia Pythagorea.

Idem Persius notavit:

Cor jubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Mæonides, quintus pavone ex Pythagoreo.

Locus autem Ennii, ubi somnium illud narrabatur, videtur illo hemistichio significari, quod in Lucullo Ciceronis est:

Visus Homerus adesse poeta.

Hæ causæ somnii, de quibus Plato de Rep. IX. et Cicero, Divin. I. 29. RAMUS.

Ex imagine ejus, quam ex ipso] Recte: nam quo anno Scipio avus diem suum obiit, eodem hic nepos natus est, App. Claudio Pulchro, M. Sempronio Tuditano Coss. SIGON. Imagines gentilitiæ in atriis deponebantur: quæ in pompis circumferebantur. CAR. LANGIUS. Livius, lib. XXXIX. ait censorem fuisse M. Porcium Catonem, Publio Claudio Pulchro, Lucio Porcio Licinio Consulibus, qui putatur A. U. C. 570. Ipse Cato autem in libro de senectute dicit Scipionem Africanum priorem, anno ante mortuum esse, quam ipse fuit censor. Obiit igitur Scipio anno U. C. 569. Scipio vero Æmilianus, decessit Manio Aquilio, C. Sempronio Coss. A. U. C. 526. Vixit annos 56. quos si subduxeris ex 526. reliquus erit A. U. C. 569. quo anno mortuus sit Africanus avus, et natus nepos Africanus. Sic et Velleius Paterculus scribit Africanum nepotem fuisse primum Consulem anno ætatis 36. qui Consulatus incidit in annum U. C. 607. Ex his si deducantur 36. relinquentur anni Urbis 571. Igitur quando decessit Scipio avus, Scipio Æmilianus nepos duobus annis major non fuit: qua ætate, suum avum Africanum non vidit, ut meminisse potuerit, ac eum cognoscere, post triginta quinque fere annos, quot erat natus, cum apud Masinissam tribunus militum secundo bello Punico somniavit: verum viri tanti imaginibus et statuis erat plena Roma, ex quibus illum se dicit agnovisse. Plinius, lib. XXXV. 2. VINET.

Parere populo R. coacta per me, renovat pristina bella] Carthago bello Punico secundo, victo a P. Scipione acie in Africa Annibale, pacis conditiones accepit, et tributi impositi onus pertulit. Iis autem tertio arma

illata sunt, quod contra fœdus naves haberent, et cum socio Masinissa armis de finibus contenderent. Appianus, alii. SIGON.

De excelso et pleno stellarum, illustri et claro quodam loco] Africanus ex lacteo circulo loquitur, qui est inter æthereas stellarum flammas splendidissimus, propter confertam stellularum, ut Aristoteles et Ptolemæus aiunt, multitudinem: unde γαλαξία a Græcis, propter lactis similitudinem, nuncupatur: multa vero de hac regione cæli, et poetæ fabulantur, et docti philosophantur. Poetæ enim aiunt Junonii lactis effusione lacteum illum candorem alboremque splendentem exstitisse: Philosophi, ut Pythagorei, solaris quondam currus exustione. Theophrastus commisturam quandam, compagemque mundi cohærentium partium censuit esse. Diodorus credit non commisturam, sed rimam quandam intersistentium hemisphæriorum. Posidonius existimat siderii caloris abundantiam, idcirco contra zodiaci iter obliquatum, ut temperaret reliquas mundi partes, ad quas zodiacus non pertingeret. Verum Aristotelis Ptolemæique sententia verior est habita, statuentium lacteum illum candorem cæli ex conferta stellularum multitudine effici. RAMUS.

Pene miles] Natus annos plus minus XXIX. Cum autem toga virilis sumeretur anno septimo decimo; ac decennio militandum esset iis qui honores erant petituri; fuit hic annus primus, aut alter a perfuncta militia. LANG.

Hoc biennio Cos. evertes] Rectius forte dici potuit: *Hoc triennio.* Nam venit Scipio in Africam M'. Manilio Cos. anno DCV. Consul factus est, et Carthaginem evertit anno DCVII. Biennio, est intra biennium. Intelligi ergo vult Cicero, hoc biennio proximo sequente, non annumerato anno præsente. MARCIL.

Eritque cognomen id tibi per te partum] Paries, inquit Africanus, o Æmiliane, et comparabis tibi tua virtute cognomentum, quod ad hoc usque tempus habes a me avo tuo hereditarium: P. enim Cornelius Scipio, confecto bello Punico secundo, primus ex Romanis Imperatoribus nomine *victæ a se gentis est nobilitatus*, ut Liv. XXX. extremo. *Exemplo deinde hujus, nequaquam victoria pares, insignes imaginum titulos, claraque cognomina familiæ fecere.* VINETUS.

Triumphum egeris] Triumphavit de Pœnis Scipio, Lentulo, et Mummio coss. eodem anno, quo Corinthus deleta est, ut in Commentario Fastorum ostendimus. SIGON.

Censor fueris] Censuram gessit cum L. Mummio in consulatu L. Metelli, et Q. Maximi, anno U. C. DCXI. ut eo in libro docuimus. IDEM. Nunc quidem Cicero hanc Scipionis censuram priorem legatione posuit: sed idem posteriorem facit in Lucullo cap. 2. Sed videtur hoc voluisse nunc, ut decorum servaret in narratione somnii. Somnia enim plerumque non sine turbatione rerum aliqua. Neque enim id memoriæ vitio factum arbitror; quod voluit Scaliger. MARCIL.

Obieris legatus Ægyptum] Satis constat, P. Scipionem legatum cum Sp. Mummio et L. Metello ad regum, et civitatum, et gentium animos perspiciendos esse missum: ut scriptum reliquit Justinus lib. XXXVIII. Obiisse autem hanc eum legationem ante censuram, duabus rationibus adducor, ut credam. Primum Ciceronis ipsius auctoritate, qui in Lucullo ait: *P. Africani historiæ loquuntur in legatione illa nobili, quam ante Censuram obiit, Panætium unum omnino comitem fuisse.* Deinde verisimili conjectura. Non enim L. Metellum, virum consularem, ei adjunxissent, cum moris esset uni consulari legato duos non consulares adjungere. At si post censuram misissent, L. Metellum, jam consularem, non addidissent. Hoc autem idcirco dico, ne quis temere Valerio assentiatur, qui lib. IV. cap. 3. Scipionem scribit,

post duos consulatus et duos triumphos hoc legationis officio esse functum. Nam quod hoc in loco Cicero censuram legationi præferat, id orationis commoditas videtur vel defendere posse, vel excusare. SIGON.

Absens] *Absentem* dixit pro *non petente*. Creatus enim Scipio Cos. iterum, præsens in campo et comitiis; sed non petens, ut etiam primum factus Cos. non petens. Cicero ipse in Lælio, cap. 3. agens de Scipione, *Qui consulatum*, inquit, *petivit nunquam, factus est Cos. bis*. Legendus Valerius l. VIII. c. 16. Primum Scipio consulatum adeptus, cum descendisset in campum petiturus ædilitatem: alterum vero, cum descendisset suffragator Q. Fabio Maximo fratris filio. Sic utroque tempore præsens corpore, sed absens, si spectetur petitio. MARCIL.

Bellumque] Bellum in Hispania gestum est gravissimum per annos viginti cum Celtiberis, neque ante confectum, quam per Scipionem Numantia, quæ sola fere ejus demum regionis arma retinebat, eversa est. SIGON.

Cum eris curru] P. Scipio de Numantinis triumphavit P. Popilio, P. Rupilio coss. anno U. C. DCXXI. anno postquam Tib. Gracchus uxoris suæ frater, cum tribunatum, quem seditiose gesserat, in alterum annum continuare vellet, ab optimatibus est occisus. IDEM.

Offendes remp. perturbatam consiliis nepotis mei] Quo tempore Scipio bellum gerebat Numantinum, Tib. Gracchus Trib. pl. cum legem agrariam invitis patribus promulgare vellet, interfectus a Scipione Nasica, maximos excitavit tumultus: nec tamen ejus morte factiones compositæ sunt; sed Fulvio Flacco, Papyrio Carbone, et C. Graccho fratre Tiberii exemplo promulgationem adornantibus, iterum ingens seditio exorta est: Carbone legem ferente, ut cuique quoties liberet, tribunum fieri liceret: qua lege lata, Tiberii necem ulcisci statuit. Itaque coacti tam patres quam plebs, ad Scipionem tanquam ad tutissimum propugnaculum confugere, orantes ne urbem in tanto periculo desereret. Scipio Romam reversus, Carbonis legem dissuasit. ANON.

Nepotis mei] Tib. Gracchum vult dicere: cujus Tribunitiis furoribus se Æmilianus objecerat. Vide Plutarch. Vel certe C. Gracchum: cujus fraude, manu tantum Carbonis, vel ut alii, Semproniæ conjugis strangulatus Scipio creditus est. LANG.

Nepotis mei] Nam Tiberius Gracchus senior Corneliam Africani majoris filiam duxit uxorem, ex qua duos hos suscepit liberos, Tiber. et C. Gracchos fratres. ANON. apud GRÆVIUM.

Hic tu, Africane] Significat fortasse tempus illud, quo, auctore Valerio, Scipio a C. Carbone tribuno pl. in Rostra perductus est, et quid de Tiberii nece sentiret, dicere jussus, respondit: *eum sibi jure cæsum videri*. Aut, nisi hoc præcipue velis, patrocinium, quod ab eo Itali contra legem Semproniam petierunt, intellige. SIGON.

Ancipitem video quasi fatorum viam] Eo tempore quo fata vergant nescio. Involucris verborum futuram mortem tegit, ex arte. Futura enim obscuris verbis ab oraculis et vatibus denuntiantur. GRÆV.

Cum ætas tua septenos octies] Periphrasis est anni ætatis LVI. quem Astrologi climactericum vocant. WOLFIUS. Significat, Scipionem annos natum LVI. diem suum obiturum. Obiit autem M'. Aquilio, et C. Tuditano coss. eodem anno, quo hæc dicta esse finxit Cicero. SIGON.

Anfractus] Anfractus solis nominatur propter obliquitatem orbis zodiaci, per quem sol modo ad Septentrionem inflectitur, modo relabitur ad meridiem: sinuosas enim et flexuosas vias anfractus appellamus, ut fluminum, ut littorum solent esse. RAMUS.

Uterque plenus alter altera de causa habetur...summam tibi fatalem confecerint] Septenarius numerus plenus est, quia, ut inquit S. Augustinus

lib. XI. de Civ. Dei, continet *ternarium, qui primus numerus totus impar*, et quaternarium, qui totus par. Sed hæc plenitudo illius numeri mathematica. M. Cicero nunc spectat plenitudinem ejus physicam, sive quia vinculum, et *quasi nodus* universitatis naturæ est septenarius (*infra cap.* 5.) nempe quia stellarum errantium sive Planetarum orbes septem. Octonarius autem Ciceroni perfectus numerus est, sive plenus; quia orbes cælestes octo, unus inerrantium sive fixarum stellarum, septem, errantium. Alia de plenitudine hujusce numeri etiam mathematice dicuntur. Ut quia dissolvitur in numeros pariter pares, nempe bis quaternos: eæque ipsæ rursus partes in numeros pariter pares, nempe bis binos. Unde et justitia numerus octonarius in schola Pythagoræ; quia distributio par, apta justitiæ. Rursus ex pariter paribus conflatur hic numerus, quippe bis bini bis conficiunt octonarium. Lud. Cælius Rhodigin. lib. XXII. cap. 13. MARCILIUS.

In te unum] Quid hoc loco significet, pluribus aperiam. Cum consulatum inissent M'. Aquilius, et C. Sempronius Tuditanus, seditiones de agris dividendis, quæ paulo post necem Tib. Gracchi, obitumque Ap. Claudii, qui una cum C. Graccho ad eorum distributionem triumviri fuerant designati, consederant, iterum vehementius excitatæ sunt, C. Graccho, C. Carbone, et M. Fulvio triumviris agros omnium Italicorum ex lege Tiberii severius dividentibus. Quam paritionem moleste ferentes omnes Latini nominis socii, ad P. Africanum universi confugiunt, eumque orant, ne se, miseris suis temporibus, deserat, aut injuria affici patiatur. Quorum voluntati non obsequi Scipio iniquum esse ratus, quod eorum præclara usus opera difficillimis in bellis fuisset, causam illorum studiose suscepit. Itaque cum ea de re in senatum venisset, legem quidem agrariam improbare non est ausus, ne forte populi voluntatem offenderet, eumque a se alienaret: verum cum de agrorum ex lege dividendorum difficultate dissereret, æquum sibi videri dixit, non a triumviris causas, qui suspecti facile esse possent iis, quorum res dividerentur: sed ab aliis cognosci. Ea de causa Tuditanus consul, judex lectus, cum causam aggressus rei difficultatem intueretur, oblata sibi Illyrici belli occasione, re infecta paludatus egressus est. Plebs autem cum Scipionem eum pro commodis sociorum contra sua pugnare animadverteret, cui bis ipsa consulatum ante tempus mandasset, et duo bella gravissima detulisset, ab eo vehementer alienata est. Quæ omnia C. Graccho, cæterisque, qui plebis partes adversus Scipionem susceperant, minime obscura cum essent, eum occasione data palam eo nomine criminabantur ad populum, quod agrariam ipse Tiberii legem abrogare contenderet. Quare eorum oratione incensa plebs in eum furorem adducta est, ut Scipionem hanc causam pro rostris agentem clamoribus et sibilis interpellaverit. Quibus gravius Scipio lacessitus, me hostium, inquit, vociferatio nunquam perturbavit, multo nunc minus adversa eorum hominum acclamatio, quibus Italiam scio novercam esse, non matrem. Cum autem operæ Gracchanæ sublato clamore tyrannum tollendum esse dicerent; Præclare patriæ oppugnatores, inquit, me ante de medio tollere cupiunt, quod neo, Scipione vivente, Romam interituram, nec, Roma intereunte, Scipionem victurum esse confidant. Itaque aut eodem die, aut certe non ita multo post cum M. Fulvius in eum acerbissime invectus esset, pro concione de periculo salutis suæ populum contestatus est, quod sibi pro patria laboranti parari ab improbis hominibus comperisset. Eodemque die cum in senatum venisset, eo dimisso domum reductus est ad vesperam a patribus conscriptis, a sociis, atque Latinis. Atque hic quidem pulcherrimus ultimus dies P. Scipioni illuxit. Nam

cum tabula apud se posita, in qua scripturus nocte videbatur ea, quæ ad populum postridie essent agenda, validus vespere cubitum discessisset, postridie mane mortuus in lectulo est inventus; ita tamen, ut illatæ vis non obscura quædam in faucibus signa insidcrent. Sunt, qui tradant veneno a Cornelia socru fuisse necatum, verita, ne Tiberii filii lex auctoritate ejus abrogaretur. Idque factum esse filia Sempronia ejusdem uxore adjuvante, vel fratrum ipsorum causa, quos vir suus Africanus causa reip. oppugnabat, vel diuturno, et inveterato odio, quo alter in alterum incensus erat. Fuerunt etiam, qui ejus necis causam in C. Gracchum, et C. Carbonem cæterosque inimicos Scipionis conferrent, ab iisque suffocatum fuisse dicerent. Illud quidem constare scribit Appianus, servos Scipionis in tormentis habitos dixisse, ab exteris eum quibusdam noctu domi latentibus oppressum interiisse, sed eorum nomina divulgare plebis gratia adhuc iratæ, et necis ejus non ignaræ nunquam ausos fuisse. Hæc ex Appiani lib. primo de Bellis civilibus, Plutarcho in Apophthegmatis, et in Gracchis, Epitome Liviana, Velleio libro II. Cicerone in Lælio, et lib. II. epistolarum ad Q. fratrem. Sigon.

Dictator remp. constituas oportet] Significat seditionem ob divisionem agrorum futuram tantam, ut ejus sedandæ causa, ut quondam, opus sit dictatore, et ipsum sine dubio dictum iri, nisi ante a propinquis sublatus per insidias fuerit. Idem.

Hic cum exclamasset] Lælius, qui una de Republica in his libris disputaverat, dolore perturbatus, exclamavit, et cæteri, Scævola, Fannius, Tubero, Manlius, Philus vehementius de tanta indignitate atque acerbitate ingemuerunt. Est autem principi fortique viro valde decorum, quod sequitur: pericula Scipionis a Scipione ipso narrantur, quorum auditione cæteri, qui adsunt, commoventur: ipse vero, ad quem pertinent, immotus, imperterritus, constansque permanet. Ramus.

Ne me e somno excitetis] Fingit se dormire, quia somnium recitat. Festiva admodum locutio est. Quasi dicat: Quid vos somnium ita movet, ut exclametis, et ingemiscatis, quasi res vera sit? Wolf. Somnium memineritis me, non historiam vobis narrare. Ramus.

Parum rebus] Est ni fallor, germana lectio. *Parum rebus*, scilicet concedite: hoc est, date aliquid temporis et otii rebus tam arduis cognoscendis. Lang. Legunt, *et pax sit rebus*, Vict. Man. Grut. Vides hunc locum interpolatum esse contra veterum codicum fidem, procul dubio a nostrorum sacrorum consortibus, qui sæpius audierant, *Pax vobiscum, pax huic domui.* Ciceronis manus fuit, *Quæso, inquit, ne me e somno excitetis. Pax. Verum audite cætera.* Hoc est, tacete, et desinite ingemiscere, et exclamare. Notum est vocula hac *pax* uti Græcos et Romanos, cum aut sibi, aut aliis silentium indicunt. Terent. Heaut. IV. 3. *Pax. Nihil amplius.* Plaut. Mil. Glorios. III. 1.

Pl. *Quam nominem?*
PA. *Glyceram.* PL. *nempe eandem, quæ dudum constituta est.* PA. *Pax, abi.*

Hæc mea de hoc loco sententia est. Sed quod in plerisque codicibus habetur *parum rebus*, quamvis nec hoc mihi probetur, malui retinere, cum Langio, Lambino, aliisque, quam pessime interpolatam, *et pax sit rebus*, quæ fuco sani coloris incauto lectori imponit. Græv. Ego vero levissima mutatione legerim, *et parumper audite cætera.* Veteres fortasse librarii pro *parumper* legerant PARUMREB. Unde natum sit *parum rebus*. Buher.

Cap. 3. *Concilia cætusque hominum, jure sociati, quæ civitates appellantur*] Recte adjicitur *jure sociati.* Nam et *servilis quondam et gladiatoria manus*, ut recte inquit Macrobius, *concilia cœtusque hominum fuerunt, sed non*

jure sociati: Illa autem sola est justa multitudo, cujus universitas in legum consentit obsequium. Atque hæc definitio a Platone ponitur in lib. de Repub. et ab Aristot. III. Polit. I. 2. et 4. Ger. Vossius.

Hinc profecti] Cicero cum Platone sentiens dicit omnes eos, qui rebuspublicis bene præfuerint, post suum ex hac vita discessum, recta in cœlum, veluti domicilium germanamque suam patriam, redire, ex qua in hoc miserum orbis theatrum, tanquam in exilium, missi sunt. Est siquidem animorum origo cœlestis (secundum eos) non ex terra, quos procreator ille mundi (ut dixit Cicero) e sua mente et divinitate genuit. Hoc ipsum et V. Tusc. Quæst. sensisse videtur, dum ait: *Humanus animus decerptus ex mente divina*, &c. Vide et librum de Senectute, et de Amicitia. Idem.

Viveretne ipse pater Paulus] Satis constat P. Scipionem hunc nostrum L. Æmilii Pauli, qui Persem, Macedoniæ regem, devicit, natura fuisse filium; adoptione vero P. Scipionis, qui fuit Africani superioris filius. Sigon.

Ex corporum vinculis, tanquam e carcere, evolaverunt] Hæc sunt plane Socratica. Ipse Socrates in Phædone Platonis, bibiturus cicutam, inter alia, quæ de anima præsentibus discipulis disputavit, illud adduxit, corpus animi esse carcerem: agere in eo animum dixit non sponte, sed vi quadam: non esse locum illum animi naturalem, sed puriorem, videlicet cœlum: mortem solutionem esse a corpore, et reditum ad cœlestia. Olivarius.

Vestra vero quæ dicitur vita, mors est] Illud ipsum quasi ad verbum refert in Platonis Gorgia Socrates: *Quis*, inquit, *novit, utrum vivere quidem mori sit, mori autem vivere, et nos forte revera mortui sumus. Audivi jam equidem a sapiente quodam, nos nunc mortuos esse, corpusque nostrum sepulcrum esse nobis.* G. Vossius.

Quem in hoc templo medium vides] Communis est veterum sententia in totius universi centro tellurem nostram positam esse, ita ut in medio sit omnium stellarum et planetarum. (Vide II. de Nat. D.) Sed hæc sententia philosophis ætatis nostræ accuratioribus dudum est explosa. Non magis in universi medio est, quam Saturnus aut stella quævis fixa. Græv.

Quæ globosæ] Stellas globosas esse Aristoteles existimat, tum quia nusquam progrediantur, nec aliam idcirco formam requirant: tum quia verisimile sit Lunæ, quæ stella item sit, reliquas stellas forma similes esse. Stoici eadem ratione tributam sideribus istam formam crediderunt, ut 2. de Natura Deorum Cicero, qua mundo universo: quia nil sit ea figura pulchrius, quæ sola "omnes "alias figuras complexa contineat, "quæque nil asperitatis habeat, nil "offensionis, nil incisum angulis, nil "anfractibus, nil eminens, nil lacu- "nosum." De N. D. II. 18. Ramus.

Divinis animatæ mentibus] Divinis animatas esse mentibus stellas ex Platonico dogmate est: minores siquidem sunt illi dii, quos fingit in Timæo Plato a summo Deo factos, et immortalitate donatos. Sed vide Macrobium Idem.

Celeritate mirabili] Quanta celeritate circulos suos dii illi conficiant, solis cursus indicare potest, qui eum viginti quatuor horis 360. gradus orbis percurrat singulis diebus, si uni gradui 60. millia passuum duntaxat (ut terræ gradibus attribui solent) attribuas, semel et vicies supra sexcentena senaque millia passuum singulis diebus conficiet. Ramus.

Ut a Graiis accepistis] Heroice et ampliore sono *Graios* dicere Scipio, quam Græcos maluit. A *Graiis* vero acceptum esse ait nomen orbis lactei: Græcis enim est γαλαξίας, aut γαλάξιος κύκλος. Unde autem ille in orbe hoc quasi candor? Poetæ commenti sunt effuso Junonis lacte candidum esse. Democritus censuit candorem illum esse συναυγασμὸν plurimarum stellarum

minutissimarum, *quæ in orbe illo densatæ sint*. Marcil. Democriti sententiam sic expressit Manilius lib. I. 752.

> *An major densa stellarum turba corona*
> *Contexit flammas, et crasso lumine candet,*
> *Et fulgore nitet collato clarior orbis?*

Quod Democritus veteresque conjectura sagaciter sunt assecuti, hoc nostro tempore telescopia sic detexerunt, ut doctis omnem scrupulum eripuerint. Græv.

Luce lucebat aliena] Lunam significat, lucem a sole mutuantem. Man.

Cap. 4. *Novem tibi orbibus, vel potius globis*] Novem orbes aut globos numerat Cicero, Aristoteles octo. Ratio hujusce differentiæ illa est, quod Cicero terræ globum adnumerat: magis philosophice scienterque Aristoteli non venit in hunc numerum terra, quia instar puncti sive centri est. Dixit autem Cicero, *Vel potius globis*, quia terra non est orbis, sive cava, sed globus, sive solida, et stellæ sunt globi Aristoteli *lib.* II. *de cælo cap.* 8. *et* 11. Marcil.

Quorum unus est cælestis, extimus, &c.] Orbi nono apposuit quinque proprias quasi notas. Prima, quod cælestis est, sive cælatus stellis: itaque lib. II. de Divinatione, hunc orbem proprie *cælum* vocavit. Altera nota est, quod ille orbis *extimus*, sive extremus. Sic Manilius, *lib.* I. agens de inerrantibus stellis, *Altius*, inquit, *his nihil est*. Tertia nota est, quod *reliquos omnes complectitur*. Apuleius, libro de Mundo: *Complexu illius orbis, qui inerrabilis dicitur, stellarum errantium orbes continentur*. Quarta nota, *quod summus Deus*. Sic Cleanthes apud Ciceronem lib. I. de Nat. Deor. *Æthera* dixit *certissimum esse Deum*. Quinta nota, quod *cæteros arcet et continet*. Coercet, ne diffluant et vagentur: *continet* in officio conversionis. Idem.

Contrario motu, atque cælum] Quam cœlestis globus extimus. *Atque* pro *quam*. Cælum hic est octava sphæra, cujus motui, solis et reliquorum erronum motus contrarius est. Vinet.

Quam in terris Saturniam nominant] Signanter dixisse videtur, *in terris*, quasi aliter nominetur a diis in cælo. Sic infra: *Quem Martem* dicitis. Et supra: *Quæ sidera et stellas vocatis*. Ex Homerica nempe ac veteris sapientiæ disciplina, alius hominum, alius deorum sermo. Marcil. Saturnia stella gelidæ ac rigentis naturæ, unde senum sidus existimatum, qui morosi idcirco sunt ac difficiles: orbem suum conficit 29. annis, diebus 162. horis 12. ob quam motus tarditatem Saturnus, ratione quadam physica, appellatus est, *quod saturetur annis*, ut ait Cicero de Nat. Deorum, lib. II. cap. 25. quodque *consumat ætas temporum spatia, annisque præteritis insaturabiliter expleatur*. Ramus.

Prosperus] Sic habent omnes libri veteres, atque ita legendum. Sic enim loquebantur veteres. Immo vero usitatius est *prosperus*, quam *prosper:* et sic legit Priscianus, lib. 6. Vinetus. Ipsum Jovis nomen a mansueta clementique syderis natura formatum est. Jupiter enim, id est, *juvans pater*, ait Cicero, de Nat. D. II. 25. alligasse Saturnum in fabulis dicitur, quia immoderata Saturni frigora temperat. Hinc illud Persii:

> *Saturnumque gravem nostro Jove frangimus una.*

Cursum suum absolvit 11. annis, diebus 313. horis 20. Ramus.

Quem Martem dicitis] Romani. Græcis etiam Ἄρης, id est, Mars, et Ἡρακλῆς, Hercules, ut apud Plinium, lib. II. cap. 8. et πυρόεις, ut apud Plut. II. de Placitis, ab igne, qui πῦρ appellatur. Binis fere annis orbem suum conficit. Vinet.

Mens mundi] Mens ad multa traducitur pro vario divinitatis explicandæ modo. Hic late sumitur pro summa vi, non tamen, opinor, pro summo et maximo numine; ut sumitur a Masinissa initio hujus opusculi. Facc.

Et temperatio] Quod cælum et terram suo calore temperat. Vinet. Legendum, *mens mundi et temperator*,

non, ut vulgo, *mens mundi et temperatio*, LAMB. Voluit Tullius oratorie *temperationem* dicere pro *temperatore* metonymice, ut cum mentis nomine magis conveniret. MARCIL.

Hunc ut comites consequuntur, alter Veneris, alter Mercurii cursus] Veneris et Mercurii stellæ cursum habent solis celeritati parem. Anno enim uno fere ambitum zodiaci conficiunt. Adhæc a sole tum subsequentes, tum antecedentes, non longe separantur, tanquam si jussæ sint eum observare, comitari, deducere, quocunque eat. Legimus namque apud Ciceronem lib. II. de Nat. Deorum, Venerem a Sole non discedere longius duorum signorum intervallo, quæ est pars sexta ambitus cœli: Mercurium vero non remotius uno signo, quæ pars est duodecima ejusdem circuli. VINETUS.

Quæ est media] In mundi medio et centro, quæ et centrum ipsum, et mundi medium punctum, ut Cleomedes, Plinius, Ptolemæus et alii confirmant. VINETUS. Hæc tamen sententia jam explosa est ab accuratioribus Philosophis et Mathematicis, nec magis terra in medio est universi seu mundi, quam sol, aut luna, aut alius erro: ut dictum est supra. GRÆV.

Neque movetur] Fuerunt quondam Philosophi, et nostris temporibus Nicolaus Copernicus, qui confirmarent eam moveri. Vide in Lucullo, cap. 39. quæ fuerit Hicetæ Syracusii opinio. VINETUS.

Et in eam feruntur omnia nutu suo pondera] Tusculana I. cap. 17. *Eam porro naturam esse quatuor omnia gignentium corporum, ut quasi partita habeant inter se, et divisa momenta: ut terrena et humida suopte nutu, et suo pondere, ad pares angulos in terram et in mare ferantur: reliquæ duæ partes, una ignea, altera animalis, ut illæ superiores in medium locum mundi gravitate ferantur, et pondere, sic hæ rursum rectis lineis in cælestem locum subvolent, sive ipsa natura superiora appetente, sive quod a gravioribus leviora natura repellantur.* VINET. Male quidam legunt, *suo motu pondera. Suo nutu* est sua sponte et quasi natura. Cic. II. de Nat. Deor. *Suis nutibus in se globata terra.* Et in loco, quem Vinetus attulit ex prima Tusculana, cap. 17. *Ut terrena et humida suopte nutu et suo pondere ad pares angulos in terram et in mare feruntur.* GRÆV.

Cap. 5. *Tantus et tam dulcis sonus*?] Hanc Pythagoræ fabellam de musica mundana, Cicero lib. III. de Nat. Deor. risit in transitu, et accepit, ut fabellam accipi dignum est. In hoc autem Scipionis Somnio eam fusius enarravit. In somnio quippe quidvis licet, ac prope etiam quasi decorum est. MARCIL.

Intervallis conjunctus imparibus] Intervallum sonorum definitur Severino Boetio, *soni acuti gravisque distantia.* Veluti *ut* et *re*, verbi gratia, duo sunt soni, seu, quomodo vulgo appellantur, voces: *ut* gravis, *re* acuta: *ut* velut inferior sonus, *re* superior. Sic *ut* et *la* soni duo: *ut* sicut diximus, gravis, *la* acutus, et idem *la* etiam acutior quam *re*, ita ut *re* comparatus cum *ut* sit acutus et superior; cum *la* vero gravis et inferior. Quod igitur interest inter *ut* et *re* inferam et superam vocem, tanquam inter duos scalarum gradus, id intervallum appellatur. Eodem modo inter *ut* et *la* accipiendum intervallum, sed hoc longe majus, quam est inter *ut* et *re*. Quia *la*, ut diximus, multo acutius sonat quam *re*. Sic fiunt intervallorum multa et varia genera, veluti, τόνος, ἡμιτόνιον, διτόνον, διὰ τεσσάρων, διὰ πέντε, διὰ πασῶν, et alia. *Tonus* id intervallum dicitur, quod est inter *ut* et *re*, inter *re* et *mi*, *fa* et *sol*, *sol* et *la*. *Hemitonium* dimidium toni significat, id agnoscunt nostri cantores inter *mi* et *fa*: majus nusquam inter prædictos sex sonos. *Trithemitonium*, tria hemitonia sunt, hoc est, tonus et hemitonium, quod est intervallum sonorum *re* et *fa*. Est enim tonus *re* et *mi*, hemitonium minus inter *mi* et *fa*. Eodem intervallo trithemitonio distat *mi* et *sol*. *Ditonium*, duo toni,

quot sunt inter *ut* et *mi*, ac inter *fa* et *la*. *Dia tessaron* duo toni, et hemitonium minus, quod est intervallum sonorum *ut* et *fa*, *re* et *sol*, *mi* et *la*. Invenit nomen a quatuor sonorum numero, vulgo *quartam* appellant. *Dia pente* tres toni cum eodem hemitonio minore, intervallum sonorum, *ut* et *sol*, *re* et *la*. *Quintam* nunc cantores dicunt. *Dia pason* tanquam ex *dia tessaron*, et *dia pente* fiat, quinque toni sunt, et duo hemitonia minora, quæ tonum non complent: aut sex omnino integri toni, quemadmodum contra Pythagoreos disputavit Aristoxenus Musicus insignis. Soni æquales, et quæ unisonæ voces vulgo appellantur, quanquam consonant et concordant, tamen consonantia non solet ea appellari, sed definitur consonantia (ita Græcorum συμφωνίαν dicit Severus) vocum, sive sonorum inæqualium inter se junctorum dulcis concentus. Sonorum autem inæqualitas varia est, postquam sonorum multiplicia sunt intervalla, nec dispares soni quilibet eum concentum efficere possunt: sed certa quædam sunt intervalla, quibus efficiatur συμφωνία, ut quæ διὰ τεσσάρων, διὰ πέντε, et διὰ πασῶν dicta sunt. Pythagoras statuebat orbes cælestes consonare et concinere, et intervallis Musicis intervalla sphærarum convenire ostendebat. A terra ad lunam putabat esse tonum, a Mercurio ad Venerem hemitonium. Vide Plin. II. et 22. Censorin. de Die natali. c. 13. Orbium multorum qui eum sonum edunt, multa sunt intervalla, eaque inæqualia: quam autem rationem habent inter se orbium intervalla, eandem inter se quoque retinere sonorum, quos ipsi edunt, intervalla volebat Pythagoras. Sonorum intervalla sunt ubi soni sunt impares, hoc est graves alii, alii acuti, quæ sonorum inæqualitas constituit consonantiam. Vinet. Non solum Pythagoræ, sed et Platonis opinio erat, circumvolutione orbium cælestium concitatissima admirandum excitari concentum. Ob quem Dorilaus apud Censorin. c. 13. mundum vocabat *organum Dei*, et Varro *Divûm lyram* in Sat. περὶ λύρας:

> *Quam mobilem Divûm lyram Sol ἁρμογῆ*
> *Quadam gubernans motibus diis veget.*

Solem enim censebant in medio collocatum motus moderari sydereos, quæ et Orphei fuit sententia in Orphicis hym. in Apoll. Sed hujusmodi harmoniam refellit Aristoteles II. de cælo, cap. 9. Immo ne illud quidem an complures reapse sint orbes cælestes, controversia caret. G. Vossius, II. de Idololat. Orig. 37.

Pro rata portione] Vetus: *pro partium ratione distinctis*. Bene. Lang. Cicero, hoc puto, voluit dicere, inæqualia illa intervalla distincta esse, et definita certa quadam ratione, et proportione, unde sonorum fiat convenientia et concentus. Non enim sunt concentui apta quælibet intervalla, sed ex multis paucula quædam. Vinet. *Pro rata, &c.* hoc est, pro fixa et immutabili lege et natura intervallorum. Græv.

Impulsu et motu ipsorum orbium] Plato X. de rep. singulis orbibus singulas Sirenas insidere dixit, quæ cum suis orbibus simul versentur, et canant. Alii Sirenas istas non audiverunt, neque volunt orbium esse istum sonitum, sed astrorum ipsorum, quæ in orbibus infixa convertuntur. Vide Aristot. II. de cælo c. 9. Plin. II. Hist. Nat. 3. Vinet.

Acuta cum gravibus temperans] Fit enim concentus ex dissonis. Ovidius Metamorph. l. X. de Orpheo:

> *Et sentit varios, quamvis diversa sonarent,*
> *Concordare modos.* Marcil.

Varios æquabiliter concentus efficit] Varias consonantias dia tessaron, dia pente, dia pason in orbium harmonia Pythagoras audiebat. Impares autem soni cum ita conveniunt, et concordant, ex ea inæqualitate æquabilitas quædam fieri videtur. Vinet.

Nec enim silentio tanti motus] Sic ratiocinabantur Pythagorei. Quæ hic apud nos moventur, ut lapis, funda, sagitta arcu emissa, sonitum

edunt, eumque tanto majorem, quanto illa fuerint majora, et majore vi impellantur. Atque ætherei orbes longe maximi sunt, et inenarrabili celeritate convertuntur. Necesse igitur est, ut motus illi immensum efficiant sonum. Ita Pythagorei, ex quibus esset quærendum, quidnam definiant sonum. Si enim sonus est, qui non fit aliter, quam ex corporum collisione, et aere percusso, sicut vulgo definitur, vix poterit illic esse sonus, ubi nulla collisio, nulla aeris percussio. Sed lege quæ contra hoc Pythagoreum commentum disputat Aristot. II. de cælo. Idem.

Ut extrema ex altera parte] Ejusdem nervi extrema eodem modo percussa, non audio dispares sonos edere: sed in musicis instrumentis soni hoc modo solent disponi, ut altera ex parte graves, ex altera acuti temperentur, sicut natura videtur constituisse, gradatim sursum versus adscendentes a gravissimo ad acutissimum. Idem.

Summus ille cæli stelliferi cursus] Octava sphæra, in qua fixæ sunt stellæ, cunctæ præter septem errantes appellatas, cujus conversio et motus est velocior, quo ab oriente ad occidentem illam fieri videmus, (est enim hic motus, ex quo suos sonos et Musicos concentus Pythagorei eliciebant, altero huic contrario, ob suam scilicet lentitudinem nihil resonante,) acuto, inquit, illa sono, excitato et penetrantiore movetur: gravissimo vero lentior lunæ cursus et terræ proximus. Servius tamen cum lyræ Orphei septem discrimina vocum interpretatur in VI. Æn. vers. 645. videtur orbi lunæ sonitum adjicere. Porro voces et soni sequuntur suorum instrumentorum modum. Quarum chordarum par est longitudo, crassitudo, intentio, percussio, et motus, earum et soni pares sunt. Nervus vero longior, crassior, et leniore etiam modo percussus, graviorem emittit sonum. In gutturibus quoque ac tibiis varia magnitudo, cavum, spiritus, inæquabiles reddit voces et sonitus. Hæc cum in rebus notassent isti cælestium sonorum artifices, dubitarunt utri extremorum acutum sonum assignarent, utri gravem. Quod lunaris globus minor sit, octava sphæra longe major, acutior sonus lunæ deberi videtur, ut breviori et tenuiori nervo, aut tibiæ: gravior stellis fixis, tanquam majori et crassiori chordæ. At contra longe celerius sese versat cæli stelliferi cursus, quam lunaris. Contemplaris namque hodie lunam cum aliqua ex stellis fixis simul occidere, quam cras aut perendie post illam eandem stellam non exiguo temporis spatio occidere admiraberis. Præterea si ponamus etiam sphæras lunæ, et stellarum fixarum, pari temporis spatio conversiones suas absolvere, profecto par esse videtur, ut major orbis majore vi et celerius moveatur. Motus autem celerior, sicut percussio et flatus vehementior acutiorem excitat sonum. Acutius ergo sonat supremum cælum, gravius lunare infimum. Sic Ciceronem ab aliis hic dissentire meminit Severinus lib. I. de Musica. Idem.

Nam terra, nona, immobilis] Quanquam extrema est ex ea parte, qua graves sonos constituimus, tamen nemini mirum sit, inquit, quod lunari orbi gravissimum sonum damus. Terra enim soni est expers; quæ immobilis manet apud ipsum universitatis centrum, ut etiam ante dictum est, aliis orbibus sonitum non aliunde habentibus, quam ex suo motu. Vinet. Utrumque falsum esse, terram non moveri, eamque in centro universitatis sitam, omnes eruditi Mathematici hoc seculo, vi veri victi, testantur et credunt. Græv.

Eadem vis est duorum] Post hæc verba Manutius, Lambinus, et Gruterus, addunt, *Mercurii et Veneris*: quæ non agnoscit Victorius, neque Langius, neque vero Eulogius, qui hunc locum sic explicat. *Cum ex alia parte acutum personet mundus, ex alia grave, temperantur hæc mediis, et ita gradatim universa miscentur, ut sit in cæteris vis duorum, acuti scilicet atque*

gravis: ut acuto Zodiacus circulus, gravi lunaris, illudque dicatur νήτη, hoc ὑπάτη, sono Dorio moveatur. Et nihil certius. Quid enim absurdius, quam hic inserere *Mercurii et Veneris?* in quibus eadem vis est scilicet sonorum acuti et gravis. Octo, inquit, sunt sphæræ, quæ moventur et sonitum edunt: nona est terra, quæ nec movetur, nec sonitum edit. Sed illæ octo sphæræ, quæ moventur, in quibus est vis duorum horum sonorum, acuti et gravis, efficiunt horum sonorum temperata ratione illam mundi harmoniam. Vix credas quomodo viri doctissimi se torserint, cum *duorum* retulerint non ad sonos, sed ad cursus planetarum. Idem.

Quod docti homines nervis imitari atque cantibus] Intelligi vult ex musica cælesti profectam esse humanam; eamque esse duplicem; unam videlicet *nervorum*, alteram vocum, sive *cantionem*. *Doctos homines* intelligi vult poetas, ut Orpheum, et philosophos, ut Pythagoram. Hic enim fertur quasi auctor et inventor musicæ. Adde Linum, Amphionem, &c. Marcil.

Hoc sonitu oppletæ aures hominum obsurduerunt] Responsio est ad objectionem. Quoniam videbatur absurdum, si sonarent sphæræ, nos eam vocem non exaudire; dicebant Pythagorei, jam inde a primo ortu nostro sonum adesse perpetuum, qui ita obsideat ac oppleat aures nostras, ut ipsum a silentio internoscere non possimus: Vox enim et silentium inter se comparata dignoscuntur, discernunturque maxime, sicut motus et quies, candor et nigror; sed qui perpetuum audit strepitum, quid de silentio judicare potest? πυθαγορίζων itaque hoc loco Africanus dicit, primum aures nostras hoc sono oppletas ita obsurduisse, ut de eo judicare nihil possent, deinde eum sonum tam magnum esse, ut aures nostræ, angustæ scilicet hæ nimium, eum capere nequeant. Sed vide contra hæc disputantem Aristotelem II. de cælo. Vinet.

Catadupa] Vide Plin. V. Hist. Nat. 9. Sunt ad ultimum cataractem: ab iis Nilus incipit et Ægyptus. Æthiopes etiam ad catadupa colentes dicuntur catadupi. Vide Herodot. in Euterpe, et Senec. IV. Nat. Quæst. cap. 2. Græv.

Cap. 6. *Raris et angustis in locis*] Sic persuasum olim Geographis, nusquam habitari terras nisi in zonis duabus temperatis. Sed hodie ex navigationibus compertum est, omnibus in locis terram habitari. Marcil.

Hosque qui incolunt terram] Antiqui sibi persuaserunt terram aqua in quatuor partes hoc modo divisam esse. Mare per Septentrionem, Orientem, Austrum, Occidentem, cingere terram, et eam in duas dividere, superam nostram et inferam. Rursus idem mare, utrasque has terras, in alias totidem secare, ab ortu et occasu illas ingressum, secundum zonæ torridæ tractum. Ad hunc modum illi terram dividebant quadrifariam, in duas superas, et inferas totidem, septentrionales duas, et totidem Australes: existimabantque, quemadmodum Hyginus meminit, Trajani ille, non Octaviani Augusti libertus, hominibus ultra quartam partem orbis terræ, in qua nati sunt, ire non permitti. Corpora humana, rigorem extremarum zonarum ferre non posse, earumque regionum maria gelu perpetuo manere durata, ut navigiis ea penetrari nequeant. In medio autem orbis terræ, ardere omnia, et eum medium pelago aperiri; cujus navigationem etiam si æstus permittat, nemo tentare audeat propter vastitatem. Physicorum namque quorundam opinio fuit, sicut scribit Cleomedes, partem illius magni maris maximum, zonæ torridæ subjici, alendorum siderum gratia. Quæ denique maria, per ortum et occasum temperatas zonas disterminant, ea adeo lata, et sæva esse, ac ut ipse Cleomedis verbo utar, θηριώδη, id est, multarum et immanium belluarum capacia, ut ingredo nemo ausit. Sed toto illi cælo errabant, ut tempora nostra

compererunt. Primum enim nullum mare per ortum et occasum, nullum per zonam calidam, ita dividit terram quemadmodum opinabantur. Deinde, quæ maria, ubi ubi sunt, nisi forte sub ipsis mundi verticibus frigore perpetuo concreta maneant, omnia sunt navigabilia. Strabo Amasensis, nobilis ille Geographus, Herodoto, Heraclidi Pontico, Posidonio, Cornelio Nepoti, non credidit, qui scripserant quosdam ab India ad Gades, et usque in Germaniæ littora navigasse. At eo itinere Lusitani anno Christi millesimo quadringentesimo et nonagesimo septimo, navigare in Indiam ingressi, exinde illuc quotannis navigant: desperatam illam Macrobio zonam invenerunt, et mediam habitari compererunt, sicut Juba, idem Posidonius, Polybius, et quidam alii ante Ptolemæum ostenderant: quorum argumenta et rationes fere repetunt Strabo et Cleomedes. Refertam namque zonam torridam suis hominibus invenerunt: nostrosque temperato cælo natos, istis ignibus tandem resistere sinit. Sunt enim jam in ea infinitæ Hispanorum coloniæ, ut quod Scythæ gens septentrionibus vicina, de generis vetustate cum Ægyptiis contendentes, dicebant apud Trogum, id ita plane haberе conspiciatur: Naturam, quæ calore et "frigore regiones distinxisset, "ad locorum patientiam homines "quoque et alia animalia generasse." VINETUS.

Aversos] *Versos*. VICT. *transversos*. LAMB. *Obliquos* Græci vocant περιοίκους, qui circum quasi habitare dicuntur. Habent enim nobiscum eundem parallelum et meridianum. *Aversi* Græcis sunt ἄντοικοι, aliter ἄντωμοι, quasi oppositis humeris: siti enim sunt sub oppositis parallelis, ac diversos respiciunt polos. *Adversi* sunt ἀντίποδες, qui et ἀντίχθονες dicuntur, qui sunt sub Meridianis oppositis, et sub adversis parallelis. De Periœcis et Antipodibus quæstio fuit olim, sintne ulli. Vide Plin. II. 65. Cum Cicerone et Plinio Cleomedes, Strabo, Mela, Solinus, sentiunt Antipodas esse, et hodie patefactis omnibus terræ latebris apertisque in Æthiopiam ultimam, in Indiam, in novas terras, navigationibus obliquos, aversos, adversos populos oculis ipsis judicibus assecuti sumus. Augustinus in Civitate Dei fabulas incredibiles esse existimat, quæ de Antipodibus afferuntur. Lactantius idiotas ridiculos facit, qui credant esse homines, quorum vestigia sint superiora, quam capita. E recentioribus Galeotus in hanc eandem sententiam adductus est. Cujus erroris causa esse potuit, quod inferius hemisphærium terræ totum aquis occupatum crederent: ideoque nullos Periœcos, nullos Antipodas esse. Verum premimur, atque violenter urgemur a nautis et mercatoribus, ab hisque in rem præsentem deducimur, ut illis potius licet imperitis et ignaris litterarum, quam doctissimis illis, gravissimisque auctoribus assentiamur: neque tantum credamus esse quosdam obliquos nobis, aversos quosdam, quosdam penitus adversos, ut Cicero scribit: sed Ciceroni ipsi repugnemus, non interruptos ita eos esse, quin ab aliis ad alios permulta tum navigiis, tum vehiculis exportari possint: nec ab his tantum laudem et honorem, cum de nostris rebus gestis loquentur, sed etiam fructus et utilitates plurimarum, maximarumque rerum singulares expectare possimus. Quod autem existimarit Cicero, hic interruptos esse, qui adversi essent, effecit quædam vetus opinio ex fabulosis Atlantici maris æstibus concepta: crediderunt enim veteres, cum mare mediterraneum trajecissent, uberiora illa immensi pelagi æquora navigabilia non esse. Et apud Platonem in Timæo, Ægyptius quidam sacerdos affirmat mare illud quondam terram continentem fuisse, in eaque reges admirabilis potentiæ fuisse: sed ingenti terræ motu in aquas mariaque esse demersam. Quæ causa fuerit, ut propter relictum absorptæ terræ limum, mare illud innavigabile redderetur. RAMUS.

Quibusdam redimitam et circumdatam cingulis:] Quinque zonas dicit, de quibus Ovid. Metam. I. 46. et Virg. Georg. I. 234. GRÆV.

Inter se diversos] Circulum nimirum Arcticum et Antarcticum. ID.

Cæli verticibus] Græcis poli dicuntur, puncta circa quæ cælum convertitur ab oriente ad occidentem. Virgilius quoque vertices dixit II. Georg. et Cic. in Arato:

Extremusque adeo duplici de cardine vertex
Dicitur esse polus. VINETUS.

Medium autem illum et maximum] Medius vero cingulus ille, et maximus intra tropicos quadraginta octo partes patet, ac trecentas sexaginta in longum porrectus est, si totum circulum metiare. Nullus autem est ardor, nullus solis æstus, quin singularis temperies vel in medio ejus loco, ex æqualitate dierum, noctiumque. Illic enim cum dies æquales sint noctibus, necesse est diurnos calores nocturnis frigoribus temperari: et terræ illæ cognitæ magnis argumentis suam temperiem demonstrant. Celebris et locuples insula est Taprobane, quam tamen satis constat æquatori subnixam esse, quales multæ sunt regiones in Americis terris, hoc seculo repertæ navigationibus Hispanorum. RAMUS. Vide Plinium, Hist. Nat. lib. II. cap. 68. Quod autem sit omnium cingulorum maximus hic, ex zonarum pictura et descriptione cognosces. VINETUS.

Hic autem alter subjectus Aquiloni] Zona septentrionalis temperata. Septentrio est ursa, sidus, et ventus, et unus ex quatuor cæli cardinibus, et polorum alter. Inter hunc septentrionem et eum locum, unde Sol æstate oritur, cum est solstitium, ponit Plinius (lib. II. cap. 47.) Aquilonem ventum, et cæli regionem, unde hic stat, et Gellius (lib. II. cap. 22.) Aquilonem ab ipsa æstiva et solstitiali orientis meta venire dicit. Hæc autem loca quoniam Septentrioni vicina sunt, Aquilo pro septentrione crebro usurpatur. VINETUS.

Lateribus latior] Veteres Græci terræ longitudinem, ab uno mundi vertice ad alterum, latitudinem ab ortu ad occasum definiebant, ut Aristoteles 2. de cælo. Quam sententiam hic Cicero sequitur, cum latitudinem ab ortu ad occasum, longitudinem intra polos interpretatur. Zona autem nostra intra vertices et polos est angusta propter interjectum mare mediterraneum: tum quia per se sex gradibus minor sit media: *lateribus latior*, centum octoginta gradus cultæ et habitatæ hujus zonæ Ptolemæus in Geographia monstravit, et multo plus hoc seculo cognitum est. Plinius lib. II. habitatæ terræ longitudinem maximam ab ortu ad occasum, hoc est ab India ad Herculis columnas octuagies quinquies centena septuaginta millia passuum. Latitudinem autem a Meridiano situ ad septentrionem dimidio fere minorem colligit quinquagies quater centena sexaginta duo millia. RAMUS. Accipitur latitudo etiam pro spatio ab ortu in occasum; longitudo vero a polo ad polum. Aristot. II. de cælo cap. 2. λέγω δὲ μῆκος αὐτοῦ τὸ κατὰ τοὺς πόλους διάστημα. Et sane putabant illi longitudinem semper esse, quæ sit inter vertices mundi. Latera igitur vocabant partes inter ortum et occasum sibi oppositas. Et sic Cicero hoc loco accepit. Hinc factum est ut dextras mundi partes plurimi ad orientem collocarint, sinistras vero ad occasum. ISAACUS VOSSIUS.

Atlanticum] Atlas Mauritaniæ in Africa et mons, et rex fuit. Hic propter Astronomiam a se inventam, ille propter altitudinem stellifer vocatur. Virgilius sexto Æneidos,

Jacet extra sidera tellus,
Extra anni solisque vias, ubi cœlifer Atlas, &c.

Ab eo igitur monte, quem alluit, mare dicitur Atlanticum. RAMUS.

Magnum] Μεγάλην θάλατταν etiam Græci, ut Cleomedes lib. I. quod terram circumdat, unde oriri videntur minora illa maria, quæ intrant terram

veluti quod internum frequentius Latinis, quam mediterraneum vocatur. IDEM.

Caucasum] Caucasus Tauri montis pars excelsissima. Plinius l. V. c. 27. Taurum ubi se quoque exuperat, Caucasum vocari. Montem illum P. Scipionis temporibus imperii limitem factum esse inter populum Romanum, et Antiochum magnum scripsit Tullius, in Oratione pro Rege Dejotaro. MARCILIUS.

Cap. 7. *Propter eluviones exustionesque terrarum*] Diserta est apud Platonis Timæum senis sacerdotis Ægyptii narratio, Græcos ob vetustatis ignorationem pueros appellantis, *O Solon, Solon, Græci pueri semper estis, nec quisquam e Græcia senex.* Cur istud diceret, percontante Solone, respondisse sacerdotem: Quia juvenis semper vobis est animus, in quo nulla est ex vetustatis commemoratione prisca opinio, nulla cana scientia. Quod ideo vobis contingit, quia multa et varia hominum exitia fuerunt, eruntque: maxima quidem aut ignis conflagratione, aut aquæ inundationibus pervenire necesse est; minora vero aliis quibuslibet calamitatibus fieri. Nam quod apud vos fertur, Phaethontem quondam solis filium currus ascendisse paternos, nec patris aurigatione servata exussisse terrena, ipsumque flammis cælestibus conflagrasse, quamvis fabulosum videatur, verum quodammodo esse putandum est. Fit enim longo temporis intervallo cælestis circuitus permutatio quædam, quam inflammationis vastitas necessario sequitur. Tunc ii qui edita et arida incolunt loca, magis pereunt, quam mari, fluviisque vicini. Nobis porro Nilus cum in plerisque salutaris est, tum hujusmodi a nobis arcet exitium. Quando vero dii aquarum colluvione terræ sordes diluunt, pastores ovium, atque bubulci, qui juga montium habitant, periculum illud evadunt: vestræ autem civitates in planitie sitæ, impetu fluminum ad maria rapiuntur. Sed in hac nostra regione, neque tunc, neque alias unquam aqua in agros superne descendit: contra vero sursum e terræ visceribus scaturit. Quam ob rem antiquissimarum rerum apud nos monumenta servantur. Proinde ubicunque nec imbrium tempestas nimia, nec incendium ingens contingit, licet alias pauciores, alias plures, semper tamen homines sunt. Quæcunque vero a nostris, sive a vestris, sive aliis nationibus gesta sunt memoratu digna, modo ad aures nostrorum pervenerint, nostris in templis descripta servantur: apud vos et alias gentes res gestæ nuper litteris monumentisque traduntur, sed certis temporum curriculis eluvies immissa cælitus omnia populatur: ideo qui succedunt, et litteris et musis orbati sunt. Quo fit, ut quasi juvenes iterum sitis, et rudes præteritarum rerum omnium prorsus ignari. Hæc Ficinus ita convertit. RAMUS.

Homines enim] Duplex annorum vertentium genus facit; unum populare, alterum solis cognitum philosophis. Populariter annum vertentem esse annum solarem, sive ex conversione solis: vere autem vertentem esse ex totius mundi sive cæli conversione. MARCILIUS.

Populariter] Joculariter. LAMB.

Vere vertens annus] Plene sive perfecte versus. Censorinus *De die natal.* c. 18. hunc ait ab Aristotele *annum maximum* appellari potius quam magnum. Et annus solis dicitur quoque interdum *magnus*, sed comparatione ad Lunarem. Virg.

Interea magnum sol circumvolvitur annum.
MARCILIUS.

Ut olim] Petit principium magni anni a morte Romuli, sed peti potest a puncto quolibet. FACC.

Hujus quidem anni nondum vicesimam partem] Ab excessu Romuli ad consulatum M'. Manilii, quo tempore somniasse fingitur hæc Scipio, anni sunt fere DLVII. Hi sumpti vicies anni essent undecies mille CCCXL. qui anni magni numerus plenus non est. Ideoque nunc Tullius dixit necdum

vicesimam partem esse anni hujusce magni conversam. Idem. Partem exiguam et certam ponit pro incerta. Nihil enim de spatio tam longo definitum a Philosophis est. Facc.

Desperaveris] Recentiores, *speraveris*, contra codices calamo depictos, editionesque priscas. Gruter.

In quo omnia sunt magnis et præstantibus viris] In quo loco et cælo, in qua re, præclara et excellentia ingenia habent et reponunt omnes spes suas, eo solum spectant, ad eum solum finem adspirant. Vinet.

Deum te igitur scito esse] Hominem Stoici definiebant *animal rationale mortale*, Deum *animal rationale immortale*. Qua igitur parte homo immortalis est, non differt a Deo, ex eorum opinione. Facc.

Cap. 8. *Quasi limes*] *Limen*. Lamb. Sicut dixit supra cultum justitiæ et pietatatis esse viam in cælum. *Limites* dicunt Siculus Flaccus, Hyginus, Aggenus semitas et vias quasdam, quæ agros divisos dirimant. Vinet.

Quod semper movetur] Ex Platonis Phædro. Vide Tuscul. I. 23.—Vide etiam Lactantium l. 7. cap. 8. qui rationem hanc expendit et ex principiis validioribus confirmat. Facc.

Nulla ex re] Olivetus et alii post *nulla ex re* addunt *alia nasci potest*; alii *fieri potest*; scilicet de more, ut opem ferant Ciceroni ad intelligendum. Idem.

Omnisque natura, et consistat] Peccat Antonius Muretus Var. Lect. l. VIII. c. 3. et Dionys. Lambinus, qui corrigunt, *Omnisque terra*, &c. Stulte Cicero dixisset, fore ut *terra consistat*, quæ ne moveri quidem potest. Marcilius. Lectio hæc Oliveti paulo magis respondet Platonis verbis in Phædro, ubi totum hoc Cicero sumpsit. Facc.

Volutantur] Quid est illud, *circum terram volutantur?* unde sumptum? Platonicum, inquam, illud est. Socrates enim in Phædone improborum et impurorum hominum animas ait grave quiddam terrenumque ex corporis contagione et libidinosis affectibus contraxisse, ac earum post mortem circa sepulcra monumentaque umbras et visa conspici. Ergo (inquit) flagitiosorum animæ circa tumulos volutantur, nec in cælum, nisi multis exagitatæ seculis, revertuntur. De purgationibus animarum apud inferos Virgilius Æneid. VI. 745. Ramus.

DE JURE CIVILI.

Neque vero Cicero libros solum de legibus, sed etiam de jure civili in artem redigendo librum scripsit. Siquidem ejus meminit Gellius, et Carisius. Quin etiam Quintilianus auctor est, Ciceronem de jure civili componere coepisse: quasi vero velit, opus ei imperfectum et rude excidisse. Habuisse etiam eum in animo hoc argumenti litteris prodere, ipse in primo de Oratore testis est, cum rationem exponit, qua facile jus civile redigi ad artem possit. Sunt tamen qui existiment, libros *de jure civili* eosdem fuisse, atque *de legibus*; in quo vehementer errant. Sigon.

DE AUGURIIS.

Quid, quod libros etiam Augurales Ciceronem scripsisse testimonio ejusdem Carisii certum est. Neque vero solum Carisii, sed etiam Servii, qui in quintum Æneidos scribit in hæc verba: *Secundum Romanos dies incipit a media nocte, quod Cicero exequitur in Auguralibus*. Hi vero libri fortasse sunt, quos ille proconsul Ciliciæ ad App. Pulchrum adornavit, libris Appii ejusdem argumenti ad se missis commotus. De quibus ipse in epistolis. (Fam. III. 11.) Sigon.

DE PHILOSOPHIA, SIVE HORTENSIUS.

Hunc librum *Hortensium* inscripsit: nimirum, quod in ea disputatione primas partes vituperandæ philosophiæ, et laudandæ eloquentiæ Q. Hortensio, viro consulari, atque oratori summo, concesserit. Hoc autem ipse demonstrat lib. II. de Divinatione, cap. 1. et in I. de Finibus, cap. 1. Lactantius etiam lib. III. cap. 6. idem confirmat, cum ait: *Ciceronis Hortensius, contra philosophiam disserens, circumvenitur arguta conclusione: qui cum diceret, philosophandum non esse, nihilo minus philosophari videbatur: quoniam philosophi est, quid in vita faciendum, vel non faciendum sit, disputare.* Interfuisse porro huic sermoni Q. Catulum, L. Lucullum, et M. ipsum Ciceronem invenio, dum vestigia antiquitatis studiosius persequor. Catulum autem, et Ciceronem cum Hortensio contendisse opinor. Lucullus utram partem defenderit, pro certo affirmare non ausim. De Catulo certum est ex eo, quod scriptum est apud Lactantium lib. VI. cap. 2. *Apud Ciceronem*, inquit, *Catulus in Hortensio philosophiam rebus omnibus præferens, malle se dicit vel unum parvum de officio libellum, quam longam orationem pro seditioso homine Cornelio.* De Cicerone illud est indicio, quod est in Academicorum libro eo, qui *Lucullus* inscribitur: in quo Lucullus ad Ciceronem conversus ait, (cap. 19.) *Tune cum tantis laudibus philosophiam extuleris, Hortensiumque nostrum dissentientem commoveris.* De Lucullo illud etiam ex Hortensii fragmentis ostendit. *Quare velim, mi Luculle* (sive, ut nos cum Patricio legimus, *dari mihi, Luculle*) *jubeas indicem tragicorum.* Hunc autem librum pulcherrimum omnium, et gravissimum fuisse, cum honestissimum rei ipsius argumentum, tum veterum, qui illum legerunt, testimonia multa confirmant. D. quidem Augustinus in tantam ejus admirationem adductus est, ut ejus potissimum lectione se ad veræ philosophiæ, id est Christianæ, contemplationem incensum esse sæpe profiteatur. SIGON.

Et Paulum Marcelli] Ut cæteris libris, sic etiam huic verisimile est Ciceronem procemium præfixisse. In quo, si, quid ego sentiam, aperiendum est, Hortensium ab eo laudatum esse opinor: quo modo etiam Catulum, et Lucullum in iis libris ornatos esse invenio, quos eorum nomine *Catulum*, et *Lucullum*, ut hunc Hortensii *Hortensium* appellavit, quod in iis primæ disputationis partes Catulo, et Lucullo essent tributæ. Quoniam autem inquit, *Paulum Marcelli occupavisse*, id est, ut exponit Nonius, *invenisse:* Paulum Marcelli consulis collegam interpretor. Quare quoniam Q. Hortensius, ut idem scribit in Bruto, L. Paulo, et C. Marcello Coss. obiit, Hortensium his consulibus paulo ante, quam ex hac vita decederet, hæc disseruisse dicemus: quo modo Scipionem etiam, et Catonem, alterum de rep. alterum de senectute, paucis ante mortem diebusne, an mensibus disputantes induxit. IDEM.

Quod cum uterque nostrum annuisset] Hæc, et sequentia ex dialogi præparatione videntur esse, in quibus, ut inter se illi convenerint, planum facit. IDEM.

Nam cum omnis solertia] Duas quidem fuisse Hortensianæ disputationis partes invenio; unam, in qua eloquentiæ studium, in quo ipse excelluit, extulit; alteram, in qua philosophiam accusavit. Itaque hoc ab eo ad eloquentiæ laudem dictum puto: cujus vim tantam esse ait, ut efficiat, ut, quæ inanima sint, vivere et spirare videantur. Quibus verbis virtutes illas dicendi expressit, quas ἐνάργειαν et ἐνέργειαν Græci rhetores nominant. Quarum altera fit, ut non intelligere, sed prope videre rem videamur; altera vero actio etiam

quædam rerum inanimatarum exprimitur. IDEM.

Hunc Crassum] Crassi exemplum, quem ait ad imitationem sui in dicendo contendisse, ad eundem de eloquentia sermonem pertinet. M. autem Crassum, Cn. Pompeii M. æmulum, intelligit, quem item in Bruto Q. Hortensii æqualem vocat. Quod autem hic ait, eum lente dicere solitum, convenit cum verbis ejus, quæ sunt in Bruto de ipso Crasso, *Animi magna, vocis parva contentio: omnia fere ut similiter, atque uno modo dicerentur.* IDEM.

Ut ii, qui purpuram volunt] Hanc similitudinem nescio an Hortensius attulerit, an ex iis unus, qui Hortensio repugnabant. Ea vero docetur ante animos nostros elegantibus eloquentiæ studiis imbuendos, quam ad graviora ulla sapientiæ studia accedamus. IDEM.

Ut enim segetes] Hæc similitudo eodem fortasse, quo superior, referenda est: ut segetes ante subiguntur aratris, quam semen eis committatur; sic animos hominum ante esse eloquentia, quam sapientia excolendos. Cujus similitudinis non oblitus dixit etiam in libris de Oratore: *Subacto mihi ingenio opus est, ut agro non semel arato, sed novato, et iterato.* IDEM.

Aut Theopompo acrius, aut Ephoro mitius, &c.] Sic legendum, non ut vulgo, *aut Theophrasto mitius, &c.* Quid enim *Theopompo* cum *Theophrasto* commune? Hic loquitur de historicis. Theophrastus philosophus est. Præterea vetus codex hanc emendationem adjuvat, atque adeo comprobat, in quo legitur, *Euphoro.* Sic lib. II. de Orat. ad Q. Fratrem, Theopompum et Ephorum conjunctim commemorat, de historia loquens, et historicos Græcos enumerans. LAMB.

Magna etiam animi contentio] Hoc videtur Hortensii argumentum, homines a philosophiæ studio avocantis; quod nimiam animi contentionem philosophorum explicatio desideraret, quippe quos incredibilis quædam in dicendo obscuritas delectaret: se autem solere quærere, cum a negotiis publicis discessisset, non ea, quibus intenderet animum, sed quibus relaxaret. SIGON.

Quis beatus] Sigonius legit: *quæ esse beata solitudo queat?*

Eloquentiam tueri] Hæc sunt vel Catuli respondentis, vel Ciceronis. Ex quibus apparet, superiore sermone eloquentiam ab Hortensio nimis anxie esse laudatam, quod artem suam commendaret. IDEM.

Qui cum hodie bellum cum mortuo gerant] Hæc verba contra historiæ studium videntur prolata: quod sit periculosum historiam scribere, cum etiam posteri cum historicis mortuis, si quid in majoribus suis vituperarent, bellum gerant. Quam sententiam, ne ipse somniasse videar, unde acceperim, ostendam. Docet hoc Trebellius Pollio in Salonino, cum ait: *Huc accedit, quod quædam etiam studiose prætermisi, ne ejus posteri multis rebus editis læderentur. Scis enim ipse, quales homines cum iis, qui aliqua de moribus eorum scripserint, quantum gerant bellum; nec ignota esse arbitror, quæ dixit M. Tullius in Hortensio, quem ad exemplum Protreptici scripsit.* IDEM.

Facessant igitur omnes] Nimirum in Hortensium hæc dicta sunt, qui vituperabat philosophiam vitæ magistram. In eandem sententiam est illud Catuli etiam, de quo supra ex Lactantio diximus: qui in Hortensio dixit, *malle se parvum unum de officio libellum, quam longam pro seditioso homine Cornelio orationem.* IDEM.

Quid tu, inquam? soles] Acuta similitudine ostendit, si partes argumentationis approbavit, totam etiam approbare debere. IDEM.

Itaque tibi concedo] De hoc loco lege quæ scripsit Petrus Victorius lib. V. c. 13. Var. Lect. PATRIC.

An cum videat] Loquentem justitiam videtur inducere, quæ dicat, si ipsa cum cæteris virtutibus rotam tormentorum ascendat, ne beatam quidem ipsam vitam se debere sub-

ducere. Quod colligitur ex Tusculana V. 5. et 28. Sigon.

Vide *de Finibus*, V. 11.

Oratæ] Vide *de Fin.* II. 22.

Primus] Orata, de quo supra.

Ut igitur domitores] Præclara comparatio, qua usus est fortasse, dum de domandis corporis cupiditatibus ageret. Sigon.

Qui cum publicas] Hoc de Aristogitone dictum acutissime ostendit P. Victorius in Var. Lect. Idem.

Veteres illi sive vates] Vatem Orpheum intelligit, qui corpus animæ sepulcrum esse dixit, ut quasi carcere inclusus supplicio quodam afficeretur. Id quod scriptum est apud Platonem in Cratylo, unde hæc Cicero sumpsit. Idem.

Quod sentimus et sapimus] Haud scio an commodius legatur, *quo sentimus;* alioqui in Consolatione ait: *Quod sentit, quod sapit.* Illud item, *In ratione et investigandi cupiditate,* vereor, ne legi debeat, *et veri investigandi.* Denique illud, *Cum his artibus vixerimus; cum in his artibus vixerimus.* Patric.

M. CATO, SEU, LAUS M. CATONIS.

Catones duos Ciceronem scripsisse omnes sciunt: unum, in quo M. Catonem, censorium illum, de senectute disputantem cum Scipione induxit: alterum, in quo Catonem, virum prætorium, Cæsaris inimicum, qui se, ne victori Cæsari traderetur, Uticæ interfecit, laudavit. Priorem illum integrum habemus, hunc vero integrum amisimus: de quo sic ipse Cicero in Oratore locutus est: *Hoc sum aggressus statim Catone absoluto: quem ipse nunquam attigissem, tempora timens inimica virtuti, nisi tibi hortanti, et illius memoriam mihi caram excitanti, non parere nefas esse duxissem.* Et lib. XIII. ad Atticum; *Legi Cæsaris epistolam: multa de meo Catone: quem sæpissime legendo se dicit copiosiorem factum: Bruti Catone lecto, se sibi visum disertum.* Et lib. II. de Divin. cap. 1. *Quoniam philosophia vir bonus efficitur, et fortis, Cato noster in horum librorum numero ponendus est.* Huic autem laudationi, quoniam Cæsaris animum offendebat, Cæsar ipse respondit libro, quem *Anticatonem* nominavit; cujus meminit quoque Cicero lib. XII. epist. ad Attic. hoc modo: *Qualis futura sit Cæsaris vituperatio contra laudationem meam, perspexi ex eo libro, quem Hirtius ad me misit, in quo colligit vitia Catonis, sed cum maximis laudibus meis.* Item: *Hirtii epistolam si legeris, quæ mihi quasi πρόπλασμα videtur ejus vituperationis, quam Cæsar scripsit de Catone, facies me, quid tibi visum sit, certiorem.* Vide item ad Atticum, XII. 2. et Topic. 25. Sigon.

DE GLORIA, LIB. I.

In Tusculanum mihi nuntiabantur gladiatorii sibili] Hoc ex libri procemio sumptum opinor, ex ea parte, qua occasionem aperuit, cur se ad scribendum de Gloria contulerit. Quos autem *gladiatorios sibilos* ait, eos intelligit, qui gladiatorum consessu excitarentur. Etenim, ut scripsit in Sextiana: *Tribus locis significari maxime populi R. judicium ac voluntas potest, concione, comitiis, ludorum gladiatorumque consessu.* Unde post etiam addit: *Theatrales gladiatoriique consessus dicuntur omnino solere levitatem nonnullorum, emptos plausus, et exiles, et raros excitare. Attamen facile est, cum id fit, quemadmodum, et a quibus fiat, et quid integra multitudo faciat, videre.* Ex his ergo intelligi potest, gladiatorias populi significationes valere ad gloriam. Apponam etiam verba Festi quædam, ubi de oppidis agit: *Oppidorum*, inquit, *originem optime refert Cicero libro primo de Gloria, eamque usurpatam appellationem esse existimat, quod opem darent, adjiciens, ut imitetur ineptias Stoicorum.* Sigon.

DE GLORIA, LIB. II.

Apud eundem poetam] De his sic Gellius: "In libro M. Tullii, qui "est secundus de Gloria, manifestus "error est, non magnæ rei, quem er- "rorem esse, possit cognoscere non "aliquis eruditorum, sed, qui tantum "legerit Ὁμήρου τὸ η'. Quamobrem non "tam id mirabamur, errasse in eam "rem M. Tullium; quam non esse "animadversum hoc postea, correc- "tumque, vel ab ipso, vel a Tyrone "liberto ejus, diligentissimo homi- "ne, et librorum patroni sui studio- "sissimo. Ita enim scriptum in eo "libro est: *Apud eundem poetam*," &c. Hujus autem sententiæ versus, quos Cicero in linguam Latinam vertit, non Ajax apud Homerum dicit, sed Hector dicit, et Hector de sepultura agit, prius quam sciat, an secum depugnandi causa congressurus sit Ajax. SIGON.

Citatur a Philargyro ad versum 63. Eclogæ II. e Ciceronis libro secundo de Gloria. Est quidem illud leviter corruptum, sed tamen quod nullo negotio restitui posset hoc modo, *Statuerunt gloriæ Leæna*. Loquitur autem de Leæna meretrice Attica, Aristogitonis amica, quæ cum immani cruciatu ab Hippia Pisistrati filio lacerata conjunctionis socios non edidisset, ejus honori ænea Leæna ab Atheniensibus statuta est. JAN. RUTGERS. *Var. Lect.* V. 3. Tanaquillus Faber emendabat, *statuerunt æream Leænam*. Vide Plinium, *lib.* VII. *cap.* 23. et XXXIV. *sect.* 8. *num.* 12. OLIVET.

DE CONSOLATIONE LIBER.

Cum Cicero jucundissimam filiam amisisset, incredibile auditu est, quanto propterea dolore exarserit. Ut autem sapiens, cum alia remedia multa ad mitigandam animi acerbitatem sui quæsivit, tum vero librum etiam scripsit, in quo, ut philosophus, semetipsum, quantum potuit, consolatus est. Quem librum *Consolationem*, vel *de luctu minuendo*, inscripsit. Hujus autem libri, quantum ego assequi judicio, et conjectura possum, tale fuit argumentum, atque adeo etiam artificium. Primum miserias hominum mihi videtur deplorasse, qui quasi luendorum scelerum causa in hanc vitam prodierint. Sed tamen levissime omnia esse ferenda adjecisse, cum his nos calamitatibus uno mortis subsidio facile perfungamur. Deinde casum suum acerbissimum multorum clarissimorum virorum, quos collegerit, exemplo mitigasse. Tum vero, de æternitate animorum, et de filia inter Deos ad immortalitatis famam consecranda, quo modo multi homines sunt consecrati, disputasse. Crantorem autem philosophum in primis est secutus. Quas res sigillatim, fragmentis ipsis explicandis, non erit fortasse inutile demonstrare. SIGON.

Non nasci] Affertur de Sileno fabella, quam vide Tusc. I. 48.

Cedo, en manum tollo] Lactantius ibidem: *M. Tullius in sua Consolatione pugnasse se semper contra fortunam loquitur, eamque a se esse superatam, nec tum quidem se ab ea fractum, cum domo pulsus patria caruit: tum autem, cum amiserit carissimam filiam, victum se a fortuna turpiter confitetur.* Cedo, *inquit*, en manum tollo.

DE SUIS CONSILIIS.

De suis consiliis] Citatur a Boetio liber Ciceronis de Consiliis suis, cum iis verbis, quæ inter fragmenta retuli. Quem librum eundem esse sine du-

bio arbitror, atque eum, quem Asconius in Commentario orationis in Toga candida vocat, *Expositionem suorum consiliorum*; nec fortasse alius est, quam is, quem Dio appellat ἀπόῤῥητον βίβλον, in quo rationem rerum a se in rep. actarum reddebat. SIGON.

DE VIRTUTIBUS.

In hoc libro, mea quidem sententia, Cicero, quæ copiose in libro de Officiis tradiderat, breviter comprehensa litteris consignavit: plane ad Aristotelis imitationem, qui post libros τῶν ἠθικῶν ad Nicomachum, etiam περὶ ἀρετῶν opusculum scripsisse dicitur. PATRIC.

CHOROGRAPHIA.

Hunc librum, idem ex quo fragmentum desumptum est, citat Priscianus: et quidem sic citat, uti Ciceronis. Ego tamen vereor, ne Varronem pro Cicerone citare debuerit: si modo is error non librarii culpa in libros irrepserit. Est enim plane Chorographia Varronis liber. PATR.

ACADEMICORUM LIB. I.

Postea quam in Hortensio Philosophiam verissimis, atque amplissimis ornavit laudibus, statuit, cum multa philosophandi tum genera colerentur, Platonicorum, Peripateticorum, Stoicorum, Academicorum, Epicureorum, quod ipse maxime omnium approbaret, ostendere. Ea vero fuit Academiæ novæ ratio. Hoc autem fecit scriptis primum libris duobus Academicis, quorum unum *Catulum*, *Lucullum* alterum appellavit. Post mutato consilio, ac ea re, ac quæstione copiosius, atque accuratius tractata, libris Academicis alteris quatuor, quos ad Varronem emisit. Ex priore scriptione *Lucullum* habemus, ex posteriore duntaxat primi libri particulam. Reliqua vis vetustatis consumpsit. SIGON. Fragmenta hæc, ex Academicis ad eos libros pertinent, qui erant posterioris editionis. Nonius, dum quartum esse putat ejus editionis, qui est prioris secundus, fecit, ut quarti libri fragmentum certum demonstrare nullum possimus. PATR'C.

ACADEMICORUM LIB. II.

Adhamaverunt] Ita legi jubent Scaliger in Catalectis, itemque Rurgersius, Var. Lect. III. 3. Sed, *adamaverunt*, legi volunt Lambinus, et Davisius.

Quid? mare nonne cæruleum?] Eadem fere in *Lucullo*, cap. 33.

Cum ovum inspexerant] Hæc verba leguntur etiam in *Lucullo*, cap. 18. Credo, quod Cicero, cum priorem lucubrationem improbaret, magnam partem ejus in posteriorem iisdem etiam verbis, ut hoc ipsum, transtulerit. SIGON.

ACADEMICORUM LIB. III.

Et ut nos nunc sedemus] Olet hæc sententia disputationem, quæ haberi solet de infinitate mundorum, quæ tractatur etiam in Lucullo: *Cur in reliquis mundis, et his quidem innumerabilibus innumerabiles Q. Lutatii Catuli non modo possint esse, sed etiam sint, in hoc tanto mundo Catulus alter non possit effici?* SIGON.

EX LIBRO INCERTO ACADEMICORUM.

Recte primum esse judicio suo, qui cæterorum omnium sit secundus] Sic Amazonum, quoque statuam probatissimam electam fuisse in templo Dianæ Ephesiæ, scribit Plinius, ipsorum artificum, qui præsentes erant, judicio, quam apparuit eam fuisse, quam omnes secundam a sua quisque judicassent. Plin. l. XXXIV. c. 8. PATRIC.

EX LIB. DE NATURA DEORUM III.

Non sunt ista] Quamvis Lactantius librum non memoret ex quo hæc sint hausta; tertio tamen libro de N. D. adscribere nullus equidem dubitavi; nam, ut ait ille lib. I. Div. Inst. cap. 17. *totus liber tertius de Natura Deorum omnes funditus religiones evertit ac delet.* DAVIS.

EX LIB. I. DE DIVINATIONE.

Præterea similiter] Libros de Divinatione duos habemus, sed primum in extremo imperfectum. Esse autem *conciliabulum,* quo hic utitur Cicero, ex Latinis vocabulis, demonstrat Festus lib. III. qui etiam illud interpretatur pro loco, ubi in concilium convenitur. PATRIC.

EX LIB. II. DE LEGIBUS.

Magnum audaxque] Assentior opinanti Sigonio, ex secundo de Legibus hæc verba excidisse. Etenim cum aperte significet Lactantius huic isti sententiæ etiam verba illa adjecta fuisse, quæ extant manifeste II. de Legibus: *Virtutes oportere non vitia consecrari:* profecto perspicuum est, quid de his quoque, quæ antegressa fuerunt, sit nobis judicandum. ID.

EX LIB. DE FATO.

Acipenser] Plin. IX. 17.

TIMÆUS,

SEU

DE UNIVERSITATE.

Cap. 1. Qui liber Ciceronis vulgo *de Universitate* inscriptus est, is *Timæus* appellari debet. Est enim de Timæo Platonis conversus. Itaque grammatici veteres cum ejus libri meminerunt, ubique Ciceronem Timæo citarunt. Videtur autem ab hujus memoriæ hominibus *De Universitate* inscriptus, quod in extremo eo, quod habemus, fragmento hæc verba legerint: *Nam hæc, quæ est habita de universitate oratio, a nobis haud unquam esset inventa.* Universitatem autem Cicero vertit ex Platone τὸ πᾶν. D. quidem Hieronymus, ut de Œconomici, et Protagoræ, sic de Timæi

Ciceroniana translatione judicavit, cum in Amos cap. v. ita scripsit: *Obscurissimus Platonis Timæus ne Ciceronis quidem aureo ore fit planior.* Scriptum autem esse hunc librum post Academicos, declarat ipse Cicero, cum in procemio hujus libri scribit: *Multa sunt a nobis in Academicis conscripta contra physicos.* Ciceronem Timæo commemorant Boetius in Topica, Nonius, Priscianus, D. Augustinus, sed ea fere proferunt loca, quæ habemus. Illud unum adducitur a Nonio, quo caremus. *Ratione igitur et mente divina ad originem temporis curriculum inventum est Solis et Lunæ.* Quibus verbis hæc respondent apud Platonem: ἐξ οὖν λόγου καὶ διανοίας θεοῦ τοιαύτης πρὸς χρόνου γένεσιν ἥλιος, καὶ σελήνη, καὶ πέντε ἄλλα ἄστρα ἐπίκλην ἔχοντα πλανήτας εἰς διορισμὸν, &c. SIGON.

De Universo] LAMB. GRUT.

Cap. 2. *Expers*] LAMB. *expertes.* BOETIUS in Topica, Comment. III. sic legit: *Alterum affert opinioni sensus rationis expers.* Vide Pauli Leopardi Emend. lib. VIII. cap. 20.

Considunt] LAMB. *consistunt.*

Exequi] LAMB. *sequi.*

Si ergo] LAMB. *Sic ergo.* Recte. Vide P. Leopardum loco laudato.

Cap. 3. *Explicandum, videtur esse cognitio*] Verba Platonis in Timæo hæc sunt: Ὡς ἄρα τοὺς λόγους, ὧνπέρ εἰσιν ἐξηγηταὶ, τούτων αὐτῶν καὶ συγγενεῖς ὄντας. Ex quibus apparet, legendum esse *cognatio*, non *cognitio*; ut fortasse ita locus restituendus sit: *In omni oratione, cum iis rebus, de quibus explicatur, videtur esse cognatio.* P. MANUT.

Avemus] VICT. MAN. GRUT. *habemus.*

Cap. 4. *Diverso*] LAMB. *universo.*

Cum Deus] IDEM. *ei cum Deus.*

Cap. 5. *Dejuncta*] Ex sensu et ex Platone corrigo, *devincta.* P. MANUT.

Quidquam esset] LAMB. *quidquam altitudinis esset,* quemadmodum admonuit Joach. Perionius, qui, ut et H. Stephanus, in hoc fragmentum legendus est.

Absolveretur] LAMB. *absolveret.*

Cap. 6. *Inclusum*] LAMB. *incisum.*

Ingressus corpore sustineret] Maffæi liber, *ingressurus corpus sustineret.* Veram lectionem puto: *Quibus ingressus corpus sustineret.* Græca verba: Οὐ δ' ὅλως τῆς περὶ τὴν βάσιν ὑπηρεσίας. LAMB.

Qui erat] Græca lectio: Ὄντος ἀεὶ λογισμὸς θεοῦ: Ut videatur legendum, *Qui semper erat.* IDEM.

Ipse] VICT. MAN. GRUT. *ipsum... notum et familiare.*

Cap. 7. *Intervallo habebat*] VICT. *intervallo* relicto *habebat.*

Atque ita cum alterum esset exteriorem amplexus orbem: Et sensus et Græca verba indicant, hæc duo verba desiderari, *alterum interiorem;* ut hic ordo sit: *Atque ita cum alterum esset exteriorem, alterum interiorem amplexus orbem.* Quod etiam ex insequenti membro clarius ostenditur, cum subjiciat, *illum ejusdem naturæ, hunc alterius nominavit.* Græca verba Platonis hæc sunt. Καὶ τὸν μὲν ἔξω, τὸν δ' ἐντὸς ἐποιεῖτο τῶν κύκλων, τὴν μὲν οὖν ἔξω φορὰν, ἐπεφήμισεν εἶναι τῆς ταυτοῦ φύσεως τὴν δ' ἐντὸς τῆς θατέρου. MAN.

Eamque, quæ erat ejusdem, detorsit...hanc autem] Ex Græcis verbis videtur emendandum, *Eumque, qui erat ejusdem, detorsit a latere in dextram partem; hunc autem ulterius, a media, &c.* Est enim de orbibus oratio, ut in Platone perspicitur: et verbum *Citimam* non est in Maffei libro, sed *item* pro eo. MANUT.

Cap. 8. *Rationis, concentionisque, &c.*] Vulgo, *contentionis.* Totum hunc locum opinor ita esse corrigendum: *Rationis concentionisque* (ἁρμονία Græce) *compos et particeps: quo nihil ab optimo et præstantissimo sempiternarum rerum et sub intelligentiam cadentium genitore melius procreatum.* Λογισμοῦ δὲ μετέχουσα καὶ ἁρμονίας ψυχή, τῶν νοητῶν ἀεί τε ὄντων ὑπὸ τοῦ ἀρίστου, ἀρίστη, γενομένη τῶν γεννηθέντων. MURET.

Quippe qui, &c.] Hic locus ex Græcis verbis ita corrigendus: *Quippe qui ex eadem junctus, alteraque natura, adjuncta materia, temperatione trium partium, proportione compactus, se ipse conversans, cum materiam mutabilem*

arripuit, et cum rursus individuam atque simplicem, in se omnis movetur, &c. Muret.

Compacta] Lamb. *compactus.*

Conversans] Alii, *conservans.* Male.

Sine voce, et sine ullo sono] Si quis Græcam lectionem sequatur, intelliget addendum *revoluta:* φερόμενος ἄνευ φθόγγου καὶ ἠχῆς. Et quod sequitur, legendum, *cum eam partem,* non, *cum eandem partem.* Ex Græcis verbis: Ὅταν μὲν περὶ τὸ αἰσθητὸν γίγνηται. Id.

Orbis illius generis alterius] Ut hoc totum sine interspiratione cum superioribus continuetur, et omnia referantur ad illud, *tum opiniones,* crederem legendum *orbisque illius generis alterius,* ex Græcis verbis: Καὶ ὁ τοῦ θατέρου κύκλος. Quæ etiam vocem, *illius,* vacare significant. Idem.

Cap. 9. *Quando igitur,* &c.] Hoc totum, si cum Græco conferas, intelliges ad hunc fere modum esse restituendum: *Quando igitur unumquodque eorum siderum cursum decorum est adeptum, quibus erat motus temporis consignandus: colligataque corpora vinculis animantia orta sunt: tum imperio parere didicerunt.* Idem.

Cap. 10. *Similem universitatis naturæ*] Nihil muto; tamen magis arrideret, *universitatis figuræ,* quam *universitatis naturæ.* Τῷ δὲ παντὶ πρεπωειδάζων. Manut.

Cap. 11. *Et priscis*] Lamb. *et cascis.*

Oportebit] Lamb. *Oportet ut ab eo ne quid absit: quæ si a me ipso effecta, vitamque consecuta sint, deorum vitam possint adæquare.*

Vobisque] Idem. *nobisque et juri ac legi.*

Cap. 12. *Secundum*] Man. *secundas...tertias....* Lamb. *secunda.... tertia.*

Cap. 13. *Ipse sua culpa*] Vict. *ipse bene factus.*

Animo divino] Lamb. *animi divini.*

POEMATUM FRAGMENTA.

PHÆNOMENON

EX ARATO,

QUÆ SUPERSUNT M. T. CICERONIS FRAGMENTA.

Aratum si quis nosse vult, ejus vitam, ab antiquo scriptam auctore, Dionysius Petavius cum Latina interpretatione sua, dedit in *Uranologio.* Cicero, de Orat. I. 16. *Constat inter doctos,* inquit, *hominem ignarum astrologiæ ornatissimis atque optimis versibus* Aratum *de cælo stellisque dixisse.* Id carmen inscripsit *Phænomena:* quæ Cicero, *admodum adolescentulus,* ut ipse testatur (*de Nat. Deor.* II. 41.) non astronomicæ, opinor, eruditionis, sed artis poeticæ gratia, Latinis expressit versibus, et sæpe *Aratum* suum vocat. Inde plusculos versus suis ipse Philosophicis disputationibus inseruit: aliquos auctoritatis ergo adduxere Lactantius, Priscianus, Nonius, alii. Eas omnes reliquias, antea dissipatas, homines curiosi, cum Arati Græco contextu collatas, ordine legitimo digessere; additis etiam Commentariis. Hugo tandem Grotius, ipse admodum adolescentulus, id agressus est, auspice Josepho Scaligero, ut Arati Ciceroniani lacunas expleret; remque ita confecit, ut eo dignum erat, qui, tametsi nondum magnus jam esset Grotius. Deformitatem sane, et quasi

horrorem truncati lacerique corporis tollit continuatio illa partium: neque, si verum fatemur, Grotianam Musam valde obscurat Tulliana. Idcirco feci non invitus, quod studiosis, propter Grotiani operis inveniendi difficultatem, gratum fore cognovi, ut Ciceroniana Arati fragmenta cum Grotii supplementis darem, quo legantur illa jucundius, et, si tanta est, facilius intelligantur. Ipsa quidem lacunarum expletio vicem præstat Commentarii. Annotationes adjunxi novas, a doctissimo viro et singulari amico nuper acceptas. Plures poteram ex Petavii Uranologio, et libris Hipparchi tribus, qui centuram continent Phænomenon Arati, atque adeo Ciceronis: non enim hic illius correxit errata. Sed neminem puto fore, qui astrologiæ sibi magistrum Ciceronem constituat. Quorsum ergo eduntur ista? Quoniam Ciceronis sunt. Non enim qui hominis effigiem saxo vel coloribus effingunt, ungues negligunt et capillos. OLIVET.

Musarum] Nihil in Græco est Arati versu, quod huic respondeat voci, *Musarum*, sed hoc tantum: *A Jove ordiamur;* ut Ovidius Fast. V. 3. *Ab Jove surgat opus.* Ciceronem videtur respexisse Virgilius, Eclog. III. 60. *Ab Jove principium Musæ.* Non *Ab Jove*, sed *A Jove* est de Leg. II. 3. ubi hæc recitat Cicero. Veruntamen fieri potuit, ut quamvis scripsisset in Aratæis *Ab Jove*, in dialogo de legibus mallet, *A Jove:* quoniam prius illud granditatem dat carmini, et numerum efficit pleniorem: hoc posterius ad lenitatem familiaris colloquii magis est accommodatum. ANON.

Extremusque adeo] Hoc est, Ejus axis, quem a motu liberum esse dictum est, extremitates duæ *Poli* dicuntur. PATRIC. *Duplici de cardine*, pro *duplicis cardinis;* ut *fulgor ab auro*, pro *fulgor auri*. Phrasis est Gallis et Belgis frequentata. GROT. Hoc si quis non concoquit, ita accipiat, quasi esset: *Ab utraque parte, e duplici cardine*. Nam *a*, *ab*, *ex*, *de*, in multis adhibentur nullo discrimine, et eodem sensu. *Cardo*, inquit G. J. Vossius, *in Etymolog.* ad varia transfertur. Ad cælestia, ut cum cardines dicunt Cæli plagas. *Vertex*, ut monet Quintilianus, Instit. III. 2. dicitur id, quod est *eminentissimum*, ut est ea mundi regio, in qua *polus* intelligitur. *Adeo* vox Terentio, Ciceroni, Virgilio, bonisque aliis scriptoribus valde familiaris, sæpe ad ornatum pertinet tantum, ut notat Servius, *Æn.* VIII. 585. ANON.

Quas nostri septem soliti vocitare Triones] Versus hic extra Aratum est, a Cicerone adjectus. GROTIUS. Quia enim Aratus dixit: *Arcti volvuntur, eoque vocantur plaustra* (Græcis) a similitudine: addidit Cicero: Latinis vero a junctis bubus, septentriones. Nam teste Varrone, lib. IV. de L. L. *Triones boves appellantur*, cum arant terram, quasi *Terriones*. PATRIC. Arctos, sive Ursas duas, quoniam altera major est, altera minor, appellat Varro apud A. Gellium, III. 10. *septentriones*, (vel potius, *septem Triones*) *majores minoresque;* quoniam in utraque septem stellæ sunt lucidiores cæteris. Virgilius *Æn.* I. 748. non septem, sed *geminos Triones* dixit. Nempe sydera hæc duo in Astronomia poetica sunt Ursæ duæ; in rusticana, *Boves* bis septem; et duo *Plaustra*. At plaustra, quod usui essent terendis frugibus, dicebantur etiam *Triones*. Inde est quod Virgilius duas *arctos*, duos *septentriones*, duo *Plaustra* appellavit *geminos Triones*. ANON.

Torvu' Draco] Hujus versus meminit etiam Priscianus, *lib. XIV.* Legit autem, *retorquens*, pro, *revolvens*. PATRIC.

Conficiensque sinus e corpore flexos] Legere malim: *e corpore flexo*. Sinus vero sunt *sinuosa volumina* Virgilio. GROT. Tamen *flexos* videtur hic magis poeticum. Virgilius, Georg. I. 244.

Maximus hic flexu sinuoso elabitur anguis,
Circum, perque duas in morem fluminis Arctos.

Ubi *sinus flexos* Ciceronis expressit Virgilius suo illo *flexu sinuoso*. ANON.

Obstipum caput] Male *obstipum caput* exponitur fixum, immobile. Melius Scaurus exposuit in alterum humerum reclinatum. Id docet quod sequitur *tereti cervice reflexum*, quod plane pugnat cum vulgata interpretatione. GROT. Assentiri Grotio non possum, neque intelligo, qui possit caput serpentis in alterum humerum inclinari. At video posse caput esse *reflexum*, atque in eo situ *obstipum* et immobile, ut intelligere oportet caput *Draconis*, siquidem ita jacet, ut *obtutum in cauda* Ursæ *majoris figere dicas*. Grotius maluit, *in caudam*: hac una fortasse causa, quod in editionibus aliis casus est sextus; quæ dicendi ratio Ciceroniana est. ANON.

Hic paulum sese subitoque recondit] Non minus falsum, quam est absurdum. Et tamen omnes codices præferunt. Mihi hos versus cum cura legenti statim succurrit emendandum: *subito æquore condit*. Participium est *Subito*, non adverbium. Sed tamen Aratus non voluit dicere caput Draconis æquor subire, sed stringere potius. GROT. Non video, cur istud *subito* Grotium offenderit. Si enim ortus diei *atque obitus parte admiscentur in una*, ut iis, qui ad caput Draconis habitant, ne tertia quidem horæ pars in unaquaque nocte obtingat, quid mirum, si caput Draconis, ubi se extulit, *subito* recondat sese? ANON.

Quod tangens] Apud Ciceronem lib. II. de Nat. Deor. legitur: *Attingens defessa velut*, &c. Sed quia hoc cum præcedentibus cohærere non possit, cum tamen apud Aratum cohæreat, vero est simile Ciceronem et hoc ad suum sermonem accommodasse. Itaque *Quod tangens* substitui. GROTIUS. Huic voci *Attingens* Grotius male substituit *Quod tangens*. Est enim *attingens* hic *proxima, vicina*. Cæsar, de Bell. Gall. I. 1. *Attingit a Sequanis et Helvetiis flumen Rhenum*. BUHER.

Finita] Posita, constituta, clausa. Eodem modo locutus est de Pistrice. *Finita in partibus Austri*. PATRIC.

Spicum illustre tenens] Dicimus et *hic spicus*, et *hoc spicum*. Cicero in Arato: *spicum illustre ferens*. SERVIUS, Georg. I. 3.

Ferrea tum vero] Quid? si *ænea aut ærea* pro *ferrea*? certe et Germanicus et Avienus vertit *ærea*, et sic habet Græce Aratus. Nisi forte ferrum pro ære dixerit Cicero, aut utrumque confuderit, aut certe hoc loco Hesiodum, quam Aratum, imitari maluerit, ut maluit Ovidius, metamorph. I. 127. PATRIC. Vulgatam lectionem, *Ferrea*, tuetur Grotius.

Recepta est] Lactantius lib. V. cap. 5. legit, *resedit*.

Ad genus] Cicero in Arato, hoc *genus*, pro genu protulit. *Tertia sub cauda ad genus ipsum*, &c. PRISCIANUS, lib. VI.

Et natos Geminos] Legerem, *At natos*. Græcus enim habet δ'. PATRIC.

Hoc motu radiantis Etesiæ in vada ponti] Citat hunc versum Cicero in *Orat*. (*cap*. 45.) ut exemplum ejus licentiæ, qua contractio non fit, sed hiatus manet. Animadvertendum vero fidelem ipsum interpretem Aratæi versus fuisse, in quo idem est hiatus, quem in suo carmine Cicero adnotat, atque in eadem etiam sede versus. VICTORIUS, *Var. Lect*. XII. 16.

Sub læva is Geminorum] Interposui vocem *is* ad sensum necessario desideratam. GROT. At plus in Græco est exemplari, quam possit intelligi ex vocula, quam interposuit Grotius. Hoc fere:

Aurigam invenies ingentem : corpore toto
Sub læva Geminorum obductus parte feretur. ANON.

Connixus] Vox ista Tauri habitum exprimit. Nam ut ait Hyginus, *Poet. Astr*. III. 20. *Taurus ad ortum signorum dimidia parte collocatur, et incidere, genuque defigere ad terram videtur*. Sic enim videntur hæc esse corrigenda. Cicero infra:

Atque genu flexo Taurus connititur ingens. BUHER.

Obscura specie] Locum hunc expendit vir eruditissimus, ac de me, si quis olim, bene meritus, Petr. Dan. Huetius, *Animadv.* in Manil. l. 355. OLIVET.

ARATI PHÆNOMENA.

Jam cæli] Totum hunc locum ita legendum arbitrarer,

Nam cœli mediam partem terit: ut prius illæ
Chelæ, tum Baltheus qui cernitur Orionis.

Hoc sensu: *E quibus* vinculis, vel cingulis Andromedæ *possis cognoscere, hunc* Arietem, *fultum subter*, sub ipsis videlicet Andromedes cingulis. Situs est enim, inquit, aries in media cæli parte, sicut libra ipsa (*chelæ*) et sicut *Baltheus Orionis*. Mediam autem cæli partem intelligit eam, quæ a polis, qui extremas cæli partes obtinere dicuntur, undique distat æqualiter. Astrologi circulum Æquatorem ex eo nominarunt: quem circulum ex signis Zodiaci sola duo contingunt Aries et Libra: pro qua Aratus *scorpii chelas* ponit. Quæ signa ubi sol motu suo progrediens attigit, æquinoctia in universo terrarum orbe constituit. E cæteris autem syderibus contingit hunc quoque *Zona*, quod ait Aratus, et quod post eum Cicero, *Baltheus Orionis*. PATRIC.

Andromedæ signum] Non, signum Andromedæ conspicies, sed, *sub Andromedæ claro pectore parvum signum conspicies*. IDEM.

Pisces] Hic versus cum sequenti etiam in lib. II. *de Nat. Deor.* reperitur, nullo discrimine, nisi quod pro *Horrisonis*, ibi legitur *horriferis*. Quod quoniam sæpe evenit, ut hæc Aratæa aliter hoc atque illo loco a Cicerone ipso recitentur, existimandum est (nisi sicubi filo ipsi orationis obsequitur) aut varietate lectionis proponenda luxuriare ipsum; aut emendatiora a viro jam facta recitari, quæ olim minus exacte ab adolescentulo conversa fuerant. Unde quoque factum existimo, ut ab Hygino et Prisciano aliter quoque permulta recitentur, quam hic leguntur. *Prolabitur* legunt quidam, non existumantes posse dici *prælabitur ante*, cum *præ* id exprimat, quod *ante*. At est in his ipsis Aratæis scorpius *præ se præportans* flebile acumen. IDEM.

Quam veteres] Versum hunc expendit diligenter Pet. Vict. *Var. Lect.* XXXI. 11.

E pedibus] Sensus est: lævo humero Andromedæ poteris piscem cognoscere. Ibi enim situs est. Ex pedibus autem ejusdem Andromedes, Persea cognosces; is enim pedes Andromedæ humeris retinet. PATRIC.

Pulverulentus uti] Hoc est, habitu cursoris, qui pulverem in stadio collegerit. Sic enim effingitur Perseus. ANON. Hunc locum sic emendo, *Diversosque*, &c.

In cœlum vector magno sub culmine portat] Rerum astronomicarum auctores in terram ruere dicunt ea quæ occidunt; ut contra orientia in cælum e terris redire. Hac ratione Cicero putavit Arato Persea orientem describi. *De terra elapsus*, dicit pro, *de terra ascendens*. *Vector* legendum, non *victor*. *Magno sub culmine*, pro *Magnum sub culmen*. Nam veteres illas (ut vocant) præpositiones *in*, *sub*, *super*, nullo omnino discrimine cum accusandi et auferendi casu extulerunt. GROT.

At propter lævum genus] Davisio si credimus in lib. de Nat. Deor. II. 44. Servius legit *Hujus propter lævum genus*, Æn. III. 22. quæ lectio videtur illi critico non esse temere repudianda. Non repudiabitur temere; repudiabitur tamen. Servii verba hæc sunt; *Cornu animalis indeclinabile est; licet genitivum usurparit Lucanus, ut:* Cornus tibi cura sinistri Lentule. *Sic Cicero in Arato*, hujus genus, *pro* genu. Non dicit Servius, quod scripserit Cicero, *Hu-*

jus propter lævum genus: sed quod declinarit, *Hoc genu*, hujus *genus;* ut Lucanus declinavit *Hoc cornu, hujus cornus.* Non ergo hunc respiciebat versum, in quo *genus* est casus quarti; sed alium, in quo esset casus secundi. ANON.

Dignant] Legere malunt alii *signant.* At veteres dicebant, *Digno, dignavi.* IDEM.

Clarat] Declarat, significat. Verbo *clarare* utitur in eundem sensum alibi Cicero, Lucretius non semel, et veteres alii. Sunt qui malint;

Ad æstatis primordia claret.

Id est, apparet sub initium æstatis. IDEM.

Convexa] De Nat. Deor. II. 44. pro *convexa* est *connexa.* Cur autem *leviter posita?* Quoniam, ut mox dicet, *delapsa resedit..inter flexum genus, et caput Alitis hæsit.* Cui *connexa?* Aliti. IDEM.

In cunis] Hæc est vera lectio, inquit Grotius. Non dubitabit qui Græcum Arati versum legerit. Alii habent *Infirmis.* IDEM.

Ad lævum Nixi] Appellat Cicero *Nixum*, vel *Nisum*, imaginem illam carentem nomine, de qua superius dixerat:

Engonasin vocitant, genibus quia nixa feratur. PATRIC.

Multis...Piscibus] Aratus dicit *duo Pisces.* Atqui duo non sunt multi. Hinc emendationes. *Multis, binis, geminis, utrisque, junctis, vinctis.* Et sane communi vinculo continentur ambo; tum ut facili lapsu existere possit *multis* ex *junctis, vinctis*, norunt conjecturarum artifices. ANON.

Visit equi vis] Prima editio habebat: *Jussit equinis*, quod nihili est. *Equi vis*, est equus. Quæ dicendi ratio, ex Græcorum imitatione, Lucretio familiaris est, atque Tullio in his versibus. *Terrai obitus*, est circuitus, quem astra conficiunt, dum lucent. Lucretius, IV. 394.

Sydera .... longos obitus exorta revisunt,
Cum permensa suo sunt cælum corpore claro,

Quid est, *revisunt obitus?* iterant circuitus, lucent denuo. Quocirca *visere obitus*, est apparere, lucere, quod in Græco etiam est exemplari; neque hic *obitus* est occasus. Verbum *visere* non semel in his occurrit Fragmentis. IDEM.

Corpore semifero] Capricornus pingitur semicaper et semipiscis; hoc inferne, illud superne. Qua parte est caper, in censu est bestiarum cicurum; qua parte piscis, in ferarum. Igitur *corpore semifero.* IDEM. Legendum videtur *corpore setifero.* Sic enim Avienus: *Hispida setosi marcet species Capricorni.* BUHER.

Magno Capricornus in orbe] Magnum orbem dicit Zodiacum, vel orbem signiferum, in quo sedem habet Capricornus. ANON.

Sed tamen anni jam labuntur tempore toto] *Anni* est gignendi casus, non rectus pluralis. Deinde *labuntur*, refertur ad nautas, subaudito nominativo, ut et apud Aratum. Libens legerim, *Sed tamen en anni*, &c. GROT. Suspicabatur Patricius legi posse: *Sed nautæ jam anni*...vel: *sed naves jam anni.* Aratus magis poetice dixit:

Sed mare jam toto nigrescit puppibus anno. ANON.

Atque etiam supero] Supero mense, id est superiore, quo sol est in Sagittario. Arati Græca hoc habent: At vero, in mense antecedente, mari multa passus, quando sol arcum, rectoremque arcus incendit, hoc est Sagittarium, sub vesperam navem reducito, non amplius fidens nocti. IDEM.

Arcum] Arcus designat Arcitenentem vel Sagittarium, qui Scorpium sequitur; ita ut illum trahere Scorpius videatur. BUHER.

Depulsus ad undas] Sidera cum occidunt, dicuntur in Oceanum descendere. ANON.

Quas intervallum, &c.] Avienus: *Bis gemino discreta situ micat ignipotens lux.*

Cætera pars latet] Antea sane dix-

erat, eundem Delphinum, de quo hic loquitur; haud nimio lustratum esse nitore: ut convenientissime hoc item loco latere illum dicere potuisse videatur. PATRIC.

Haud patitur] Obscurius dictum, hanc habet sententiam: Non patitur ut arbusta ornata foliorum tegmine, frustra teneant suspensos hominum animos, dubitantes, quæ illorum radices egerint, quæ non egerint. ID.

Ante] Supra vers. 107.

Orientem denique] *Denique, simul, tum*, similesque particulas pro copula usurpat Cicero. Sensus itaque est: Canis Leporem insequitur, occidentem agitans, et paulum jam ortum. Ita conveniet Arato: alias ipse sensus non constabit. GROTIUS.

Curriculum nunquam...sedans] Id est, nunquam cursum inhibens, nunquam quiescens. Id autem hic de Cane dicitur, at alibi de Nat. Deor. II. 44. de Lepore. Ex quo sane conjicio, versum hunc luxatum, sic restituendum esse:

Hic fugit ictus
Horrificos metuens rostri tremebundus acuti,
Curriculum nunquam defesso corpore sedans.
Nam Canis infesto sequitnr vestigia cursu,
Præcipitantem agitans, &c. PATRIC.

Spatium] *Spatium* et *orbem* vocat arcum illum, qui ab orientali Finitoris signo, ad occidentale per datum signum ducitur. GROTIUS.

Caligans] Leg. *caligo vestiat.* ID.

Hic dextram porgens] Pingebatur Centaurus habitu porrigentis, sive extendentis dexteram, et ea tenentis bestiam *quadrupedem vastam* ac protensam; euntisque versus *Aram*, sidus quatuor stellis *illustre*, quasi illam esset victimam *ad Aram* immolaturus. Mavult Patricius *illustrem* referri ad *quadrupedem*, ut quæ stellas habeat decem, cum *Ara* constet tantum quatuor. Nihil in Græco est, quo lis possit dirimi. ANON.

E quibus annorum] Hic satis tenebricosus est Aratus, ut existimari possit eum non intellexisse puer Cicero. Alios cæli doctrina auctores habet. IDEM.

Chius Bacchica] Chius hic conveniret, nisi repugnaret syllaba. Nam *Chius* cum est insulæ nomen, priore syllaba corripitur; cum incola *Chius* dicitur, priore est producta. Existimavi tamen aliquando, a Cicerone in insulæ nomine priorem esse productam. Sed cum etiam *Chia*, ut ait Plinius (*lib.* V. *cap.* 31.) dicatur, quod nomen ex adjectione (*id est, ex adjectivo Chius*) factum videtur, fortasse *Chia* non male legeretur. TURNEBUS, *Adv.* VIII. 17. Favet Apollodorus, *lib.* I. *cap.* 4. n. 3. *Chius* autem cur appelletur *Bacchica*, non ignorant, qui legerunt saltem Horatium; ne alios ex antiquitate vinorum laudatores accersam. ANON.

PROGNOSTICA.

PROGNOSTICA, seu *Diosemeia*, Arati carmen, quo signa præsensionesque tempestatum explicantur. Hoc quoque verterat Cicero. Græcum ad nos integrum pervenit: e Latino versus admodum triginta. Septenos servavit Priscianus, reliquos Cicero *de Divin.* I. 7. 8. 9. Hi cum in tertio jam sint editionis hujus volumine, non nisi otiose in hoc nono reponi videntur: eoque magis, quod nullam interpretis operam desiderant. Obscuram tamen aliorum editorum, qui hæc etiam in Fragmentorum collectione repetunt, ideo diligentiam imitabor, quod nihil nocet. OLIVET.

Phatnæ] *Phatne* Latinis *præsepe* significat. Rem ipsam quod attinet, Plinius lib. XVIII. cap. ultimo sic habet: *Sunt in signo Cancri duæ stellæ parvæ, Aselli appellatæ, exiguum inter illas obtinente nubecula, quam* Præsepia *appellant. Hæc cum cœlo sereno apparere desierit, atrox hyems sequitur, &c.* PATRIC.

ALCYONES.

Testatur Julius Capitolinus in Gordiano, cap. 3. Ciceronem poema scripsisse hac inscriptione. Ex eo hæc una lacinia superest, apud Nonium, verbo *Prævius*. ANON.

Hunc] De Ceyce agitur, Alcyonis conjuge, filio Luciferi. Hic dicitur *satelles solis noctisque*, quoniam mane lucet et vespere. IDEM.

LIMON.

Limon] Fuisse usitatam apud Græcos inscriptionem in libris, testatur Plinius in præsatione suæ Historiæ. Fuisse autem Ciceronis quoque Limonem, vel fragmentum ipsum indicio est, quod Donatus recitat in vita Terentii: cujus quidem fragmenti verbis laudatur Terentius, poeta comicus. PATRICIUS. Hunc titulum suis libris præfigebant, quo significarent esse in illis variarum rerum collectanea, varios pratorum flores referentia, ut notat Joan. Harduinus in Plinii Præfat.

Liquens] Eadem ratione dictum est, qua dixit Horatius lib. I. Epist. XIX. 44. *Fidis enim manare poetica mella Te solum.* Etenim *liqui*, pro verbo utitur non semel Virgilius, est *manare*. Ediderunt alii, *linquens*, nullo sensu. Daniel Heinsius, cum ederet Terentium, substituit *dicens*. Si tenuit sensum, recessit nimium a voce *linquens*, quam habuerant omnes ante hunc nostrum editi codices. OLIVET.

MARIUS.

Poematis hujus, quo Marium popularem suum Cicero, communemque patriam ornavit, reliquiæ extant apud Ciceronem omnes; nisi forte indidem, ut equidem arbitror, desumptus videbitur, et ad Marii fugam pertinere versus hic, quem exhibet Isidorus, *Orig*. XIX. 1. OLIVETUS.

Paroni] Navigio piratico.

DE SUO CONSULATU. LIB. II.

Elapsæ vetusto numine leges] Sic edidere omnes. Quid autem sit sensus in *vetusto numine*, explicavit nemo. Gulielmius rescribebat *vetusto ærumine*, Buherius in ærumine meram existimabat barbariem, et malebat

Erasæque vetusto numine leges.

Sed cum eadem prodigia commemorans Cicero in *Catil.* III. 9. dicat, *Legum æra liquefacta*, cum æramen latinum sit ut æramentum, en conjecturam ex illis natam ambabus:

Erasæque vetusto æramine leges.

Quod est asperitatis in versu ex illis vocibus *erasæ, æramine*, videri studio quæsitum potest, rei aptius exprimendæ gratia. FR. ODINUS.

DE SUO CONSULATU. LIB. III.

Noctis eventa] Scripserat fortasse Cicero, *nocturna eventa*. Atque hue etiam, ni fallor, traducenda est alia ejusdem Nonii Marcelli lacinia, de qua Tomo II. pag. 898. OLIV.

Laudemque] Alii, *laudesque*.

DE SUIS TEMPORIBUS.

Quidam existimant titulo duntaxat hos tres libros differre ab illis tribus de suo Consulatu. Quod secus tamen videtur *Fam.* I. 9. Sed et hæc fuit ejusdem forte operis inscriptio: *De suorum consiliorum rationibus.* Vide Tomo III. pag. 943. et laudatum Dionis locum Tomo II. pag. 24.

Versus hujusce sententiam multi criminabantur, quibus respondit Cicero, *Off.* I. 22. *Pison.* 92. *Phil.* II. 8.

Linguæ] Pro *linguæ*, alii habent *laudi.* Vide, si vacat, G. J. Vossii annotationem in hunc locum, Tomo III. pag. 799.

O fortunatam] Posteriorem hunc versum irridet Juvenalis, X. 123. Illud *fortunatam natam* Quintilianus, IV. 4, aiebat *Ciceroni excidisse.* Quod contra studio quæsitum censent Gifanius, *in Lucret.* et Turnebus, *Advers.* VII. 19.

TAMELASTIS.

Tamelastis] Et titulus et fragmentum hujus Elegiæ ex Servio desumptum est, qui scribens in illud Virgilii Eclog. 1. *Raucæ tua cura palumbes*, citat manifeste Ciceronem in hac Elegia, verbaque adfert, quæ nos inter fragmenta reposuimus. Notandum tamen varie Elegiæ nomen scribi a descriptoribus Servii. Quidam enim *Tamelastin* scribunt, uti a nobis quidem descripta est. Quidam *Thamelastin*, quidam etiam *Telemastin*. Patricius. Varie describi, quid mirum in voce ignota?

JOCULARIS LIBELLUS.

Fundum] Varro *fundum* appellatum esse censuit a *funda.* Itaque Cicero jocatur, extenuando hyperbolicos, quasi fundus sit tam exiguus et parvus, ut more lapidis possit projici. *Pseudo* Turnebus, *in Quintil.* VIII. 6. Videtur aliter intelligere Franc. Vavassor, lib. de Epigr. cap. 21. Hoc autem epigramma Vossius in Etymol. verbo *Fundus*, opinatur potius Laureæ Tullii esse, quam Ciceronis.

FRAGMENTA

LIBRORUM INCERTORUM.

Librorum incertorum] Esse hæc quidem Ciceronis tam certum est, quam quod maxime. Cæterum quo pertineant, et ad quem Ciceronis librum referantur, cum divinare nec valde promptum, nec nimis etiam tutum esset, omnia sub inscriptione eorum, quæ ad libros incertos pertineant, comprehendere libuit. Itaque nullum etiam in iis certum ordinem tenere potuimus: illum duntaxat secuti sumus, qui est ex eorum auctorum nominibus, eorumque libris, qui hæc ad nostram usque ætatem, in tantis imperitorum mutationibus, conservarunt. PATRIC. Quod statim affert Patricius: *Esse hæc Ciceronis, tam certum est, quam quod maxime;* potest nimis affirmate dictum videri. Unde enim corrasam hanc habemus farraginem? E libris veterum, a quibus laudatur Cicero, aut, si volumus, citatur. At quis præstare ausit, nihil accidisse illis, quale humana fert conditio? putasse nunquam, se apud Ciceronem vidisse, quod apud alium viderant? nunquam memoriæ factum vitio, ut Tullianis vocibus alias supponerent? Libros quidem si habuissent præsentes, non Ciceronem universe, sed, indicato libro, appellassent. Cur autem non fecerint, quod sæpe fit, ut sensum tenere voluerint, non verba? ut quæ in eandem sententiam Cicero variis lociis dixerat, in unum cogerent? quæ breviter contraxerat, copiosius dilatarent? Ipsi denique Fragmentorum sarcinatores multa, quæ certis ex orationibus ac libris petita esse constat, in hanc *Incertorum* classem conjecere, tantummodo quia laudatores librum non designarant. Quare nemo miretur, quod Græviana brevior hæc sit collectio. OLIVET.

Eorum quippe opinioni] Omnino, nisi admodum fallor, fragmentum hoc extare ad verbum, apud Ciceronem ipsum existimo, iis quidem in libris qui hodieque extant: sed locus non succurrit. Similem tantum huic adferre possum hoc tempore, illum qui est V. Tusc. sub. finem. *Polyphemum Homerus*, inquit Cicero, *cum immanem ferumque finxisset, cum ariete etiam colloquentem facit, ejusque laudantem fortunas*, &c. PATRIC.

Nullum unquam verbum] Hoc fragmentum auctius refertur ab aliis. Nos tamen pleraque non tam Ciceronis quam Augustini ad Ciceronem alludentis esse judicantes, quod Augustini esse credidimus, induximus; quod Ciceronis, reposuimus. Recte autem fecisse nos, is profecto judicabit, qui epistolam ipsam Augustini legerit, ex qua hæc sunt sumpta. Mirum autem ni hæc dicantur de Catone, et ad librum de laude M. Catonis pertineant. IDEM.

Etenim si nemo] Ni ita aperte Lactantius fateretur verba esse Ciceronis, existimarem ipsius esse Lactantii, cum allusione quadam ad id, quod est lib. III. Officiorum. *Quid interest*, inquit ibi Cicero, *utrum ex homine se convertat quis in belluam, an in hominis figura immanitatem gerat belluæ.* IDEM.

Nihil esse] Cum hæc scribit Lactantius, ad illud quasi respicere videtur, quod est in ea pro Marcello ad hunc modum: *Nihil est opere aut manu factum, quod aliquando non conficiat et consumat vetustas.* IDEM.

Fœminas omnes] Ejus sententiæ

Ciceronem auctorem esse scribit Plinius lib. VII. cap. 2. Eam autem sententiam ita refert Gellius lib. IX. cap. 4. *Oculis quoque*, inquit, *exitialem fascinationem fieri, in ejusdem libris scriptum est, traditurque, esse homines in Illyriis, qui interimant videndo, quos diutius irati viderint: eosque ipsos mares feminasque, qui visu, tam nocenti sunt, pupillas in singulis oculis binas habere.* IDEM.

Gladiatores] Reperio eandem sententiam, iisdem prope verbis in Miloniana expressam esse a Cicerone, ut non ad alium quam ad eum illius orationis locum respexisse Seneca videri possit. *Etenim si in gladiatoriis pugnis*, inquit, *et infimi generis hominum conditione, atque fortuna, timidos, et supplices, et, ut vivere liceat obsecrantes, etiam odisse solemus; fortes et animosos, et se acriter ipsi morti offerentes servare cupimus*, &c. IDEM.

Et quanquam] Hæc videntur hausta, paucis quidem mutatis verbis, ex Oratione post Reditum ad Quirites, cap. 1.

Ita tamen] Non aliter editum est hactenus. Videtur edendum fuisse *ista* tamen. OLIVET.

O miserum] Hæc etiam Ciceroni tribuit Fortunatianus lib. III. Rhetoric. ubi agit de vitandis in soluta oratione versibus. Qui in Augustinum scripserunt, de Cinna hæc accipere videntur, locumque ex lib. V. Tuscul. adducunt, huic persimilem, ubi Cinnæ peccare licuisse scribit. PATRIC.

Arcera] De hoc fragmento sic Nonius: *Arcera plaustrum est rusticum, tectum undique quasi arca. Hoc vocabulum*, inquit ibidem, *et apud Varronem et apud Tullium invenitur.* Vide de hoc ipso fragmento Gellium lib. XX. cap. 1. IDEM.

Ferem] Vulgaria, inquit Fortunatianus, verba, quibus utitur vulgus ut M. Tullius, *et seracum*, et *ferem* dicere non dubitavit. In meo Fortunatiano pro *ferem*, est *ficem*. Itaque legendum fortassis, *fæcem*. Quo verbo cum in ea pro Flacco utitur, tum alibi, atque adeo quoque in fragmento paulo superiori. IDEM.

Dicta] Dicta, exponit *designata*, idem iste Servius, in Georg. III. 125. IDEM.

Mimanta] De monte Mimante Plinius, V. 29. et Strabo lib. XIV.

De plebeia fæce sellulariorum] Puto sellularios opifices esse a sella dictos, in qua sedentes quotidianum quæstum exercerent. Cicero, orat. in Catil. IV. *Nulli sunt*, inquit, *inventi, tam aut fortuna miseri, aut voluntate perditi, qui non ipsum illum sellæ, atque operis, et quæstus quotidiani locum...salvum esse velint.* Sellulariorum nomine usus est etiam Livius lib. III. *Opificum quoque vulgus*, inquit, *et sellularii, minime militiæ idoneum genus.* PATRICIUS.

Tesqua] *Tesqua*, inquit Festus, *loca augurio designata.* Cicero *aspera* ait esse et *difficilia.* Vide etiam de hoc verbo Varronem lib. VI. de Ling. Latina sub initium. IDEM.

EX AUSONIO DE MONOSYLLABIS.

Romanum] Vide Plinium VII. 16.

IN ANDR.

P. Ventidium Mulionem] De hoc Ventidio est illud Planci in epistolis ad Familiares Ciceronis lib. X. *Sic illas*, inquit, *perculsas copias, et Ventidii Mulionis castra despicio.* PATRICIUS.

Formicas solipugas] Vide Harduini emendationes ad lib. Plinii VIII. num. 88.

Cicero in admirandis] Plinius, cum dicit, *In admirandis*, aut illud significat, quod aliter dici posset, inter miracula reputavit: aut Paradoxa, ut quidam putat, designat, in quibus

tamen nullum ejus fragmenti vestigium reperitur: aut librum alium denotat peculiarem, quem *Admirandorum* nomine inscripserit: quam opinionem illa etiam locutio proximi fragmenti confirmare quodammodo videtur, cum inquit Plinius, inseruisse Ciceronem *Admirandis suis*, de Narniensi agro imbribus sicciore. Aut vero denique, id quod ego magnopere verendum esse puto, Plinii liber utroque in loco corruptus est, qui pro Varrone Ciceronem legit. Varronis enim profecto librum *de admirandis* inscriptum fuisse, ex Nonio, et Carisio lib. I. et aliis colligitur. PATRIC.

Romam conditam] Ex solino cap. 11. *Cincio*, ait, *Romam duodecima olympiade placet conditam; Pictori octava; Nepoti, et Lutatio opiniones Eratosthenis, et Apollodori comprobantibus, olympiadis septimæ anno secundo; Pomponio Attico, et M. Tullio, olympiadis sextæ anno tertio.* IDEM.

FINIS.

Londini imprimebat J. F. DOVE, in Area quæ est Divi Joannis.